

Spain

Trebo

INTRODUCTIO

IN

JUS ECCLESIASTICUM

TUM GENERALE, TUM HISPANICUM

AUCTORE

90

Dre. D. Emmanuele de la Peña et Fernandez, Pbro.

LINGUÆ HEBRAICÆ,

ARCHÆOLOGIÆ CHRISTIANÆ ET JURIS CANONICI INSTITUTIONUM IN GENERALI

PONTIFICIO SEMINARIO HISPALENSI PROFESSORE.



HISPALI

TIPIS IZQUIERDO ET SOC.

Via dicta Francos 54.

MDCCCXCIX.

INTRODUCTIO

IN

JUS ECCLESIASTICUM

TUM GENERALE, TUM HISPANICUM

AUCTORE

Dre. D. Emmanuele de la Peña et Fernandez, Pbro.,

LINGUÆ HEBRAICÆ,
ARCHÆOLOGIÆ CHRISTIANÆ ET JURIS CANONICI INSTITUTIONUM IN GENERALI
PONTIFICIO SEMINARIO HISPALENSI PROFESSORE.



HISPALI
TYPIS IZQUIERDO ET SOC.
Via dicta Francos 54
MDCCCXCIX

O. D.

LICENTIA ORDINARII



Per praesentes nostram impertimur licentiam, ut opus cui titulus INTRODUCTIO IN JUS ECCLESIASTICUM, TUM GENERALE, TUM HISPANICUM conscriptum a Presbytero Dre. D. Emmanuele de la Peña et Fernandez, nostri Generalis et Pontificii Seminarii Professore, in lucem edi possit; quatenus ex sententia Censoris a Nobis deputati non solum nihil contra fidem et mores continet, verum etiam studiis Juris Canonici promovendis aptissimum existimari debet.

Hispali XXV Januarii MDCCCXCIX.

✠ *Marcellus*, Archiepiscopus Hispalensis.

Studioso Lectori

EMINARIO Conciliari Archidioecesis Hispalensis Apostolica sapientissimi Leonis XIII, quo sospite fruimur, benignitate, ad fastigium Generalis Pontificii erecto, atque Facultate Juris Canonici decreto Sacrae Studiorum Congregationis die quarta Augusti anni 1897 erecta, Excmus. et Rvmus. Dominus D. Marcellus Spínola et Maestre, praeclarissimam Sanctorum Leandri et Isidori Sedem hodiedum feliciter obtinens, provinciam Institutiones Juris Ecclesiastici docendi mihi commisit.

Ad hoc praestantissimum munus ritè obeundum, ex tunc temporis totis viribus auditoribus meis integrè et distinctè exponere sategi tum veritates catholicas in controversiis canonicis omnino tenendas, tum doctrinam communiter receptam, a qua absque temeritate minimè recedendum, necnon diversas opiniones, quae in singulis quaestionibus inter eruditos olim vel

etiam nunc exortis liberè propugnari possunt, haud praetermissis documentis et rationibus pro singulis tuendis vel confutandis allatis. Hisce oralibus explicationibus me officio meo satisfacere, ac disciplinae canonicae promovendae incumbere arbitrabar, quin praelectiones meas typis edere cogitarem.

Et sanè, postquam tot tamque egregii viri de re canonica optimè meriti, magnis exantlatis laboribus, omnique disquisitionum genere adhibito, universum Jus Ecclesiasticum locupletare et illustrare studuerunt, singularitas, immo vero arrogantia haud immerito videbitur novum in lucem proferre tractatum circa materiam adeò tritam et ferè exhaustam versantem.

Fateor tamen rationes non paucioris momenti mihi adfuisse pro hac lucubratione exaranda; nam, cum animadverterem ex alia parte opera edita vel ingentibus constare voluminibus, ideoque aegrè consulenda aegriusque prae manibus habenda, vel ita esse concisa, ut in pluribus locis deficerent; ex alia autem propria observatione viderem pleraque ab auctoribus exteris scripta congruis additamentis et annotationibus ad Jus Hispanicum spectantibus carere, huic operi manus admovere coepi, et INTRODUCTIONEM generalem evulgandam curavi in

gratiam tyronum, qui in Seminario Hispalensi addiscendo Juri Ecclesiastico operam navant, ut ita Juris studiosi uno volumine et ordinato compendio omnes praenotiones scitu dignas ad rectam et pleniorem Juris Ecclesiastici, sive Generalis, sive Hispanici, intelligentiam inveniant, antequam ad ulteriores quaestiones penitiùs investigandas progrediantur.

Ad haec accedit, quod nonnulli amici et scientia praediti, et auctoritate insigniti, forsitan nimia benevolentia permoti, suis consiliis ad evulgationem hujus libri me adhortati sunt; aliundè vero non pauci alumni a me enixè efflagitarunt, ut quas maxima, prouti benignè ajebant, jucunditate et utilitate audiverant lectiones, typis edere ne morarer: illorum igitur suasionibus atque istorum instantiae parendum duxi, ne reluctando potius quam modestia occultae superbiae obtemperare viderer.

Equidem minimè me fugit quantum castigari et perpoliri ejusmodi praelectiones indigeant; verum mihi indulgendum esse spero, eo quòd non doctis opus meum destinare intendam, sed iis qui docti fieri volunt, primosque in via, quae ad scientiam canonicam ducit, gressus ponunt.

Adumbratis rationum momentis, quibus

ductus hunc laborem aggressus sum, nihil amplius praefari opus est, nisi tantum, perspicuitatis gratia, ordinem tractationis paucis verbis innuere. Hujusmodi praeparatio ad universum Jus Canonicum practicè et fructuosè dignoscendum, quam veluti praeambulum totius Scientiae Juridicae INTRODUCTIONEM nuncupare malui, in tria magna Capita partitur:

Primum NOTIONES Juris, sive *Generalis*, sive *Ecclesiastici*, sive *Practici*, sive *Applicati*, aut *Interpretati* distinctis articulis complectetur.

Alterum FONTES omnes Juris Ecclesiastici, tum *Generales*, tum *Particulares*, tum *Hispanicas* inquiret.

Tertium denique cunctas COLLECTIONES Juris Ecclesiastici, tam *Antiqui, Novi* et *Novissimi*, quam *Patrii* exponet.

Perpendendis atque dilucidandis quaestionibus criticis, quae in tanta rerum silva, quantam exhibent summaria Articulorum, saepenumero ocurrent, specialem curam impendere nisus sum, eo consilio, ut, omnibus disputationibus proprio loco claritate ac methodo pertractatis, quatenus exigui mei ingenii vires sinunt, corpus doctrinae absolutum habeatur et Prolegomena completissima evadant.

Si hac isagogica disceptatio ad faciliorem Disciplinam Canonicam reddendam et studium Juris inter juvenes Clericali Militiae adscriptos magis fovendum aliquid conferret, vota mea plenè adimpleta existimabo.

Hispali, die XII Octobris 1898, in Festo Commemorationis B. M. V. de Columna.

MONITUM

Cum hoc opus ecclesiasticae juventuti praesertim dicatum sit, et nostra recentiori aetate tanta obruamur copia scriptorum, qui, praejudiciis abrepti vel perniciosis *jansenismi, regalismi* aut *liberalismi* placitis indulgentes, ita de re canonica pertractarunt, ut potius quam ordinem, regimen et ecclesiasticam jurisprudentiam exponere atque vindicare, divinam Ecclesiae constitutionem evertere, sacratissima Sanctae Sedis jura labefactare et supremam Romanorum Pontificum auctoritatem convellere conati sunt, magni momenti esse ducimus et muneris nostri praecipuam partem censemus tyrones Juris Canonici praemonere, quod omnis diligentia et accurata electio adhibenda est in usu ac consultatione auctorum.

Caveant igitur candidati Juris Ecclesiastici, ne, in evolvendis aut perlegendis quibusdam libris in specie et nomine catholicis sed reipsa haereticis vel valdè suspectis, animum adhuc tenerum et mentem nondum satis excultam pravis opinionibus imbuant hauriantque errores, quibus illi sub fuco verborum et sermone saepè

elegantiori atque perpolito undique scatent. Prae manibus habete, studiosi ac dilectissimi juvenes in sortem domini vocati aut in sanctuarium jam cooptati, sapientissima et pretiosa opera doctrina et eruditione non minus quam orthodoxia et integritate referta; divina ope in disceptationibus canonicis ingens optimorum librorum copia exstat, quos legere et perlegere perutile est; hos sine periculo evolvite, hos maximo cum fructu consulite, et ita, ut verbis utar Sancti Maximi Taurinensis: *Per religiosi itineris vias ac veritatis semitas, quas universa tenet Ecclesia, gradientes, magis magisque haereticorum devia et diabolica calcate figmenta* (1).

Pro coronide hujus praestantissimi moniti opportunum nobis videtur in memoriam omnium, qui canonicis disciplinis intendere student, revocare luculentum et decretorium venerabilis Pontificis Pii IX testimonium sic ad Episcopos Galliae alloquentis: *Adolescentes clerici in vestris seminariis... sacrorum canonum scientiam, ex auctoribus ab Apostolica Sede probatis deprromptam, consequi valeant* (2).

---


(1) *Hom.* 9, *int. hyemal.*

(2) Encyclica *Inter multiplices* (21 Martii 1853).

Nolite errare, Fratres carissimi, Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci. En Instituta Apostolorum, et Apostolicorum Virorum, CANONES*que habetis. His fruimini* (Julius I Papa in Epist. ad Episc. Orient.)

Nulli Sacerdotum liceat CANONES *ignorare* (Sanctus Caelestinus Pontifex in Epist. III, cap. I, ad Episc. Apuliae et Calabriae.)

Ignorantia, mater cunctorum errorum, maximé in sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt... Sciant igitur Scripturas sanctas, et CANONES: *ut omne opus eorum in praedicatione et doctrina consistat, atque aedificent cunctos tam fidei scientia, quam operum disciplina* (Conc. Tolet. IV, can. XXV.)



Introductio in Jus Ecclesiasticum



CAPUT I

NOTIONES GENERALES

ARTICULUS I.

SUMMARIUM.

1. Notio Juris *Generalis.*—2. Etymologia vocis *Jus.*—3. Significatio *nominalis.*—4. Significatio *realis.*—5. Origo Juris.—6. Elementa constitutiva omnis Juris —7. Diversae acceptionis Juris *formaliter* et *materialiter* sumpti.—8. Quid in sensu *legali* denotet.—9. Definitiones Juris tam *subjective*, quam *objective* et *efficienter* spectati.—10. Praecipuae divisiones.—11. In quo differat Jus naturale a Jure positivo.

1. Tractationem praeviam de Jure Ecclesiastico aggredientes, cum consideratio nominis initium sit doctrinæ, eo quod significatio vocabulorum naturam rei significatæ patefacere saepissime solent, perspicuitatis gratia, operis pretium erit etymon vocis *Jus* quaerere et praefinire.

2. De origine vocabuli *Jus* duae nt apud viros criticos sententiae, quarum prima, du us Gregorio Lo-

pez, Schmalzgrueber, aliisque non paucis, docet voçem *Jus* á nulla alia procedere, sed primitivam esse: qui ita autumant, pro sua sententia duplicem rationem adducunt, grammaticalem nempe vel philologicam atque philosophicam. *Philologicè* aut *grammaticè* perspecta re, aperte liquet vocem Jus simpliciorem esse qualibet alia, ex qua originem ducere possit, nam ipsum nomen *Justitia* juxta Marium Paganum componitur ex *Jure et statione*, et limitem juris denotat; sed compertum est simplicius putandum simul magis primitivum; vox igitur *Jus* primitiva censenda erit. Si res etiam *philosophice* inspiciatur, fatendum est omne verbum, ex quo *Jus* derivetur, posterius esse jure, idque supponit; atqui illud quod supponitur logice prius est re, quae supponit, ergo *Jus* ratione ordinis prioritate praestat cuicumque vocabulo, ex quo derivatum fingi queat, ideoque primitivum habendum est.

Alii e contra asserunt ejusmodi vocem derivatam esse. Juxta Ulpianum, romanum jurisperitum, vox *Jus* ortum habet a *Justitia;* Divus Isidorus Hispalensis eam repetit ex *justus;* Raymundus Michael et Marchio a Morante in suo magno *Dictionario Latino* ex *jubendo* vel *jussu.*

Quoad vocem hispanicam *Derecho,* hoc vocabulum proculdubio derivatum est, atque, juxta Rochum Barcia in *Dictionario Etymologico,* a *directo* procedit, participio passivo verbi latini *dirigo*, quia jus est regula, norma seu via, quae hominem in suis actibus dirigit ad suum finem assequendum.

3. Vox *jus,* inquit Tapparelli, in omnibus juris collectionibus idem valet ac *rectum* vel *directum*: hinc in lingua nostra vernacula scitè et propriè usurpata est denominatio *Derecho,* ut antea diximus, quasi *norma,* vel *regula* dirigens hominem ad sui finis consecutionem.

Huic notioni atque fundamentali ideae *rectitudinis* adamussim respondent diversa nomina, quibus plurimis

gentibus diversisque linguis exprimitur jus: hanc equidem rectitudinem vel directionem a jure intentam significant, speciminis gratia, sequentia ex variis idiomatibus desumpta vocabula: צדק (TSEDEQ), hebraicè; Δικαιον (DIKAION), graecè; PRAVO, *eslavonicè;* RECHT, germanicè; RIGHT, anglicè; DROIT, gallicè; DIRITTO, italicè; DIREITO, lusitanicè; DERECHO, hispanicè.

4. At si non tantum nomen, verum etiam rem nomine significatam perpendere velimus, vox *Jus* triplici sensu usurpari solet, respectu habito sive ad personas, sive ad res, sive demum ad causam vel regulam. Prima acceptio dicitur *subjectiva* seu *formalis;* secunda *objectiva* seu *materialis;* tertia denique *efficiens* seu *legalis.*

5. Circa originem juris tam apud veteres, quam apud recentiores tria falsa systemata reperiuntur, quae leviter insinuare satis sit. Inter veteres computantur: Epicurei docentes omne jus originem ducere a delectatione et utilitate; Stoici jus tribuentes fato vel necessitati; Pseudo-politici tamquam fundamentum omnis juris admittentes pacta seu conventiones, quae tantum subditos, non vero summos imperantes cogebant. Inter recentiores, qui Utilitarii et Materialistae vocantur, tamquam fundamentum juris universalis utilitatem proclamant, quae simul etiam ex voluptate proficiscitur; Rationalistae et Naturalistae contendunt fontem omnis juris esse rationem atque naturae evolutionem; Pantheistae politici existimant quodlibet jus sive in regum, sive in populorum voluntate fulciri, sic in eos transferentes quod Dei est proprium.

In scholis autem catholicis tantum suprema Dei sapientia uti fons omnis juris agnoscitur, quia cum conditiones essentiales omnis legis sint aequitas et auctoritas, quae duplici elemento, ex quo eadem lex constat, respondent, videlicet, *rationis ordinationi et potestatis voluntati,* sub utroque respectu jus a Divina Sapientia

solummodo ducit originem et dignitatem, quandoquidem solus Deus origo atque principium omnis aequitatis et auctoritatis sit et ab ipso vim et aequitatem accipiant leges humanae.

6. Tria recensentur constitutiva et essentialia elementa omnis juris, videlicet: *subjectum* seu *persona*, *objectum* seu *res*, et *causa efficiens*, quae relationem verè juridicam gignat atque determinet.

Primo enim, nec esse nec concipi potest quodlibet jus, nisi supponatur existentia unius personae, pro qua constituatur et cui competat facultas agendi, omittendi aut aliquid exigendi, et alterius personae, contra quam exerceatur et quae obligatione agendi, praestandi vel rem aliquam tradendi teneatur. Ejusmodi duae personae vocari solent sermone juridico subjectum *activum* et *passivum* (1).

Deinde cum exercitium juris pro scopo habeat diversis et quamplurimis necessitatibus subvenire, quae nobis undique occurrunt tam in ordine physico, quam in morali, objectum juris esse debent media hisce necessitatibus satisfaciendis adaequata; sed haec media pro humanae naturae conditione vel in rebus corporeis vel in rebus juridicis posita sunt, hinc objectum juris censendum est *id omne quod facultati personarum subest ad finem rationalem obtinendum*, nimirum, *res* omnes *generice* (2) aut *specifice* (3) sumptae et *servitutes* (4) hominum inter res juridicas computatae.

(1) Persona, quatenus subjectum juris, potest esse *physica* vel *moralis*, *perfecta* vel *imperfecta*.

(2) Res *generice* sumptae dividuntur in *divinas* et *humanas*; de divinis, quae etiam apud Romanos *Sacrae*, *Religiosae* et *Sanctae* censebantur, disserunt canonistae; humanae, de quibus late agunt juristae, distinguuntur: 1.º in *communes*, *publicas*, *corporationis*, *nullius* et *particularium*; 2.º in *corporeas* et *incorporeas*; 3.º in *fungibiles* et non *fungibiles*; 4.º in *divisibiles* et *indivisibiles*; 5.º in *principales* et *accessorias*; 6.º in *singulares* et *universales*.

(3) Res *specifice* consideratae vocantur *bona* quae in potestate vel dominio hominis possunt esse, et dispesci solent: 1.º in *mobilia* et *immobilia*; 2.º *dominii publici* vel *proprietatis privatae*.

(4) *Servitutes* in varias classes numerantur; en praecipuae: 1.º

Demum, praeter subjectum seu personas correlative facultate pollentes vel obligatione ligatas, atque etiam praeter res sive objectum circa quod facultas versetur vel in quod ipsa obligatio cadat, ad constituendum jus requiritur positio actus peculiaris, quoddam factum determinatum et specialiter intentum, ex quo tamquam ex *causa* relatio juris oriatur, et veluti ex vinculo connexio subjectum inter et objectum exsurgat. Ejusmodi actus, *juridici* nuncupati, *causa efficiens* putantur omnis relationis juridicae, et ad duo genera revocari possunt, *obligationes* (1) nempe, et *contractus* (2).

7. Jus in sensu *formali* seu *subjectivo* usurpatum duas habet acceptiones: sumitur enim vel pro agendi facultate, vel pro ipsa actione aut ejusdem facultatis exercitio.

Jus *materialiter* seu *objective* spectatum triplicem significationem exprimit: accipitur 1.° *pro eo quod aequum et justum est;* 2.° *pro eo quod alteri debetur ex stricta justitia;* 3.° *pro titulo rei debitae.*

8. Jus denique sub aspectu *legali* vel *efficiente* diversimode accipitur: sumitur 1.° *pro lege,* unde locutio *Jus praecipit* vel *vetat;* 2.° *pro collectione legum,* et sic dicitur *Jus canonicum, Jus civile, Jus poenale,* etc; 3.° *pro loco* ubi leges applicantur, hinc dictio vel phrasis *Convenire in jus;* 4.° *pro codice* vel libro, in quo leges continentur, et ita dicitur *Corpus juris canonici, civilis,* etc;

---

continuae vel *interruptae*; 2.° *apparentes* vel non *apparentes*; 3.° *positivae* et *negativae*; 4.° *reales* et *personalae*. De his omnibus consuli possunt tractatores Juris civilis patrii et ipse textus Codicis civilis novissimi anno 1889 editi.

(1) *Obligationes* juridice classificantur: 1.° in *mere naturales*, *civiles* ac *mixtas*; 2.° in *puras* aut *absolutas* et *conditionatas*; 3.° in *definitas ad diem* et *indefinitas*; 4.° in *conjunctivas* et *alternativas*; 5.° in *solidarias* et *mancommunatas*; 6.° in *divisibiles* et *indivisibiles*; 7.° *cum clausula poenali* vel *sine clausula poenali.*

(2) *Contractus* in jure passim distinguuntur: 1.° in *nominatos* et *innominatos*; 2.° in *consensuales* et *reales*; 3.° in *unilaterales*, *bilaterales* et *intermedios*; 4.° in *onerosos* et *lucrativos* aut *gratuitos*; 5.° in *principales* et *accessorios*; 6.° in *transferentes dominium* vel tantum *usum*; et 7.° *bonae fidei* vel *stricti juris.*

5.° *pro sententia* judicis, quia *judex* a *jure dicendo* provenit, seu quod idem est a *juris declaratione;* 6.° pro *notitia* seu cognitione legum, hinc *jurisprudentia, jurisconsultus, jurisperitus;* 7.° pro *scientia* vel disciplina, quae de studio legum agit, inde appellationes *magistri* et *alumni Juris.*

9. Cum jus in sensu *formali,* ut nuper innuimus, dupliciter sumatur, videlicet, vel pro facultate agendi, juxta Digestum, vel pro executione hujusmodi facultatis, hinc in prima acceptione definiri potest cum Cavagnis: *Facultas moralis aliquid agendi, omittendi aut exigendi inviolabilis;* seu cum Prisco: *facultas moralis et inviolabilis, qua gaudet homo ad agendum secundum relationes humanae naturae essentiales.* In secunda vero acceptione passim definitur: *Ipsa actio omissio vel exactio cujus est facultas moralis.*

Jus *objective* sumptum definitur: *Ipsa res vel objectum in quod cadit actio, omissio vel exactio habentis facultatem;* et hoc *materiali* sensu usurpatum tres acceptiones habet, nempe, *generalem, specialem* atque *radicalem* seu originariam; inde sequentes definitiones. Jus *objective* consideratum generaliter definiri solet: *Id omne quod aequum et justum est,* hoc est, *quod est conforme dictamini rationis, legi divinae et humanae;* specialiter sic sonat: *Id omne quod alteri debetur ex stricta justitia;* radicaliter vel originarie dici potest: *Titulus rei debitae, vel ratio exactionis, aut fundamentum obligationis.*

Demum, jus *legaliter* inspectum definitur: *Ipsa lex moralis ex qua exsurgit facultas moralis seu jus subjective sumptum, sive ejusmodi lex sit naturalis, sive mere positiva, sive mixta;* at vero si pro collectione legum accipiatur jus et non tantum pro lege, tunc communiter ita describitur: *Complexus vel systema legum, quibus jura et officia alicujus societatis definiuntur.*

10. Jus *subjective* acceptum dividitur: 1.° in *innatum* et *adquisitum*; primum est, quod ipsa natura funda-

tur, v. g. jus sese defendendi; secundum, quod facto libero innititur, ex. gr. contractus, promissio: 2.° in *reale* seu *in re,* et *personale* seu *ad rem*; jus *reale* est facultas quae alicui personae competit supra rem specificam sibi ipsi immediate obligatam, quin sit subjectum passivum individualiter determinatum, a quo exigi possit; *personale* est facultas quae alicui personae competit exigendi ab altero tamquam subjecto passivo individualiter determinato impletionem cujuslibet obligationis aut traditionem rei ipsi tantum mediatè obligatae; inde jus reale, ut vulgo fertur, actionem *realem* tribuit, personale vero solummodo actionem *personalem* confert: 3.° in *activum* atque *passivum;* illud dicitur *jus agendi vel possidendi;* istud appellatur *jus sese obligandi, aut servandi rem possesam.*

Jus autem in sensu *objectivo* distinguitur in *perfectum* et *imperfectum; perfectum* vocatur, quod titulo strictae justitiae nititur, cuique respondet obligatio juridica, id est, obligatio determinata, quae vi aut coactione exigi potest; *imperfectum* nuncupatur, quod aliquo decentiae vel charitatis motivo fulcitur, et cui debetur obligatio moralis, non juridica, hoc est, obligatio indeterminata, quae, vi adhibita, minime exigi potest. Ad enucleandam clare et distincte juris perfecti et imperfecti notionem haec duo exempla adduci possunt: jus proprietatis in contractu emptio-venditionis jus perfectum putatur et reapse tale est; jus superioris ad subditorum obedientiam inter jura imperfecta enumeratur. Ejusmodi exempla sub diverso respectu explanata magnam lucem afferunt, ut omnes sensus atque acceptiones juris supra exposita et recte intelligantur et faciliter retineantur.

Postremo, Jus *legaliter* sumptum dispescitur in *aeternum, naturale* et *positivum. Aeternum,* juxta tritam S. Augustini definitionem, est: *Ratio vel voluntas Dei ordinem naturalem servari jubens et perturbari vetans; na-*

turale dicitur: *Participatio legis aeternae in creatura rationali; positivum* dici potest: *Ordinatio rationis, sive lex libera Dei aut hominis aliquid praecipientis vel prohibentis voluntate inducta.*

Jus Naturale tribuitur in *privatum, domesticum, publicum* et *gentium; privatum* est, *quo determinantur jura et officia hominis in statu naturae separatim spectati; domesticum, quo regulantur jura et officia familiae,* hoc est, societatis conjugalis, paternae et herilis: *publicum, quod, duce natura, constitutionem societatis perfectae determinat;* Jus *gentium, quo definiuntur jura et officia nationum ab ipsa natura statuta.*

Jus Positivum subdividitur in *divinum* et *humanum; divinum quod ab ipso Deo aut per Christum statutum est; humanum quod ab humana auctoritate conditum est.* Divino-positivum potest esse *antiquum* et *novum; antiquum* seu *Vetus Testamentum* aut *Lex Mosaica* triplex praeceptorum genus continebat, moralia nempe, caeremonialia et judicialia; *novum,* hoc est, *Novum Testamentum* aut *Lex Evangelica* praecepta moralia, sacramentalia et dogmatica, quibus addenda consilia.

Jus humano-positivum distingui solet in *ecclesiasticum, civile* atque *internationale; ecclesiasticum* postea singillatim explicabitur; *civile* definitur: *Jus positivum auctoritate principis vel magistratus saecularis conditum, et ad rectam reipublicae civilis gubernationem, pacem et salutem temporalem immediatè ordinatum.* Jus civiie iterum dividitur in *commune* et *particulare, publicum* et *privatum, scriptum* et *non scriptum; commune* vocatur *quod jura et officia societatis perfectae et independentis statuit; particulare quod respicit ad individua vel ad communitates subordinatas seu dependentes; publicum quod societatis constitutionem atque jura magistratuum definit; privatum quo determinantur jura et officia subditorum in ordine ad consequutionem finis societatis proprii; scriptum* dicitur *systema legum quae scriptae et promulga-*

tae sunt; non scriptum vulgo appellatur *complexus legum, quae nec in suo origine scriptae fuerunt, nec postea promulgatae,* uti traditio et consuetudo; licet non omnes jurisperiti hac de re consentiant, sensum et extensionem juris non scripti diversa acceptione sumentes, de qua controversia sequenti articulo agetur.

Praemonendum autem est nomine *Juris Civilis* simpliciter prolato venire *Jus Romanum* sive *Caesareum*, vel Leges illas, quae studio et opera Justiniani imperatoris circa annum Christi 530 in ordinem digestae, et in unum Corpus sunt collectae. Hoc Jus, sive Corpus Juris Civilis, prout modo extat, quatuor partes complectitur, nempe *Institutiones* (1), *Digesta* seu *Pandectas* (2), *Codicem* (3), et *Authenticas* seu *Novellas* (4).

Jus denique *internationale* nominatur *complexio re-*

---

(1) *Institutiones* sunt quasi compendium Juris, et prima elementa, robore tamen constitutionum Imperialium plenissimè instructae. Dividuntur in 4 libros, hi in titulos, tituli in paragraphos.

(2) *Digesta*, graece *Pandectae* a *Παν* omne et *Δεχομαι* contineo, dicuntur eo quod omnem juris doctrinam e bis mille libris veterum Jurisprudentum extractam contineant. Constant libris 50, quorum primi 24 sunt *Digestum vetus*; 14 sequentes, *Infortiatum*, forte quia in iis agitur de ultimis voluntatibus, quae Leges sunt *fortissimae*, vel quia versatur eorum materia circa *fortuitas* successiones; reliqui 12 *Digestum novum.* Dividuntur hi libri in titulos, tituli in LL., hae subinde in paragraphos citantur.

(3) *Codex* moderno Corpore Juris clausus non est primae Lectionis, sed secundae Lectionis, quem Justinianus Pandectis et Institutionibus jam editis, detractis ex priori nonnullis, et novis, suisque Constitutionibus auctum, et in 12 Libros divisum sub nomine Codicis limati, emendatique, et repetitae Praelectionis vulgavit 16 Cal. Decembr. An. Christi 534.

(4) *Authenticae* sive Liber Authenticorum, sic dictus, quod ei veluti ipsi originali fides adhibeatur: vel etiam *Novellae*, quasi jus novissimum seu novae Constitutiones, post promulgatum jam repetitae Lectionis Codicem, ab ipso Justiniano ab anno Imperii sui 7 usque 38 ejusdem, Christi 565 et laudati Imperatoris extremum, eo, quo referuntur ordine, sunt editae.

Praedictis Juris Civilis partibus addita sunt: 1.º 13 edicta Justiniani, itemque Novellae aliquot Constitutiones Justini, aliquot Tiberii, et adhuc aliquot Justiniani; 2.º 113 Novellae Constitutiones Leonis Imperatoris; 3.º Consuetudines Fundales, seu Libri Feudorum, partim ex Constitutionibus Imperatorum post Justinum in Occidente imperantium, partim ex consuetudinibus a *Gherardo Nigro* et *Oberto Orto* collecti; 4.º Extravagantes, et Liber de pace Constantiae.

gularum quibus jura et officia mutua gentium definiuntur, quatenus a consuetudine vel pactis sancitae sunt.

11. Jus naturale a positivo discriminatur: 1.° in eo quod jus naturale ipsamet Dei et creaturarum essentia fulciatur, ac proinde sit reapse et nuncupetur *essentiale,* dum positivum circunstantia mera externâ innitatur, ideoque *accidentale* denominetur; 2.° jus naturale est absolutum, immutabile et universale; positivum vero hypotheticum, mutabile et particulare; 3.° omnia quae praecipit vel jubet jus naturale, *in se* quidem bona sunt, et quae prohibet, ex natura sua sunt mala; sed non omnia quae jus positivum vetat, intrinsecè sunt mala; in tantum enim mala habenda sunt, quatenus prohibita.

ARTICULUS II.

SUMMARIUM.

12. Notio Juris *Ecclesiastici.*—13. Diversa nomina quibus internoscitur.—14. Discrimen Jus inter Civile et Ecc esiasticum.—15. Hujus praestantia.—16. Definitio.—17. Canones fidei eorumque notae.—18. Canones morum.—19. Canones disciplinae.—20. Divisio Juris Ecclesiastici.—21. Scientia Canonica.—22. Diversa methodus in tradenda hac disciplina.—23. Differentiae inter Jus Canonicum et Theologiam.—24. Utilitas et necessitas Juris Ecclesiastici.

12. Notione generali Juris, tamquam hujus tractatus praeambulo satis enucleata, definiendus modò venit germanus conceptus Juris Ecclesiastici, quod ut rite praestemus, denominationem, naturam atque praestantiam Juris Ecclesiastici primum investigabimus, deinde ejusdem divisiones et differentias trademus; praeterea aliquid de scientia canonica, ejusque institutione delibabimus; nonnulla denique, etsi leviter de utilitate et necessitate praefati Juris addemus.

13. Jus canonicum, quod idem sonat ac *jus regulare,* quia vox graeca *κανων* latine *regulam* significat, internoscitur nominibus Juris *Ecclesiastici, Canonici, Sacri, Divini*

et *Pontificii.* Dicitur *ecclesiasticum* ratione *originis* et *objecti,* quoniam et ecclesiastica potestate statutum est, et de personis rebusque ecclesiasticis agit; *canonicum,* eo quod Ecclesia mater piissima, lenitatis ac mansuetudinis spiritu ducta, suas leges nuncupare maluit canones seu regulas; *divinum,* vel quia canones sunt conclusiones ex legis divinae principiis derivatae, vel quia multis legibus divinis constat, vel quia auctoritas canones condens divina in suo origine est, utpote Petro ejusque successoribus Romanis Pontificibus a Deo directè collata; *sacrum,* tum quia auctor legum est persona sacra, videlicet ipse Christus aut Ecclesiae potestas, tum quia materia, circa quam versatur, sacra est, tum etiam quia finis, ad cujus consequutionem fideles dirigit, est sacer, qui finis in sanctificatione et aeterna animarum beatitudine situs est; *pontificium,* ut a jure Caesareo vel Civili distinguatur, insuper propterea quod pontificias constitutiones complectitur, ac praecipue quia nec est nec concipi potest lex ulla canonica absque explicatione, sanctione vel approbatione Romani Pontificis, qui veluti omnis juris fons unicus et primordialis ab universa Ecclesia haberi et coli debet.

14. Jus Civile ab Ecclesiastico distinguitur: 1.° ratione *originis,* quia civile a Deo procedit tamquam auctore naturae et humanae societatis fundamentali principio, ecclesiasticum vero a Deo etiam proficiscitur veluti auctore gratiae et ecclesiasticae societatis fundatore; 2.° ratione *objecti,* quoniam ecclesiasticum circa res spirituales ac sacras versatur, civile autem de rebus temporalibus et profanis agit; denique ratione *finis,* etenim ecclesiasticum aeternam beatitudinem respicit, dum civile primario et immediate temporalem felicitatem perficiendam augendamque curat.

15. Ex memoratis differentiis, quae inter jus ecclesiasticum et civile essentialiter vigent, triplex colligitur causa, qua Jus Canonicum longe multumque Juri

civili antecellit. Excellentia igitur atque praestantia juris ecclesiastici necessario eruitur: 1.° ex ipsa *potestate* unde manat, seu ex causa efficiente; nam, ut verbis utar doctissimi canonistae (1), "Summus Pontifex majorem habet juridictionem, et excellentiorem quam ipse Imperator. Itaque dignitas Supremi Pontificis est multo clarior et eminentior dignitate Imperatoris, quod a Deo super omnem animam constitutus est, unde idem etiam Imperator ei subjicitur. At constat, quod leges superiorum digniores sint legibus inferiorum„. 2.° Ex ipso *objecto;* enimvero, uti apposite ad rem ait Baldus (2), "tanto altiores sunt Canones, quanto Coeli sunt altiores terra, quia tantum distant Canones a legibus mundi, quantum perpetuum a corruptibili, et sacra a profanis.„ 3.° Ex ipso *fine;* nam, ut praelaudati canonistae prosequuntur, haec duo jura se habent ut anima et corpus, cum jus civile intendat in commune bonum, secundum quod convenit humanae societati; jus vero canonicum non solum secundum quod convenit humanae societati civiliter, sed etiam secundum finem in Deum intendendo, et aliam vitam expectando.

16. Ex omnibus definitionibus, quas de Jure Canonico passim apud tot tractatores hac de re agentes reperimus, nobis praeponenda videtur, utpote simplex et completissima, quae a clarissimo Cardinali Soglia in suis Praenotionibus tradita est, et ita se habet: *Complexio Canonum sive legum, fidem, mores et disciplinam spectantium, quae ab ecclesiastica potestate christianis vel praescriptae, vel propositae sunt.*

Ejusmodi definitionem explicare oportet ad rectam eorum, quae nobis exponenda erunt, intelligentiam. Dicitur primum *Complexio canonum sive legum* ad denotandum *genus* definitionis, quod quidem commune est cum caeteris juribus, nam omne jus, sive civile, sive

(1) Fortun. Garcia: *De ultimo fine utriusq. jur. num. 72.*
(2) *Lib. I, cons. 464.*

municipale, sive poenale in collectione legum situm est. Additur *canonum sive legum* ad uberiorem rei explanationem, nempe, ut significetur canones non meras regulas esse, quarum vis omnis in suadendo et monendo posita sit, sed leges propriè dictas, quibus oportet obtemperare. Reliqua definitionis verba *differentiam* exprimunt: nam hujusmodi verba *fidem, mores et disciplinam spectantium* declarant tria haec objectum esse, in quo Jus Canonicum versatur; omnes quippe Canones vel ad fidei dogmata, vel ad morum praecepta, vel ad disciplinae leges pertinent. Adjicitur *quae ab ecclesiastica potestate* ad secernendum Jus Canonicum ab aliis juribus, non solum ratione objecti, verum etiam ratione potestatis seu originis, unde manat, siquidem canones solummodo condere possunt illi, qui jus imperandi in Ecclesia ab ipso Christo acceperunt. Per illud verbum *christianis* designatur Juris Canonici subjectum; soli enim christiani Ecclesiastico Juri subjiciuntur per Baptismi receptionem et adscriptionem in Ecclesiam. Usurpantur demum haec posteriora verba *vel praescriptae, vel propositae sunt* ad discriminandas leges *positivas* quas Ecclesia pro varietate locorum, temporum et personarum condere ac praescribere, vel etiam mutare et abrogare potest a legibus alterius generis, quas, utpote a jure naturali aut divino provenientes, Ecclesia sua auctoritate proponit, vel explicat, sed eas immutare aut derogare nequit, quia perpetuae et stabiles semper manebunt.

17. Cum in praefata definitione de fidei, morum et disciplinae canonibus mentio fiat, aliquid seorsum de hoc triplici canonum genere dicendum venit.

Canones fidei seu dogmatici vocantur *illi in quibus aliquid credendum proponitur.* Ad canonem dogmaticum constituendum duo requiruntur, scilicet, revelatio a Deo facta, et Ecclesiae propositio.

Nunc vero, cum in Corpore Juris sint canones in

quibus aliquid de rebus fidei affirmatur aut negatur, ac proinde dubitari possit an ejusmodi canones simplicem affirmationem aut negationem vel potius veram Ecclesiae propositionem contineant, Melchior Canus in suo opere de *Locis Theologicis,* ad veritates fidei auctoritate Ecclesiae propositas a meris affirmationibus vel negationibus secernendas, quatuor tradidit regulas unanimi Theologorum et Canonistarum consensione receptas, nimirum, *judicium, anathema, poenam* atque *declarationem.*

1.ª *Judicium:* Si contrarium asserentes haeretici reputentur.

2.ª *Anathema:* Si in canone haec formula usurpetur: *Si quis hoc aut illud senserit, anathema sit.*

3.ª *Poena:* Si doctrinam in canone comprehensam inficiantibus imponatur ipso facto excommunicationis sententia.

4.ª *Declaratio:* Si canonis veritas explicite proponatur tamquam catholicae fidei dogma, vel doctrina contraria aperte dicatur Evangelio, aut traditioni Apostolicae opposita.

18. Canones morum appellari solent: *Illi qui versantur in exponendis explicandisque praeceptis naturalibus, quibus mores hominum informantur.* Notae quibus emicant canones ad mores spectantes, duae recensentur, videlicet, *perpetuitas* in duratione, atque *universalitas* in obligatione, et firmissimum fulcrum habent triplici potissimum capite: 1.° canones morum ex jure naturali dimanant; 2.° ipsum jus naturale per legem evangelicam perfectum et confirmatum est, nam Christus Jesus non venit solvere, sed adimplere legem, quamobrem Gratianus (1) asserere non dubitavit, *Jus naturale in Evangelio contineri;* 3.° plures ejusdem generis canones ab Ecclesia propositi et in suo Codice relati sunt; at Ecclesia in rebus fidei et morum infallibilis est.

(1) *In princ. dist.* I.

19. Canones disciplinae vocantur: *Qui spectant ad Ecclesiae politiam et sacram liturgiam, hoc est, qui versantur in regenda Christiana societate, et in ordinandis religionis actibus.* Ex hac ipsa notione liquide eruitur materiam ecclesiasticae disciplinae quatuor potissima capita comprehendere, ad quae veluti generalia principia reducuntur ea omnia, quae disciplinae ecclesiasticae objectum esse possunt.

1.° Omnes leges ad fidei puritatem et tutelam, necnon ad morum integritatem ac sanctitatem spectantes; tales sunt canones censuras et alias ecclesiasticas poenas infligentes adversus haereticos, simoniacos, sortilegos, homicidas, adulteros... etc.

2.° Leges *tempus* et *modum* implendi praecepta divina et naturalia praefinientes, cum hujusmodi circumstantiae in praecepto determinatae non sint; ita se habent canones de observantia diei dominicae, de confessione et communione paschali.

3.° Leges circa formam et organizationem cultus publici et sacrae liturgiae versantes; hujus generis sunt canones de administratione Sacramentorum, de diebus festis, de publicis precibus et supplicationibus, de locis sacris et religiosis, atque sacris ritibus et caerimoniis.

4.° Leges respicientes externam Ecclesiae politiam, id est, sui regimen et gubernationem; cujusmodi sunt canones de electionibus, de institutionibus, de vita et honestate clericorum, de judiciis, aliisque similibus titulis.

Nota propria et peculiaris canonum disciplinarium est *mutabilitas,* sed non adeo absoluta, ut omnia Disciplinae capita mutationem subire queant. De charactere essentiali et elemento constitutivo Ecclesiasticae Disciplinae, utpote re maximi momenti, infra speciali articulo disseremus. Nunc praenotare sufficit canones disciplinares, generaliter et regulariter loquendo, variationi esse obnoxios; attamen sunt quaedam disciplinae capita,

videlicet, *divina, dogmatica,* vel *fundamentalia,* quae omnimoda immutabilitate gaudent, et perpetua firmitate semper fruentur.

20. Jus Ecclesiasticum dividitur ratione *objecti, originis, extensionis* et *temporis.*

1.° Ratione *objecti,* distinguitur in *publicum* et *privatum; publicum* passim definiri solet: *Complexus legum, quibus totius Ecclesiae ejusque rectorum jura et officia determinantur; privatum* vero: *Complexus legum, quibus singula societatis christianae membra diriguntur ad finem assequendum.* Publicum subdividitur in *internum* et *externum: internum* est: *Illud quo constituitur Ecclesiae regimen, et determinatur potestas hierarchica; externum* autem nominatur: *Illud quo relationes Ecclesiae et societatis civilis regulantur.*

2.° Ratione *originis,* in *divinum, humanum, scriptum* et *non scriptum: divinum* dicitur: *Jus quod ab Ecclesia proponitur tamquam a Deo traditum; humanum: Illud quod statuitur auctoritate Ecclesiae; scriptum: Illud quod directe procedit a legislatore, quamvis nunquam scribatur; non scriptum: Illud quod directe procedit a populo et indirecte a legislatore, quamquam postea scriptum sit.* Ad praefiniendam juris *scripti* vel *non scripti* naturam duplex sententia apud canonistas habetur, attendentes alii ad promulgationem legis, alii vero ad originem spectantes; nos secundam sententiam amplectentes tantum originem respicimus, ac proinde traditionem uti scriptam consideramus, solamque consuetudinem veluti jus non scriptum putamus.

3.° Ratione *extensionis,* in *commune,* et *particulare* seu *locale: commune* nuncupatur: *Illud quod regit omnes Christi fideles, vel vniversam Ecclesiam, vel omnia membra alicujus ordinis, v. g. monachos; particulare: Illud quod statuitur pro aliqua parte Societatis christianae.*

4.° Ratione *temporis,* in *antiquum, novum* et *novissimum: antiquum* juxta plerosque, illud est quod leges

ab initio Ecclesiae usque ad saeculum XII editas continet; *novum* seu *medium* comprehendit leges a Decreto Gratiani usque ad Concilium Tridentinum conditas et in libris Decretalium insertas; *novissimum* canones Concilii Tridentini legesque postea sancitas complectitur.

Juxta Jansenianos Jus *antiquum* ab exordio Ecclesiae incipit et ad collectionem Isidorianam (saec. IX) desinit; *novum* usque ad Concilium Tridentinum pervenit; *novissimum* ad nos usque. Hanc divisionem utpote falsam et Ecclesiae Catholicae Romanisque Pontificibus injuriosam rejicimus.

Recentiores canonistae sub nomine juris *antiqui* intelligunt leges ab Ecclesiae initio usque ad Tridentinam Synodum latas; sub appellatione *novi* complectuntur omnes leges a Tridentina Synodo usque ad finem saeculi XVIII evulgatas; *novissimum* vero intra limites saeculi XIX et fortasse ultimae decadae XVIII coarctant. Quidquid sit de hac partitione *practice* et *didactice* spectata, non ita firma atque certa *historice* et *scientifice* nobis videtur; sed cum recta mente et ratione claritatis excogitata sit, cuilibet liceat pro suo lubitu illam admittere vel respuere.

21. Scientia Canonica definiri potest: *Disciplina quae agit de Sacris Canonibus, ut status socialis Ecclesiae melius internoscatur, et jura atque officia tum magistratuum, tum populi christiani rectius definiantur.* In dubium revocari nequit hanc Disciplinam seu studiosam canonum investigationem nomine *verae scientiae* nuncupari posse, quandoquidem principiis et conclusionibus constat, quae ad scientiam proprie constituendam desiderantur: principia sunt veritates naturales et revelatae quibus canones innituntur, et vix aut ne vix quidem recenseri queant, cum sint fere innumerae; jam vero, ex tot tamque firmissimis principiis per ratiocinationem derivantur certissimae conclusiones, in quo equidem genuina omnis scientiae natura et essentia sita est.

Finis Scientiae Canonicae in eo consistit, ut inquirat, illustret atque exponat *naturam*, *historiam* et *rationem* Juris Ecclesiastici, ad statum Ecclesiae ita melius internoscendum, juxta priora definitionis verba.

Objectum hujus Scientiae versatur, prout ex postremis verbis definitionis eruitur, circa Jus Ecclesiasticum, tam Publicum, quam Privatum, omnibus legibus canonicis retro saeculis editis applicando illud singulare atque diligentissimum *inquisitionis, illustrationis* et *expositionis* studium, praecipuum et praestantissimum scopum hujusmodi nobilissimae scientiae.

22. Duo praecipuae methodi in tradendo Jure Canonico servatae sunt, scilicet, *praedeterminata* et *libera:* altera in eo consistit, quod Jus secundum textum Decretalium seu Codicem communem exponatur; altera vero in explicando Jure juxta subjectivum criterium uniuscujusque auctoris vel professoris.

Canonistae qui methodum praedeterminatam sunt sequuti in duas classes distingui solent, Tractatores nempe *(Tratadistas)* et Explanatores *(Glosistas)*: Explanatores dicuntur, qui tantummodo brevia commentaria seu potius annotationes ad textum apponunt; Tractatores autem nuncupantur, qui ad singulas Juris partes speciales tractatus adjiciunt *monographias* frecuentèr appellatos. Inter Tractatores eminet eruditissimus et insignis Berardi.

Sed ad rem melius enucleandam monendum est triplicem methodum in expositione Juris usitatam fuisse, videlicet, *practicam, historicam,* atque *rationalem* seu *philosophicam,* quae quidem methodi, in epocha sive periodo Decretalium, *dogmatica, historica* et *exegetica* vocabantur. Usque ad Concilium Tridentinum canonistae, generaliter loquendo, methodo practica usi fuere; sed post Tridentinae Synodi celebrationem, ob innumeras et gravissimas intrusiones protestantismi, jansenismi ac regalismi in rebus ad ecclesiasticam potestatem

spectantibus, fere omnibus Juris studiosis visa est melior et tutior methodus mixta; hodièdum igitur, rite perpensis adjunctis et praesupposito legislationis ecclesiasticae actuali statu, observare oportet methodum, ut ita dicam, *ecclecticam,* quae cuncta capita et regulas apud antiquiores usitatas complectatur, simul exponendo tum legis dispositiones (ordo *practicus),* tum canonum originem et vicissitudines (ordo *historicus),* tum denique juris fundamentum et rationem, ac praesertim ejusdem consonantiam cum vera idea et genuino Ecclesiae conceptu (ordo *philosophicus).*

Nam si quaelibet methodus seorsum adhibeatur, facile erit in errorem valde perniciosum labi cum magno rectae fidei, veritatis historicae et sanae critices detrimento, uti evenit jansenianis, qui, methodo historica abutentes, omnia in Ecclesia, nempe, vitam, mores, cultum, pietatem et disciplinam subjicere voluerunt tempori determinato, quod vocem usque in coelum extollendo *auream Ecclesiae aetatem* nuncupant. Ita etiam a veritatis et justitiae semita aberrarunt gallicani et regalistae, et hodie adhuc misere et luctuose aberrant profitentes sectam *liberalem* vulgo dictam, qui omnes arbitraria methodo philosophica fulti, proficiscuntur ab idea Ecclesiae praeconcepta, omnino falsa, quae individuali criterio et praepostera mente inducta vel ficta est ad subjectivas theorias stabiliendas et propalandas, sed minime divinae naturae et fundamentali constitutioni societatis a Christo fundatae cohaeret atque respondet.

23. Jus canonicum a Theologia Dogmatica et Morali *historicè* et *logicè* discriminatur, hoc est, tum ratione *originis,* tum ratione *objecti: historicè* seu ratione *originis,* quia ejusmodi disciplinae, utpote scientiae distinctae et separatae diversa aetate ortum habuerunt; siquidem Theologia positiva certe usque ad exordium christianae religionis et maximè ad Sanctorum Patrum

epocham assurgit; Jus vero Canonicum XII saeculo ac Publicum XVIII jam satis dimidiato incipiunt.

Logice seu ratione *objecti,* quoad *finem* et quoad *modum* differunt: quoad *finem,* nam Theologia Dogmatica de fide rebusque divinis agit, *ut regulam credendi statuat;* Jus autem Canonicum, *ut regulam agendi constituat,* cum multae sint disciplinae leges, quae a fidei regulis ita pendent, ut credendi regula regulam agendi constituat: quoad *modum,* etenim Theologia de veritatibus divinis *speculative* disserit, id est, demonstrando, discutiendo, investigando, refellendo, dum Jus Ecclesiasticum de hisce veritatibus pertractat custodiendo, propagando, et in actum seu usum perducendo; hinc est quod Boetius et Alvarus Pelagius Jus Canonicum *Theologiam rectricem* aut *directivam* et *practicam* vocant.

Theologia Moralis a Jure Ecclesiastico distinguitur ratione *subjecti, objecti* et *fori:* ratione *subjecti,* Theologia enim Moralis fideles respicit ut homines, qui seorsim et naturalitèr spectati obtemperare tenentur aeternis moralitatis principiis, Jus vero Canonicum homines etiam collective atquè religiose considerat, tamquam membra communitatis christianae: ratione *objecti,* quandoquidem Theologia Moralis circa fidelium actiones, nempe circa virtutes omnes ac vitia versatur *ex motivo generali bonitatis vel malitiae;* at Jus Canonicum easdem actiones quoque respicit *ex motivo speciali officiorum, quae in societate ecclesiastica obeunda sunt:* ratione *fori,* quoniam Theologia Moralis spectat primario ac praecipue forum internum; Jus Eclesiasticum forum externum maximè intuetur.

Extat etiam et alia differentia communis inter Sacram Theologiam et Ecclesiasticum Jus, scilicet, quod neutra Theologia, nec Dogmatica, nec Moralis omnes Juris Canonici partes complectatur.

24. Demum, reliquum est ostendere Juris Canonici studium perutile, immo etiam valde necessarium tum

clericis, tum *laicis* de rebus juridicis agentibus, quod quidem pluribus rationum momentis evinci potest. In primis enim Juri Ecclesiastico incumbere tenentur *clerici*, sive *generaliter*, sive *speciatim*, sive *specialissime* spectentur:

1.° Necessaria est Juris Sacri notitia omnibus clericis, quia ejusmodi studium atque cognitionem ineluctabilitèr postulant *scientia, status, ministerium* atque *praeceptum*.

Scientia. Cum Jus et Theologia arctissimo vinculo et mirabili consortio usque ad saeculum XII conjuncta fuerint, atque etiam post hanc aetatem, segregatione in ordine scientifico facta, cum adhuc intima connexione ejusmodi disciplinae ita copulentur ut nullo modo divelli queant, ne quis clericus poterit perfectus esse theologus, quin canonicam Ecclesiae legislationem distinctè cognoscat; eapropter celeber Pignetelli asserere non dubitavit: "indignum esse nomine theologi, qui jus canonicum non perfecte cognoscit, quia est pars quaedam Theologiae, et quidem excellens et practica"; et clarissimus Berardi subdit: "theologus sine Canonibus est tantum semi-theologus, et canonista sine Theologia est etiam semi-canonista."

Status. Clericus enim, qui canones *de vita et honestate* in III Decretalium contentos, et decreta *de Reformatione* a Tridentina Synodo edita, nesciat, neutiquam exactam sui status notionem attinget, neque sanctitatem, quae ipsi incumbit propter sublimem sacerdotii vel clericatus dignitatem, unquam assequetur.

Ministerium. Omnibus equidem patet clericos functiones sui altissimi muneris rite exercere et Sacramenta digne et fructuose conficere ac ministrare minime posse, nisi Ecclesiae leges his super rebus nobilissimis, atque suapte natura adeo praestantissimis, aperte sciant.

Praeceptum. Enimvero plures adduci possunt sta-

tuta et documenta, quae scientiam Juris praescribunt. Summus Pontifex S. Caelestinus indubitanter edixit: *Nulli sacerdotum liceat canones ignorare* (1). Concilium IV Toletanum, sub S. Isidoro Hispalensi Praeside, studium canonum his verbis praecipit: *Sciant igitur sacerdotes Scripturas Sanctas et Canones, ut omne opus eorum in praedicatione et doctrina consistat, atque aedificent cunctos tam fidei scientia, quam operum disciplina* (2). Nostris autem temporibus magnus Pontifex Pius IX Episcopis Galliae commendavit ut, in restauratione studiorum pro Seminariis Majoribus dictis perficienda diligentissima cura cathedras Juris canonici erigerent, quae quidem dispositio servata atque adimpleta est in Conciliis Provincialibus. Denique Maximus Pontifex Leo XIII, quo sospite fruimur, in decreto per Sacram Studiorum Congregationem nuper edito (3) pro novo studiorum regimine in Seminariis Generalibus Hispaniae, quae vulgo *Centralia* nuncupantur, statuendo, expresse praescribit praeter Facultatem Juris Canonici cathedram specialem *de Institutionibus Canonicis* in Facultate Sacrae Theologiae creari.

2.° Studio Juris Ecclesiastici speciali modo curam impendere debent parochi seu clerici qui regimini animarum intendunt, tum ad implenda officia sui muneris pastoralis juxta Ecclesiae normam ac regulas praescriptas; tum ad conflictus utriusque jurisdictionis vitandos; tum denique ad solvendos casus qui in materiis *mixtis* obvenire possunt.

3.° Postremo, notitia perfecta Juris Ecclesiastici prae omnibus clericis necessaria censenda est illis, quibus jurisdictio ecclesiastica commissa est tamquam Epis-

(1) *Epist. III, cap.* 1.
(2) Can 25.
(3) Hoc Decretum in forma *Instructionis* jussu Sanctissimi Pontificis Leonis XIII Sacra Studiorum Congregatio sub die 30 Junii anni 1896 misit ad Episcopos Ecclesiarum Hispaniae, in quibus Seminaria *Centralia* jam ab anno 1852 collatis consiliis erecta fuerant.

coporum Auxiliaribus in exercitio jurisdictionis, sive voluntariae, sive contentiosae, cujusmodi sunt Provisores, Vicarii Generales, Fiscales, Doctorales, aliique non pauci Curiam Ecclesiasticam constituentes.

Sed non tantum clerici, verum etiam *laici* alto magistraturae exercitio vel nobili advocatiae professioni dediti Jus Canonicum addiscere et internoscere tenentur, et hoc triplici potissimum de causa: 1.° ut distinguere valeant negotia, quae Ecclesiae competunt, ab iis quae potestati civili incumbunt; 2.° ad solutionem juridice practicam inveniendam in plurimis quaestionibus, quae tantummodo juxta Ecclesiae praescriptiones tractari atque dirimi queunt, cujusmodi ex. gr. sunt causae circa sponsalia, divortia, nullitatem matrimonii vel professionis religiosae, beneficia, juspatronatus, cappellanias, aliaque id genus; 3.° quia adest intima et stricta analogia inter jus civile et ecclesiasticum, nam ut ait Lucius Papa III: *Sicut leges* (civiles) *non dedignantur sacros canones imitari, ita et sacrorum statuta canonum Principum constitutionibus adjuvantur* (1); quamobrem Schmalzgrueber Jus Canonicum appellat *annullum, quo jus civile cum religione connectitur* (2).

Vi hujus analogiae, cum jus civile obscuritatem aliquam vel deficientiam praesefert, explicari debet secundum legem canonicam, praesertim quando de processibus judicialibus agitur, in quibus fere omnes Codices nationum Europae ordinem et methodum processalem Decretalium describentes, legislationem Ecclesiae sequuti sunt.

---

(1) *Cap. I de novi oper. nunciat.*
(2) *Jus Eclesiasticum, Dissert. prooemialis, parag. 7.*

ARTICULUS III

SUMMARIUM

25. Notio Juris *Practici.*—26. Disciplina Ecclesiastica.—27. Vocis etymon.—28. Quid in sensu latiori significet.—29. Quid in sensu stricto.—30. Ratio nominis.—31. Disciplinae objectum, finis, praestantia et utilitas.—32. Praecipue divisiones.—33. Nova partitio in Disciplinam *internam* et *externam.*—34. Hujus distinctionis diversa interpretatio et sensus.—35. An admittenda vel rejicienda sit haec postrema et celeberrima distinctio.—36. An sit discrimen sub ratione scientiae inter Disciplinam Ecclesiasticam et Jus Canonicum.

25. Sub nomine Juris *Practici* adimpletionem et observantiam canonum intelligimus, nempe, Ecclesiasticam Disciplinam, quae ordinem in regimine spirituali fidelium gignit, clericalem hierarchiam in functionibus sacris regulat, uniformitatem rebus liturgicis tribuit, atque Ecclesiae nitorem et pulchritudinem ostendit.

Praemonere oportet hanc praestantissimam scientiam in novissima Instructione pro instaurandis studiis in Seminariis Hispanicis, quae *Centralia* nuncupantur, a Sacra Studiorum Congregatione die 30 Junii anni 1896 edita, suppressam fuisse. Fatemur equidem exiguum nostrum ingenium minime assequi rationum momenta, quibus fulcita praelaudata Congregatio hujusmodi scientiae studium e medio sustulit, nomine etiam deleto in duplice facultate tum Sacrae Theologiae, tum Juris Canonici, auctoritate Pontificia nuper erecta; sed, quamvis plane ignoremus quibus de causis haec innovatio facta sit, palam et spontanee declaramus nos statuta hujus S. Congregationis atque caeterarum Romanarum Congregationum toto corde amplecti, et quibuscumque Sanctae Sedis ordinationibus sincero animo et usque in mortem, Deo adjuvante, esse obsequuturos. Hanc declarationem liberrime praemittimus, ut omnibus pateat qua mente ducamur ad praesentem de Ecclesiastica Disciplina disceptationem aggrediendam; absit a nobis stultum propositum defficientias supplendi vel opus sa-

pientissimorum Patrum Cardinalium corrigendi; quod si levissimas notiones hac super re tradere cogimur, triplici solidissimo fundamento innitimur.

1.° A saeculo XVI, quo coepit haec scientia excoli et divulgari, propter Protestantium diatribas et oppugnationes, quamplurima de Disciplina opera edita sunt (1); exinde opportunum judicamus aliquas praenotiones disciplinares edere, ut Juris Canonici tyrones pleniorem ejusmodi operum intelligentiam consequantur. 2.° Traditio Hispaniae, in Scholis Ecclesiasticis perpetuo (2),

(1) Speciminis gratia, sequentem indicationem bibliographicam subjicimus:

Pro Disciplina *Generali* consuli possunt: Ludovicus Thomassinus.—*Vetus et Nova Ecclesiae Disciplina in tres Partes seu Tomos distributa*, Venetiis, edit. 3.ª Italica, 1752; Aurelius Pelliccia.—*De Christianae Ecclesiae primae, mediae et novissimae aetatis Politia*, in quatuor tomos distributa, Matriti, 1794; Laurentius Selvagius.—*Antiquitatum Christianarum Institutiones*, in quatuor Libros tributae, Patavii, edit. 1.ª 1776; Lucius Paleotimus.—*Antiquitatum sive Originum Ecclesiasticarum Summa*, Augustae Vindelic., 1767; Abbas F. Antonius Zaccharias. —Fere omnia opera, at praesertim.—*Anti-Febronius*, 1768; *Anti-Febronius vindicatus*. 1771; *De rebus ad historiam atque antiquitates Ecclesiae pertinentibus Dissertationes latinae*, Tomi duo, 1781; *Doctrine false et erronee sopra la due podestâ*, 1783; *Lasciamo star le cose come stanno*, 1787; *Comandi chi puó, ubbidisca chi dee*, 1788.

Pro Disciplina *Hispanica:* Paulus a Sancto Nicolao.—*Antigüedades Eclesiásticas de España*, Matriti, 1725; Julianus Caparrós.—*Disciplina Eclesiastica General del Oriente y Occidente, Particular de España y Ultima del Santo Concilio de Trento*, tomi duo, Matriti, edit. 2.ª, 1847. P. M. Fr. Emm. Villodas.—*Ecclesiasticarum Antiquitatum ad juventutis institutionem Synopsis*, Matriti, edit. 1.ª latina. 1829; Joannes Michael Ximena, Presbyterus. —*Historia y Disciplina particular de la Iglesia de España*, tom. 4; Eleutherius Juantorena —*Catecismo Disciplinar*, Matriti, 1843; Gregorius Medina.—*Synopsis Ecclesiasticae Disciplinae*; Vincentius de La Fuente.—*Ecclesiasticae Disciplinae Praelectiones*, Volumina duo, Matriti, 1883; Illmus D. Franciscus Gomez Salazar et Dr. D. Vincentius de La Fuente, qui opus omnium locupletissimum typis edidere sub titulo.—*Lecciones de Disciplina Eclesiástica General y Particular de España*, Tomi duo, edit. 5.ª Matriti, 1894

Dr. D. Joachim Aguirre, in Universitate Centrali professor, edidit opus, cui titulus.—*Curso de Disciplina Eclesiastica General y Particular de España*, in quatuor Tomos distributum. Editio 2.ª prodiit Matriti, 1858. Ejusmodi opus quidem doctrina, methodo ac eruditione praestat; sed quamplurimis erroribus scatet propter nimiam atque effrenam auctoris propensionem in regalismum; quare summa cum cautela legendum est, ne praepostera idea de institutionibus et rebus ecclesiasticis habeatur.

(2) In Seminariis Ecclesiae Hispanicae non solum docebatur Dis-

et in Universitatibus ad recentiora usque tempora (1) servata, postulare videtur mentionem saltem historicam, ne in oblivionem prorsus decidat disciplina, quae omnium plausu et unanimi consentione instituta, tradita et perpolita fuit. 3.° In exponendo Jure Canonico plures exsurgent quaestiones ita cum Ecclesiastica Disciplina connexae, ut, insciis primariis hujus scientiae elementis, vix aut ne vix quidem solvi possint.

26. Diximus a saeculo XVI studia Ecclesiasticae Disciplinae profecta esse, nam, licet monumenta antiquitatis aliquotiès hanc vocem sensu, quo nunc accipitur, usurparunt, veluti Tertullianus (saec. III) in Libro de *virginibus velandis,* cujus verba postea proferemus, et Concilium Bracharense I (saec. VI), in quo, postquam errores Priscilianistarum 17 canonibus dogmaticis damnassent Patres, 22 canones ad disciplinam spectantes condidere ita concludentes: *Instituta sanctorum patrum.... etsi non omnia, certe vel pauca quaedam, quae ad* INSTRUCCTIONEM CLERICALIS DISCIPLINAE *pertinent, relegantur;* quamvis insuper post evulgatam Gregorianam collectionem Decretalistae disciplinae variationes circa matrimonii impedimenta, ecclesiastica beneficia aliaque capita annotarunt; tamen Disciplina, ut corpus speciale doctrinae quadam methodo expositae, tamquam complexus principiorum et conclusionum, paucis ver-

ciplina Generalis in facultate Sacrae Theologiae simul cum Ecclesiastica Historia, verum etiam pro tertio Juris Canonici anno et postremo Theologicae curriculo, ex Decreto collatis consiliis die 28 Septembris anni 1852 dato ad Seminariorum studia uniformiter comparanda, praecipiebatur explicitis verbis.—Disciplina del Concilio de Trento y particular de España, conforme á los Concilios y Concordatos.

(1) In Universitatibus vero, post varias vicissitudines, Disciplina Ecclesiastica tradita fuit usque ad annum 1883, in quo decretum est alumnos Juris Civilis pro unico tantum curriculo Institutionibus Juris Canonici incumbere. Melius fuisset, studium Juris Canonici omnino tollere, prouti factum est quoad Theologiam, quae Decreto die 21 Maii anni 1852 edito ab Universitatibus exulata est, quam Jus Canonicum ad annum redigere, quod quidem aptissimum nobis videtur ad confusionem gignendam, omniaque, sive humana, sive divina, indiscriminatim miscenda.

bis, velut scientia peculiaris, occasione errorum, calumniarum ac machinationum, quas Reformatores adversus veram Christi Ecclesiam moliti sunt, aetate novissima, proprié orta est.

Et sane, sicut saeculo XII incipit nova epocha culturae atque evolutionis pro scientiis, tum profanis, tum ecclesiasticis; laici enim, ingenio illius aetatis codicibus amalphitanensibus instigato indulgentes recolere caeperunt Jus Civile, Philosophiam ac Medicinam; clerici vero, editis opera Eugenii III et diligenti studio S. Bernardi, ejusdem magistri, Lombardi *Sententiis,* Gratiani *Decreto* et Commestoris *Historia,* Sacrae Theologiae, Juri Canonico et Ecclesiasticae Historiae totis viribus incumbere studuerunt: ita etiam, oborto Protestantismo, quatuor disciplinae ecclesiasticae, et quidem praestantissimae, originem habuerunt vel saltem magnam provectionem obtinuere, nempe, Exegetica, Apologetica, Archaeologia et Disciplina, quae quadruplici phasi aut aspectui nefastae Reformationis mirifice respondent.

Interpretatio privata Sacrae Scripturae libero examine fulcita, novam scientiam *exegeticam* genuit, cujus perenne monumentum semper erunt pretiossisima *Commentaria* Cornelii a Lapide; *impugnatio* dogmatum, quae religionis catholicae fundamentum constituunt, ansam dedit scientiae *apologeticae,* cujus armamentarium locupletissimum in *Controversiis* Bellarmini reperitur; *accusationes* systematicae, quas Mosshemius et Centuriatores Magdeburgenses, monumentis totius antiquitatis undique conquisitis, congessere, studia *archaeologica* et *historica* in magnam lucem et altiorem progressum extulere, uti ostendunt celeberrimi *Annales* Caesaris Baronii; denique *falsificatio* et *adulteratio* codicum, canonum, inscriptionum, omnisque generis documentorum, eo fine orsae, ut e medio tolleretur et funditus rueret, si possibile esset, identitas ac indefectibilitas Ecclesiae Catholicae, compulit legislationem omnium saeculorum

investigare, conferre et explanare, ut ordo ab Ecclesia in suis institutionibus et regimine diversis temporibus servatus plena claritate eluceret, atque ita ortum habuit *Ecclesiastica Disciplina,* de qua testimonium adeo luculentum et ineluctabile nobis reliquerunt Tridentini Patres in Decretis de *Reformatione.*

27. *Disciplina,* si vocis etymon spectemus, a *discendo* derivatur, sicut *doctrina* a *docendo;* unde ideam obedientiae, subjectionis et dependientiae in ipso primaevo conceptu includit, quemadmodum doctrina suapte natura imperium, auctoritatem ac superioritatem denotat.

28. Si vero rem nomine significatam attendamus, Disciplina duplici sensu usurpari potest, *lato* videlicet et *stricto:* improprie sumpta, hoc est, latiori sensu triplicem habet significationem: 1.° sumitur pro quolibet *statuto, lege, canone* vel *ordinatione;* 2.° pro *observantia* vel *infractione* legum ecclesiasticarum, et sic dicitur disciplinam *in vigore* esse aut *relaxatam* ejusdemque *nervum* disruptum; 3.° pro quacumque *praxi, institutione* vel *usu* ecclesiastico legitime inducto et in aliquo regno, peculiari ecclesia seu determina dioecesi vigente, et ita in nonnullis quaestionibus, rebus vel consuetudinibus adduci solent hae vel illae dispositiones servandae juxta disciplinam Hispanicam, Gallicam aut Germanicam, Hispalensem, Rhemensem aut Mediolanensem.

29. Disciplina sensu stricto seu propriè sumpta, triplicem etiam acceptionem continet, etenim usurpari potest ejusmodi vocabulum *efficienter, effective* et *logice.* 1.° Accipitur *efficienter* seu quod idem est, pro *causa* aut complexu legum, et tunc definiri potest: *Collectio regularum quas Ecclesia diversis temporibus in suo regimine practico pro omnibus Christi fidelibus instituit ad animarum sanctificationem;* 2.° accipitur *effective* seu pro *efectu* aut ordine et uniformitate, et sic definitur: *Ordo ab Ecclesia in suo regimine diversis temporibus institutus circa*

personas et res ecclesiasticas, ut fideles, mediis a Christo praeordinatis, justificationem et gloriam consequantur; 3.° accipitur *logice* seu pro *scientia* aut speciali studio, et sub hac postrema significatione passim venit: *Scientia quae agit de legislatione practica, pro diversis temperum et locorum adjunctis ab Ecclesia praescripta vel proposita, in sua externa politia et sacra liturgia, ad animarum sanctificationem, fidei ac morum integritatem, vitae aeternae consecutionem et Regni Dei in terris propagationem.* Per verba *Scientia quae agit* genus constituitur; voce *legislatione* Disciplina a Theologia Dogmatica et Morali discriminatur; vocabulo *practica* notatur differentia quae inter Disciplinam et Jus Ecclesiasticum, sive Publicum, sive Privatum, viget; additur in definitione *pro diversis temporum et locorum adjunctis* ad characterem Disciplinae generatim mutabilem determinandum; dicitur *ab Ecclesia,* ut significetur origo, auctoritas et vis Disciplinae; adjicitur *praescripta vel proposita,* ut ita Disciplina mere Ecclesiastica a Divina distinguatur; verba *in sua externa politia et sacra liturgia* objectum hujus scientiae exprimunt; postrema pars *ad animarum sanctificationem,* etc., finem proximum et remotum, tum *directum,* tum *indirectum* declarant.

30. Ecclesia suam legislationem practicam *Disciplinam* aptissime nuncupat duplici potissimum ratione: 1.° quia ejusmodi denominatio constitutioni hierarchicae societatis christianae mirifice respondet, quae tamquam societas inaequalis et juridicè perfecta, ex positiva divini sui Fundatoris voluntate, duplici personarum genere constat, nempe, Pastoribus, Magistris aut Rectoribus, quibus altissimum pascendi, docendi et regendi munus commissum est; atque fidelibus, discipulis seu subditis, qui dirigi, doceri, et obtemperare tenentur Magistratibus ecclesiasticis, praesertim vero Romano Pontifici, Christi in terris Vicario, supremo Pastori, Episcoporum Episcopo, et omnium christianorum Patri ac

Doctori: 2.° quia nomen *Disciplina* indolem atque naturam legislationis ecclesiasticae perfectè definit, quae tota sita est in benignitate, mansuetudine et charitate, ut, mediis suavissimis exhortationis, consilii ac persuasionis adhibitis, bonum spirituale fidelium, finem ejus proprium, recte assequatur; dum e contra legislatio civilis cujus primarius scopus in temporali hominum felicitate fovenda et publica tranquillitate custodienda consistit, vi, rigore, et coercitione uti cogitur. Non tamen ex dictis eruitur, uti falso colligere nisi sunt janseniani, Ecclesiam potestate coactiva carere, qua quidem jure divino semper potita est; licet quovis tempore summa charitate et mira lenitate eam exercuit, bono spirituali animarum maxime intendendo, unde illa aurea sententia S. Bernardi: *quod institutum est propter charitatem, non est exercendum contra charitatem.*

31. Cum objectum circa quod unaquaque scientia versatur, in *materiale* et *formale* distingui valeat, Disciplina tamquam objectum *materiale* investigandas atque dilucidandas curat omnes leges et ordinationes pro regimine Ecclesiae statutas, sive seorsim spectatas, sive in codices collectas, veluti objectum *formale* respicit res omnes *religiosas*, sub hac universali et latissima denominatione complectens *omnia quae directe vel indirecte ad fidelium sanctificationem conferunt.*

Finis Disciplinae, uti nuper innuimus, *immediate* consistit in animarum sanctificatione, *mediate* seu *remote* in aeternae vitae assequutione.

Praestantia atque excellentia hujus nobilissimae scientiae multiplici argumentorum genere demonstrari potest; brevitatis causa, aliqua tantummodo in medium proferemus: 1.° Disciplina jure meritoque tamquam expressio practica dogmatis et propugnaculum fidei habenda est, idcirco Pius VI in Bulla Dogmatica *Auctorem Fidei* eam decretoriis verbis nuncupat *Sepimentum fidei et firmissima tutela, quippe quae sacro dogmati adhaereat;*

2.° ipsa est fulcimentum, defensio atque securitas ordinis, harmoniae et unanimitatis in Ecclesia, suum cuique clerico locum tribuens, officia praescribens, ac modum eadem adimplendi definiens juxta gradum hierarchicum unicuique a Deo assignatum; 3.° omni tempore extitit, et adhuc extat semperque erit medium tutissimum traditionis, alveus purissimus doctrinae majorum, monumentum vere ineluctabile antiquitatis et praxis christianae; 4.° haec ornatissima scientia veluti speculum nitidissimum nobis mirifice repraesentat Ecclesiae catholicae naturam et constitutionem, vitam et organizationem, pulchritudinem atque indefectibilitatem; 5.° ipsa demum limites statuit, quibus Sacerdotium et Imperium subjici debent, ut competentia potestatis, sive ecclesiasticae, sive civilis recte definiatur, et collisiones atque conflictus inter utramque jurisdictionem vitentur.

Quoad *utilitatem*, ejusmodi scientiae studium Theologi, archaeologi, historici et canonistae summopere interest: *Theologis*, maximum commodum et pretiosa adminicula praestat pro vindicandis Ecclesiae dogmatibus argumentis ex professione practica fidei depromptis; *archaeologis* lucem praebet pro explicandis fere innumeris modificationibus, quae longo saeculorum tractu in evolutione artis christianae factae sunt circa monumenta, utensilia et indumenta sacra cultui publico dicata; *historicis* validissima praesidia suppeditat pro pluribus factis et eventibus religione connexis pragmaticè et criticè narrandis; *canonistas* demum maxime juvat pro ecclesiasticis legibus exponendis, et canonum origine, natura et vicissitudine investigandis.

32. Disciplina dividitur: 1.° ratione *originis*, in *divinam*, *apostolicam* et *ecclesiasticam*; *divina* quae a Christo Domino instituta est, ex. gr., ea omnia circa Ecclesiae constitutionem post resurrectionem Apostolis tradita, *apparens eis et loquens de Regno Dei* (1), praecepta de

(1) *Act. Apost. cap. 1, v. 3.*

Sanctissima Eucharistia, et Matrimonio a Divo Paulo promulgata, *Iis qui matrimonio juncti sunt, praecipio non ego sed Dominus uxorem a viro non discedere* (1) *Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis* (2): *apostolica* quae ab Apostolis tamquam Rectoribus Ecclesiarum et non Juris Divini aut Evangelii Promulgatoribus statatuta fuit, v. g. abstinentia a sanguine et suffocato, agapae, mulierum in templis velationes, etc.: *ecclesiastica* quae a Romano Pontifice Petri successore pro tota Ecclesia vel ab Episcopis Apostolorum Succesoribus, sive seorsim, sive in Conciliis pro suis dioecesibus sancita est: 2.° ratione *firmitatis* in *mutabilem* et *immutabilem*; *mutabilis* quae immutari, relaxari, atque etiam contrariis legibus vel moribus abrogari potest, uti diversa forma in electione Episcoporum servata; *immutabilis* quae nec derogationi, nec abrogationi obnoxia est, sed perpetua et inviolata manere debet, sicut jejunium quadragesimale; 3.° ratione *durationis*, in *perpetuam* et *temporalem* seu *oeconomiae; perpetua* quae semper servanda erit, prout templorum dedicatio, forma consecrationis, fractio hostiae lectio, S. Scripturarum, apparatus sacrorum ministrorum, aliaque multa id genus; *temporalis* seu *oeconomiae* quae tantum pro tempore aut quibusdam spectatis adjunctis servatur, velut unica vel trina immersio in collatione Baptismi, communio sub una vel utraque specie, etc: 4.° ratione *extensionis*, in *generalem* et *particularem*; quatenus vel universali Ecclesia vel loco, dioecesi, provincia aut ecclesia particulari viget; 5.° ratione *materiae*, in *dogmaticam*, *liturgicam* et *politiae; dogmatica*, quae veritatem fidei omnino tenendam continet, et saepe numero originem suam ipsi Christo acceptam refert, uti materia et forma Sacramentorum, forma ecclesiastici regiminis sive ecclesiastica hierar-

---

(1) *Epist. I ad Cor. cap. 7, v.* 10.
(2) *I ad. Cor. cap. 11, v. 23.*

chia divinitus instituta; *liturgica* quae in ordinandis religionis actibus versatur, ita se habent institutio festorum, publicae supplicationes, sacrae coeremoniae, etc.; *politiae* ea dicitur qua regitur externa Ecclesiae societas, et in officio continetur, hujusmodi generis sunt poenae ecclesiasticae, judicia, electiones, observantia praeceptorum, aliaque similia: 6.° ratione *temporis,* in *antiquam, mediam* atque *novissimam;* haec postrema partitio triplici periodo, in quam distinguitur Jus Canonicum, omnino consona est.

33. Hae sunt praecipuae Disciplinae divisiones, quarum plus minusve, data occasione vel ex professo, explicitè vel implicitè meminere monumenta veterum patrum et scriptorum; sed recentiori aetate novam reperimus inductam partitionem in Disciplinam, nempe, *internam* et *externam;* at, cum tot turbae, tantaeque perturbationes cum ingenti fidei jactura et bonorum morum depravatione hujus novissimae distinctionis causa in Ecclesia exortae sint, opus est originem, historiam atque sensum ejusmodi classificationis hora nefasta et nequissimo consilio inventae in trutinam revocare.

Si genesim historicam hujus distinctionis inquirere velimus, en paucis verbis delineata origo, evolutio et coagulatio istae exoticae plantationis, omnis perniciei atque erroris fecundum seminarium. Germen distinctionis jecit Marsilius Patavinus (saec. XIV) in *Defensorio Pacis,* ut luctuosum Ludovici Bavari schisma honestaret; semen á Marsilio satum irrigandum et excolendum curarunt (saec. XV) Wicleffius, Joannes Hus et Hieronymus a Praga; fructum et quidem uberrimum colligere studuerunt (saec. XVI) Protestantes et omnium maxime Lutherus; denique ejusmodi perversionis, ruinae et falsitatis fructui spargendo et hinc atque illic invehendo incumbere non erubuerunt (saec. XVII) Marcus Antonius a Dominis pervicax apostata in sua *Republica Christiana* et Etmundus Richerius in suo pernicioso systemate

toties damnato; (saec. XVIII) Justinus Febronius in opere *De Statu Ecclesiae*, Bajus, Jansenius et Quesnellus scriptis et propositionibus captiosis, Scipion Ricci, Petrus Tamburini, aliique ejusdem furfuris in celeberrima Synodo Pistoriensi, Josephus II Austriae Imperator, Leopoldus Dux Etruriae legibus caesareis et decretis vere contemnendis, quae in historia justo cognomento leges *josephinae* et *leopoldinae* vocantur, sicut plures ejusdem generis odiosae dispositiones *carolinae* in Hispania passim nuncupantur, caeterique omnes qui Janseniano nomine et honore gloriati sunt; (saec. XIX) asseclae regalismi, sive rigidiores, sive mitiores, cum fere omnes hac distinctione freti de potestate et independentia Ecclesiae miserrimè aberrarunt.

34. Haec nova divisio Disciplinae in *internam* atque *externam* diversimodè accipi potest, sed quatuor praecipuè sensus prorsus distinctos habet, quos explicare decet, utpote ad rem nostram propriè et directè pertinentes: 1.° apertè *haereticum*, quando nomine *disciplinae internae* forum internum et *externae* forum externum intelligitur, ab Ecclesia omnem potestatem legislativam et disciplinarem abjudicando et vicissim Regibus et Principibus omnimodam auctoritatem plenumque jus in ecclesiastico regimine ac politia tribuendo; ita ejusmodi verba interpretantur Protestantes, Janseniani rigidiores et Regalistae exaltati: 2.° *erroneum* et *in haeresim inductivum*, si vocabulo *internae* res etiam externae sed *mere spirituales* sub Ecclesiae potestate comprehenduntur, exclusis caeteris omnibus quomodolibet temporalibus, quae licet *mixtae*, vel *per se aut per accidens* spiritualibus connexae, vel ad consequutionem finis spiritualis ordinatae, potestati saeculari subsunt; prouti commenti sunt plures Jansenistae mitiores et Regalistae moderati: 3.° *conventionalem* seu *juridicum* a nonnullis canonistis omnium maxime ab Illmo. D. Francisco Gomez Salazar et Vincentio de La Fuente exco-

gitatum, ut denominatione disciplinae *externae* ea temporalia significarent, quae ad ordinem publicum respectum habent, uti supplicationes, processiones, erectio ecclesiarum, coemeterii constructio, causae criminales clericorum ob delicta politica, aliaque multa ejusdem generis, in quibus Statui, ordinem socialem custodiendi causa, interventus competit; at, juxta nostram sententiam, haec disciplina rectiùs *mixta* appellari possit: 4.° *catholicum* seu plane *ortodoxum*, cum, velut passim usuvenit, nomine disciplinae *internae* subaudiant quaecumque leges aut statuta, quae directè ac primariò ad Dei cultum, sacramentorum administrationem, mysteriorum celebrationem, morumque integritatem spectant; disciplina vero *externa* primariò ac directè complectatur cuncta, quae regimen et externam Ecclesiae politiam respiciunt, cujusmodi sunt electio ministrorum, ordo judiciorum, extensio immunitatis, adquisitio bonorum, gradus hierarchici ab Ecclesia instituti, aliaque innumera ad regendam societatem christianam, fidelesque in vitam aeternam perducendos auctoritate ecclesiastica constituta.

35. Quamplurimae rationes nobis suppetunt ad memoratam distinctionem prorsus rejiciendam, quas, ne fatigationem et taedium generent, tantum leviter delibabimus: 1.° praefata divisio nova est, utpote saeculo XVI introducta; 2.° ab haereticis profecta est, quippe a Luthero, Febronio, Jansenio, caeterisque vaferrimis Ecclesiae hostibus originem ducit; 3.° vel nihil significat atque proinde commentitia, chimerica et omni sensu expers habenda est, vel, si aliquid significat, potestatem Ecclesiae legiferam et disciplinarem e medio tollit, siquidem omnia in Ecclesia externa sunt, etiam fides, quae per publicam professionem ostenditur, et gratia, quae per sacramenta fit sensibilis; 4.° usurpata juxta sensum Protestantium, Jansenianorum et Regalistarum qui Statolatriam acerrimè propugnant, doctrinae catholicae,

adversatur, quandoquidem tria essentialia dogmata necessariae Visibilitatis, sacrae Hierarchiae et supremae Independentiae, quae a Patribus et Conciliis pro definienda Ecclesiae constitutione declarata fuere, penitus subvertit; 5.° etiam intellecta et explicata benigna et latiori acceptione, prout eam exponunt jansenistae et regalistae mitiores, qui catholici videri volunt, auctoritatem Ecclesiae divinitus collatam laedit, ejusdemque inviolata jura apertè conculcat et magna cum injuria pessundat; 6.° damnata est saepenumerò in sensu janseniano, ac praesertim a Benedicto XIV Brevi *Ad assiduas* 1755 edito, a Pio VI Bulla Dogmatica *Auctorem Fidei* 1794 expedita, á Pio IX Encyclica *Quanta Cura* et *Syllabo* 1864 evulgatis, á Concilio denique Vaticano Constitutione Dogmatica *De Ecclesia Christi, cap. III* 1870 publicata; 7.° sumpta, postremò, etiam sensu catholico et recta seu orthodoxa significatione ab scholis catholicis eliminanda est celeberrima haec janseniana distinctio, etenim semper periculis plena nobis videtur propter corruptelas et errores, qui, hac dolosa denominatione invocata, aulici et caesaristae contra juridicam Ecclesiae naturam atque divinam ejus constitutionem practicè sustentarunt.

36. Quaeri solet an sit discrimen inter Disciplinam Ecclesiasticam et Jus Canonicum: ut ejusmodi interrogationi brevis et cathegorica responsio cohaereat, monendum ducimus hanc controversiam duplicem aspectum praeseferre, doctrinalem nempe, atque scientificum.

Ratione *doctrinae,* Disciplina, Jus, sicut Theologia, Liturgia, caeteraeque propagines ac surculi, saecularem et robustam arborem eruditionis sacrae notitiaeque ecclesiasticae constituentes, tum ad pristina religionis propagatae tempora assurgunt, tum etiam communem et firmissimam radicem habent, videlicet, Scripturam, Traditionem, Patrum testimonia, Conciliorum canones,

et Romanorum Pontificum decreta: at si res *scientifice* inspiciatur, hoc est, si praedictae disciplinae spectentur non tantum ut instituta ac principia a majoribus et antiquitate christiana tradita, sed veluti studia segregata, tamquam varia et distincta complexio veritatum in corpus doctrinae coalescentium, structura, methodo ac materia peculiari, summatim, prout *scientiae* conceptum ac dignitatem obtinent, tunc aliquo modo inter se discriminantur.

Licet enim res laboriosa est discrimen determinare, quod inter Ecclesiasticam Disciplinam et Jus Canonicum intercedit, et nondum satis aperte liquet limes a quo incipit et in quo desinit unaquaeque scientia, attamen, nisi conceptione mere subjectiva et ideali decipiamur, nobis videtur utraque scientia *origine, objecto* et *fontibus* inter se differre: *origine,* siquidem, uti aliàs animadvertimus et supervacaneum esset diutius immorari eadem repetendo, hae disciplinae tamquam scientiae propriè dictae et de rebus peculiaribus, ordine logico et vinculo demonstrationis copulatis, agentes, diverso tempore ortae sunt, nimirum, Disciplina saeculo XVI, Jus Canonicum saeculo XII, atque Jus Publicum post dimidium saeculi XVIII: *objecto;* etenim, quamvis omnes ejusmodi scientiae circa legislationem ecclesiasticam versantur, nihilominus idem objectum materiale sub diverso respectu et forma pertractant; quoniam Jus Publicum praecipue respicit characterem seu indolem *fundamentalem* legislatiônis, *jus constituens, posse,* ut vocant, nempe radicalem et supremam potestatem auctoritatis socialis in Ecclesia; Jus Privatum directè intuetur indolem seu partem *dispositivam* legislationis, quae *jus constitutum* dici potest, *exercere* aut *exercitium* potestatis; Disciplina vero pro speciali scopo sibi proponit perscrutari indolem *practicam* legislationis, *juris constituti observantiam, implere,* ut fertur, hoc est, *executionem* eorum quae a potestate legifera sancita

sunt, quod equidem praestat maximè perpendendo naturam *historicam, criticam* et *philosophicam* omnium legum, usuum atque institutionum in societate Christi quovis tempore vigentium; *fontibus;* quia Jus Publicum unico fonte innititur, scilicet, Divina Revelatione quae in Sacra Scriptura et Traditione continetur, nobis ab Ecclesia propositae non ut legislatrice, sed ut Magistra, id est, *declarando, docendo* et *definiendo;* Disciplina autem et Jus Privatum, hodie Canonicum passim nuncupatum, plures fontes agnoscunt, inter quos etiam Divinam Revelationem seu Scripturam et Traditionem nobis quoque ab Ecclesia propositas non ut magistra, sed veluti Legislatrice, nempe, *condendo, jubendo* atque *sanciendo.*

ARTICULUS IV.

SUMMARIUM

37. Character Disciplinae Ecclesiasticae.—38. Disciplina *immutabilis.*—39. Disciplina *divina.* – 40. Differentia inter institutionem divinam et executionem Christi praeceptorum.—41. Probationes historicae in corroborationem hujus differentiae.— 42. Disciplina *per se* dogmati adnexa.—43. Fortitudo apostolica Romanorum Pontificum in vindicanda immutabilitate ejusmodi disciplinae.—44. Disciplina *per accidens* cum dogmate conjuncta.—45. Disciplina *fundamentalis.*

37. Cum in articulo II de canonibus disciplinaribus ageretur, tamquam generale principium statuimus characterem praecipuum seu notam potissimam Disciplinae Ecclesiasticae, *generaliter loquendo,* esse mutabilitatem, quamvis nonnulla hujus praestantissimae scientiae capita prorsùs immutabilia habenda sint; ex quo colligere fas est Disciplinam, si intimam ejus essentiam atque naturam vestigare velimus, duplici elemento constare, *immutabili* et *mutabili.*

Diximus Disciplinam *generaliter loquendo* esse variabilem, quia in hoc praecisè leges dogmaticae a dis-

ciplinaribus discrepant, uti apertè eruitur ex sequentibus Tertulliani verbis: *Regula quidem fidei una omnino est, sola immovilis et irreformabilis... Hac lege fidei manente, caetera jam* DISCIPLINAE *et conversationis admittunt novitatem correptionis, operante scilicet, et proficiente usque in finem gratia Dei* (1).

Ad praefiniendum utrumque elementum aliquid, etsi brevitèr, prouti mos est, de *immutabilitate* et *mutabilitate* Disciplinae disseremus.

38. Disciplina *immutabilis* ea dicitur: *quae circa res divinae institutionis, vel dogmati adnexas, vel fundamentalem Ecclesiae constitutionem spectantes versatur*; hinc infertur quatuor esse disciplinae immutabilis genera: 1.° disciplinam quae *divina* dicitur; 2.° disciplina quae *per se dogmati adnexa* vocatur; 3.° disciplina quae appellatur *per accidens cum dogmata conjuncta;* 4.° disciplina quae recte *fundamentalis* nuncupari potest, quatenus principia constitutiva et essentialia societatis christianae immediatè respicit.

39. Ad disciplinam divinam distinctè internoscendam duas in promptu habemus regulas a Bellarmino statutas (2): *traditio apostolica* atque *materia divina.* Nunc vero cognoscemus quamlibet legem, ordinationem vel praxim *apostolicae traditioni* adscribendam esse, si pro se habuerit sequentes notas a Sanctis Patribus veluti certas et tutissimas receptas: 1.° *observantiam universalem*, quin possit determinari ejusdem origo seu principium, nam, prout observat Divus Augustinus, *multa quae non inveniuntur in litteris Apostolorum, neque in conciliis posteriorum, et tamen quia per universam custodiuntur Ecclesiam, nonnisi ab ipsis tradita et commendata creduntur* (3): 2.° *praxim ecclesiarum apostolicarum*, juxta illa Tertulliani verba: *Id esse ab Apostolis tradi-*

(1) *Lib. de virginibus velandis.*
(2) *De verbo Dei, lib. IV. cap. 9.*
(3) *Lib. II de Bapt. contr. Donat cap. 7.*

tum, quod apud ecclesias Apostolorum fuerit sacrosanctum (1); sed praecipuè praxim vel fidem Ecclesiae Romanae, ut verbis utar S. Martyris Irenaeii, qui ita strenuè loquitur: *Maximè et antiquissimae,* et *omnibus cognitae a gloriossisimis duobus Apostolis* PETRO ET PAULO ROMAE *fundatae et constitutae ecclesiae, eam, quam habet ab Apostolis traditionem....*

Ratione *materiae, divina* vocatur illa disciplina *quae de rebus divinitùs institutis agit;* hujusmodi existimanda sunt cuncta ad constitutionem et regimen essentiale Ecclesiae, Sacramentorum substantiam, Sacrosanctum Missae Sacrificium, atque cultum divinum spectantia, aliique multi usus liturgici et statuta ecclesiastica, quae vires humanae potestatis excedunt, uti baptismus parvulorum, valor baptismatis ab haereticis collati, etc. Ejusmodi praxes et instituta, cum traditione apostolica, hoc est promulgatione praecepti divini ab Apostolis facta, ac deinde circa res versentur quae a voluntate hominis minimè pendeant, quatenus ejus potestatem omnino superant, disciplinae divinae tantum tribuenda sunt, ac proinde mutationem subire nequeunt.

40. Traditio apostolica et materia in se divina semper habita fuere veluti certissima et infallibilia principia quibus duci debemus ad secernendam disciplinam divinam ab apostolica et ecclesiastica; non defuere tamen qui, criterium peculiare sequuti, docuerunt disciplinae divinae esse adjudicanda omnia quae ab ipsis Ecclesiae incùnabilis statim per Apostolos praescripta, observata et sancita videmus, absque solutione continuitatis, ut ita dicam; disciplinae autem apostolicae vel ecclesiasticae adscribenda cuncta illa quae seriùs ab Apostolis mora interjecta vel temporis decursu ab Ecclesia ordinata aut servata reperimus.

Hanc regulam rejiciendam putamus, utpote erro-

---

(1) *Lib. IV contra Marcion. cap.* 5

neam et fallibilem, quippe quae institutionem divinam confundit cum praxi vel exequutione ipsius praecepti aut ordinationis a Deo profectae; nam Christus Dominus potuit aliquid statuere vel jubere, quod tamen adimpletionem aut evolutionem nonnisi post multum temporis obtineret; cujus quidem assertionis veritas ex historia ecclesiastica apertissime constat, uti videre est in sequentibus exemplis rem totam roborantibus.

41. 1.° Quoad Communionem Eucharisticam. Sciens Divus Paulus abusus, qui apud Corinthios irrepserant propter agapas, eisdem praecripsit quasdam regulas, quae, quamvis divinae institutionis, tamen vigere non coeperunt usque tunc: de divina institutione ambigere locus non est, dicente explicitè ipso Apostolo: *Ego enim accepi a Domino quod et tradidi vobis.*

2.° Quoad Matrimonium. Idem Paulus Matrimonii christiani unitatem corroborans, praecepta jam ante a Domino edita solemniter hisce verbis promulgat: *Iis qui matrimonio juncti sunt praecipio, non ego sed Dominus, uxorem a viro non discedere, etc.*

3.° Quoad Presbyteratum. Nemo est qui dubitet ordinem Presbyteratus a Christo Domino fuisse institutum; sed omnes simul norunt primordiis Ecclesiae non extitisse sacerdotes secundi ordinis seu meros presbyteros sejunctos ab episcopis seu sacerdotibus primi ordinis; etenim Apostoli pro Ecclessiae nascentis regimine et administratione necessarium existimarunt solos episcopos ordinare: quod ut meliùs intelligatur abs re non erit in medium proferre traditionem veneratione dignam, quam memorant S. Hieronymus, Eusaebius, Apollonius, cui etiam assentiuntur Bollandi. Ajunt ejusmodi scriptores Christum in coelum ascendentem Apostolis praecepisse quod duodecim annorum spatio a Hierosolymis et Palaestina ne discederent; qua de causa, dum multitudo fidelium limitibus adeo finitis erat circumscripta, minorique ministrorum numero indigebat, Apos-

toli usque ad annum XL aerae vulgaris (1) Episcopos tantum consecrarunt, quandoquidem pro spiritualibus fidelium necessitatibus in qualibet civitate vel loco hujus regionis satis erat sacerdotem constituere potestate episcopali praeditum, ut omnia sacramenta conferre et sacra munera obire possit. At post annum quadragesimum in quo, facta dispersione, Apostoli in universum mundum abierunt, cum multitudo christianorum ubique terrarum magnopere cresceret, ipsa Evangelii propagatione cogente, Episcopos et Presbyteros tunc ordinavere, illos ut fidem populis nuntiarent vel ecclesiis majoribus aut praecipuis civitatibus praeficerent, hos, ut in minoribus ecclesiis aut locis secundariis curam fidelium simul gererent, prouti Acta Apostolorum testantur.

4.° Quoad Episcopatus vel Dioeceses. Semel Presbyteris per singulas civitates vel Ecclesias constitutis, cum hinc numerus fidelium maximè augeretur, et illic apud ipsos presbyteros, quibus regimen spirituale collectivè concreditum erat, aemulationis vel ambitionis causa, jurgia, dissidia atque schismata exsurgerent, Episcopos, cui omnes presbyteri obtemperarent et subjicerentur, etiam in minoribus Ecclesiis instituere ad unitatem faciliùs et tutiùs in Ecclesia servandam, quod equidem Juri divino et supremae Christi ordinationi valde consentaneum erat.

5.° Quoad Gradus Hierarchicos et Archidioeceses. Quemadmodum pro bono pacis et charitatis Apostoli in unaquaque civitate aut ecclesia Episcopos super presbyteros statuerunt, ita etiam ut vinculum unitatis et communionis penes omnes Episcopos, qui certe jure divino erant omnes aequales, arctiùs et perpetuò as-

(1) Si admittitur sententia probabilior eorum qui asseverant mortem Christi anno XXIX praedictae aerae contigisse. Quamvis enim computus chronologicus Dionysii Exigui hodie communiter receptum est, omnes tamen consentiunt in eo quod *annus proprius* Nativitatis Domini ab *anno dionysiano* distinguendum sit.

servaretur, supra omnes cujuslibet gentis, regionis aut magnae Ecclesiae Episcopos praesidem aut superiorem delegere, cui caeteri honore et reverentia prosequerentur: sic Sanctus Paulus Titum Ecclesiae Cretensi, insulae celeberrimae ex 100 civitatibus coalescenti praefecit, Timotheum vero Ecclesiae Ephesinae, hoc est, juxta Divum Joannem Chrysostomum (1), *toti regioni* aut *nationi* Asiae.

Hinc est quod, licet diversi gradus hierarchici et distincta nomina quibus insigniuntur, sive *Metropolitae*, sive *Archiepiscopi*, sive *Primatis*, sive *Exarchae*, sive *Patriarchae*, ab auctoritate Ecclesiae originem historicam et jura propria repetant, tamen *res ipsa*, *essentia* institutionis, *substantia* eorumdem graduum, *ratio* praeeminentiae et superioritatis, quae aliis Episcopis prae aliis competit, veneranda institutione Apostolorum fulcitur, immo etiam germen primaevum et radicem remotissimam habet in suprema Jesuchristi voluntate, qui Ecclesiam ea mente praecipue fundavit, ut *fieret unum ovile et unus Pastor* (2).

6.° Quoad Primatum Pontificium. Exploratum est Romanos Pontifices ab Ecclesiae exordio non omnia Primatus jura exercuisse, sed pro eorumdem explicatione atque evolutione populi christiani necessitatibus, temporum adjunctis et bono Ecclesiae regimini sese attemperasse, quin idcirco jura posteriori aetate, nempe, epocha *reservationum* exercita *adventitia* seu *acci-*

---

(1) *In I ad Tim. Hom.* 15.

(2) Ejusmodi rem mirifice exponit S. Leo Magnus in Epistola XII ad Anasthasium, cujus pretiosissima verba legere juvat: *Inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quaedam discretio potestatis, et cum omnium par esset electio, uni tamen datum est, ut caeteris praeemineret.* DE QUA FORMA *Episcoporum quoque est orta distinctio, et magna dispositione provisum est, ne omnes omnia sibi vindicarent, sed essent in singulis provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia, et rursus quidam in majoribus urbibus constituti sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad unam Petri Sedem universalis Ecclesiae cura conflueret, et nihil unquam a suo Capite dissideret.*

dentalia (1), *nova* vel *usurpata* nuncupari possint, prout Protestantes, Febroniani ac Jansenistae blaterarunt, siquidem omnia jura, sive anteriora, sive posteriora, supremae potestati Primatus divinitùs instituti necessario nexu vinculantur, atque ab ipsa immediate procedunt, ideoque, juxta Innocentium III (2), *non tam constitutione canonica quam institutione divina* innituntur, et prout scite animadvertit Thomassinus (3), *in Pontifice tota semper plenitudo potestatis residet, etsi non totam semper exerceat.* Origo hujusmodi injuriosae denominationis et erroneae distinctionis ab eo petenda est, quod Sedis Apostolicae inimici ipsum jus cum exercitio juris dolosè confundant, non agnoscentes, ut appositè inquit Natalis Alexander (4), *aliud esse jure aliquo semper non uti, aliud jus illud non habere: in quo viri alioquin eruditi hallucinati sunt, qui substantiam juris a perpetuo et non interrupto ejus usu non distinguunt.*

42. Disciplina *per se dogmati adnexa* nuncupatur quae ita arctissimo vinculo cum veritatibus fidei ab Ecclesia propositis devincitur, ut derogari, abrogari vel immutari nequeat, quin dogma catholicum impugnetur aut grave detrimentum patiatur; sic, ut rem exemplis illustremus, disciplina circa cultum latriae Sanctissimo Eucharistiae Sacramento tributum, ab Apostolis ad nos usque statuta atque praescripta, et a nobis ad consummationem saeculorum perpetuo servanda, nulli mutationi vel derogationi, obnoxia esse potest, alioquin aperte negaretur aut in dubium revo-

(1) Distinctio inter jura Primatus *essentialia* et *adventitia* a recentioribus Ecclesiae hostibus, quocumque nomine vocentur, excogitata est ad potestatem Primatus deprimendam. Juxta tritum sectariorum loquendi sermonem, jura *essentialia* dicuntur illa, quibus semper et ubique Summi Pontifices usi sunt, *adventitia* vero seu *accidentalia* appellantur, quae ex veteri Ecclesiae disciplina in confirmandis Episcopis, et plerisque causis finiendis non a Romanis Pontificibus, sed a Metropolitis, et Conciliis provincialibus exercebantur.

(2) *Cap.* inter corporalia *X. de Translat. Episcopor.*

(3) Conf. notas ad opus *de Vet. et Nov. Eccl. Discipl.*

(4) *In Hist. Eccles., saec. IV, diss. XX, prop. I*

caretur dogma fundamentale ac Sacrosanctum Realis Christi in Eucharistia Presentiae: eodem modo, disciplina qua longo saeculorum tractu per omnes, tum Orientis, tum Occidentis Ecclesias semper agnitum, susceptum atque evolutum fuit jus appellationis ad Sedem Apostolicam, simulque necessitas liberi et mutui commercii inter Romanum Pontificem, visibile totius Ecclesiae Caput, cunctosque Pastores ac fideles, societatis christianae membra, nunquam aboleri, imminui aut substantialiter mutari poterit, quia Primatus honoris et jurisdictionis Petro ejusque Successoribus collatus prorsùs rueret, ejusdem natura atque divina institutio laederetur, regimenque ecclesiasticum a Christo Domino intentum, unitate disrupta et communione intercepta, certissimè labefacteretur.

43. Quamobrem Romani Pontifices, uti ecclesiastica historia dissertè testatur, immutabilitatem hujusmodi disciplinae apostolica fortitudine et indefessa constantia omni tempore vindicarunt; satis sit in comprobationem istius assertionis unum vel aliud antiquitatis et novissimae aetatis exemplum adducere.

Saeculo XII Henricus II, rex Angliae, cujus jussu gloriosus pontifex S. Thomas Cantuariensis pro tuenda Ecclesiae libertate martirium subiit, convocatis ad se Episcopis et Proceribus regni, postquam leges anglicanas iniquas tulisset utilitati ac dignitati Ecclesiasticae repugnantes, celeberrimis *Consuetudinibus Clarendonensibus* et *Constitutionibus Normannis* interdixit suis subditis appellationes ad Sedem Apostolicam et liberam cum Romano Pontifice communicationem. Tanti sceleris nequitia permotus Guillelmus Electus, egregius Episcopus Carnotensis, veritus ne alii Principes hoc perniciosum exemplum sequentes schismata atque perturbationes in Ecclesia cierent (1), ad Alexandrum III strenuè scri-

(1) Quod quidem luculento S. martyris Thomae Cantuariensis testimonio comprobatur qui saepius affirmavit Consuetudines *Anglicas*

psit: "Nisi ipsius improba retundatur audacia, valde timendum est, ne reges et potestates ad similem contra Dei Ecclesiam improbitatem tali provocentur exemplo. Nam plerumque quod puniri non audiunt, licitum opinantur (1)." Summus Pontifex Alexander regiae pravitati fortiter obstitit; licet enim pro bono pacis aliis consuetudinibus benignè se gessit, duas illas leges primatui pontificio adversantes apertè reprobavit, sicut postea saeculo XVII exeunte Innocentius XI, Alexander VIII et Innocentius XII libertates *gallicanas* damnarunt.

Recentiori aetate eamdem pontificiam firmitatem passim invenimus in re tanti momenti, velut prope innumeris exemplis patefieri potest Summorum Pontificum, qui auctoritatem Primatus et immutabilitatem Disciplinae cum ejusdem juribus conjunctae solemnibus Litteris et gravissimis poenis invictissimè propugnarunt; occasione enim *Placiti Regii,* de quo sermo specialis habebitur, cum de Constitutionibus Pontificiis in Fontibus Juris agamus, catholica doctrina de suprema Sanctae Sedis independentia et necessario Romani Pontificis cum totius christianitatis fidelibus commercio gravissimum vulnus accepit.

Et re quidem vera hac de causa saeculo XVI ineunte (die 25 junii 1501) Alexander VI deposuit a regno neapolitano, S. Sedis feudali, regem Fridericum, et magnus Pontifex S. Pius V Vice-regem neapolitanum, ducem Complutensem excommunicavit: saeculo XVII Innocentius XI edidit (28 junii 1689) Constitutionem *Decet Romanus Pontifex* praecitatos errores damnando: saeculo XVIII praeter Bullam Clementis XI *Nova semper* (29 nov. 1714), Clemens XIII abusum Placiti acriter renovatum a Carolo III, Hispaniae rege condemnavit

---

ab Henrico II inductas esse, *ut Romanus Pontifex nesciretur in Anglia et sponsae Christi privilegia sine reparationis spe delerentur.* Lib. V. ep. 45.

(1) *Inter Epistolas D. Thom. Cantuar. a Christiano Lupo editas, Lib.* II, *ep.* 74.

duabus Litteris *Postquam nobis* et *Ea est de tuo* (15 januarii 1763); Lodovicum XV, Galliarum regem, reprehendit aliis duabus Litteris, quae incipiunt *Pateretur* et *Quam graviter* (25 junii 1766); denique adversus ducem Parmensem Bullam *Alias ad apostolatus* (10 jan. 1768) promulgavit: saeculo XIX Pius IX Constitutionibus *Apostolicae Sedis* (22 aug. 1851) et *Probe nostis* (9 mai. 1853) inviolabilia Primatus jura iterum vindicavit; ac Leo XIII, quo sospite fruimur, independentiam potestatis pontificiae et divinam Ecclesiae constitutionem mirificè exposuit in Encyclica nunquam satis laudata *Immortale Dei* (1 nov. 1885).

44. Disciplina *per accidens* cum dogmate conjuncta illa vocatur quae ad profitendum dogma vel damnandam haeresim statuta est, sine qua tamen veritas dogmatica consistere et confiteri potest, et ideo tantum *per accidens* dicitur dogmate connexa. Ejusmodi disciplina juxta rerum et temporum adjuncta ita mutabilis vel immutabilis devenire potest, ut ejus abrogatio vel conservatio ab haereticorum agendi more, hoc est, ab eorumdem protervia, dolo atque fraude omnino pendeat; quando enim haeretici eadem abuti conantur pro suis erroribus atque commentis facilius vindicandis et spargendis, ab Ecclesia derogatur et *variabilis* evadit; quando vero scelerati homines et falsi dogmatis propagatores eam convellere nisi sunt, ut, semel abolita et immutata, veritas fidei obscuretur et doctrina erronea aut haereticalis magis firmetur, tunc Ecclesia hanc disciplinam accidentaliter catholico dogmati copulatam, fortiter atque invicto animo contra nefarios inimicorum ausus semper *servavit,* praescripsit atque suprema sua auctoritate munivit. Ut utrumque casum opportunis exemplis enucleemus, ecclesiasticam historiam evolvere sufficit.

Quoad primum, nempe mutationem disciplinae *per accidens* dogmati adnexae propter haereticorum abusum,

auctoritatis SS. Gelasii atque Gregorii Magni meminimus: tempore S. Gelasii (492) liberus erat apud fideles usus calicis in Sacratissimae Eucharistiae susceptione, sed ad detegendos Manichaeos, qui á vino abstinebant et sacro calici labia admovere renuebant, cum latebris sese occultarent ac; sicut quaedam recentiores sectae antra quaererent, jussit praefatus Pontifex omnibus Christi fidelibus communionem sub utraque specie, praxim equidem liturgicam, quae post varias in unaquaque Ecclesia vicissitudines, saeculo XIV aboleri coepit, ac demum saeculo XVI prorsus abrogata fuit ad haeresim *Calixtinorum* et Reformatorum extirpandam, qui usum calicis laicis necessarium esse asserebant adimplendi ergo praeceptum divinum, vel totum Christum recipiendi.

Sub Sancto Leandro, Episcopo Hispalensi, vigebat ritus trinae immersionis in collatione baptismi, sed cum Ariani ex hac praxi liturgica distinctionem naturae in Divinis Personis colligerent, usus invaluit apud Hispaniam una immersione baptisma conferendi. Rei novitate dubia, dissidia et contentiones ortae sunt, et Sanctus Leander ad quaestionem dirimendam Divum Gregorium Magnum consulendum rectius judicavit, qui praeclaro Doctori Hispalensi, ejus amicissimo, ita rescripsit: *Reprehensibile esse nullatenus potest infantem in baptismate vel ter, vel semel mergere, quando et in tribus mersionibus Personarum Trinitas, et in una potest divinitatis singularitas designari*. SED QUIA *nunc hucusque ab haereticis infans in baptismate tertio mergebatur*, FIENDUM APUD VOS ESSE NON CENSEO, *ne dum mersiones numerant, divinitatem dividant, dumque quod faciebant faciunt, se morem nostrum vicisse glorientur* (1).

Quoad alterum, videlicet, firmitatem disciplinae relatione tantum accidentali dogmate connexa, quae

---

(1) *Lib.* I. *ep. 43.*

gratiâ compescendi ausus et insidias haereticorum disjiciendas, sarta tectaque servabitur, licèt sine ejus observantia recta fidei professio haberi possit, duplicem formulam catholicam sensu traditionali et ecclesiastica approbatione consecratam adducemus, nicaenam unam, tridentinam alteram.

Concilium Nicaenum in Symbolo fidei pro divinitate Verbi contra Arianos definienda vocem graecam ὁμούσιος *homusios* (consubstantialis) usurpavit, ut ita praecisè atque distinctè significaretur unitas et identitas naturae Filii cum Patre et Sancto Spiritu; et quamvis nihil non moliti sunt vaferrimi Arii asseclae ut verbum ὁμούσιος *homusios* vocabulo ὁμοιούσιος *homoiusios* (consimilis) sufficeretur, captiosam formulam *sirmiensem* configentes, cui opera et dolo Ursatii et Valentis Patres Ariminenses incautè subscripserunt; attamen Ecclesia catholica arianam pravitatem ab initio detegens haereticorum fallaciam rejecit, eorumdem reclamationes aspernatus est, constantemque fidei professionem semper retinuit, et usque hodiedum toto orbe terrarum in Sacrosancto Missae Sacrificio canitur vel recitatur Nicaenum Symbolum cum explicita declaratione *Consubstantialem Patri.*

Tridentina Synodus modum adversus Lutheranos definiens (1), quo Christus Jesus fit praesens in Sacra Eucharistia, conversionem totius substantiae panis in substantiam Corporis Christi Domini nostri, et totius substantiae vini in substantiam sanguinis ejus, juxta aptissimam et usitatam Ecclesiae catholicae formulam, *transsubstantiationem* convenientèr et propriè appellavit, frustra atque irrito conatu Lutheri sequacibus reclamantibus, ut, in exponenda ratione qua Christus fit praesens ac manet in Eucharistia, usurparetur vox *impanatio, consubstantiatio* vel quaecumque alia lutheranae sententiae consona, et dogma catholicum excludens.

(1) *Sess. XIII, cap. IV.*

Eapropter ex tunc temporis omnes Ecclesiae cunctique fideles ejusmodi fidei articulum sub nomine *transsubstantiationis* ad haereticalem versutiam vocumque ambiguitatem tollendam declaratum, perpetuo et uniformiter profitebuntur.

45. Denique disciplinae *invariabili* addenda est ea quae *fundamentalis* dicitur, eo quod circa firmissima atque fundamentalia Ecclesiae capita versatur, cujusmodi sunt divina ipsiusmet institutio, natura juridica et essentialis constitutio.

Hinc immutabilia et in vigore perpetuo semper manebunt: 1.° omnia quae ad proprietates atque praerogativas, quibus Christus Dominus societatem a se conditam donavit, afficiunt, nempe, unitatem in *organizatione*, visibilitatem *in operatione*, et perpetuitatem *in duratione*, vel auctoritatem *in regimine*, infallibilitatem *in magisterio*, ac indefectibilitatem *in eadem existentia:* 2.° omnia quae ad *perfectionem*, *distinctionem* et *superioritatem* juridicam societatis christianae spectant: 3.° omnia quae ad hierarchiam divinitus institutam, auctoritatem socialem, subjectum potestatis, ejusdemque extensionem, suprematiam atque independentiam attinent.

Ratio hujus immutabilitatis omnibus patet; etenim, fundamentalibus transversis, primaeva Ecclesiae institutio penitus corrueret, et jam non esset societas a Christo fundata, facto revelationis et positiva divini sui institutoris voluntate innixa, sed congregatio mere humana, umbra atque species verae Ecclesiae, assotiatio sui generis arbitrariis elementis turpiter faedata; alioquin Romani Pontifices Christi in terris Vicarii et Petri legitimi successores jus divinum evertere et voluntati Redemptoris contradicere nullatenus possunt, nam ipsis, juxta Florentinam et Vaticanam Synodos, a Domino nostro Jesu Christo tantum plena potestas tradita est in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universa-

lem Ecclesiam, hoc est, societatem jam institutam, legibus essentialibus praeditam, divina constitutione munitam, dotibusque propriis et notis peculiaribus praefulgentem longo saeculorum tractu.

ARTICULUS V

SUMMARIUM

46 Quaenam Disciplina sit *mutabilis.*—47. Quid de disciplina *particulari* sentiendum sit.—48. Quid de disciplina *generali*, tam *temporali*, quam *perpetua.*—49. Pars *invariabilis* disciplinae *internae.* —50. Pars *variabilis.*—51. Conditiones necessariae ad mutationem partis mere *caeremonialis.*—52. Elementum *immutabile* disciplinae *externae.*—53. Elementum *mutabile.*—54. Quaenam ad legitimam Disciplinae mutationem requirantur.

46. Disciplina *mutabilis* passim nuncupatur *quae auctoritate merè apostolica instituta, vel ab Ecclesia praescripta et cum dogmate catholico necessariam atque intimam connexionem non habens, eo ipso abrogationi, derogationi, aut mutationi subjacet,* praesuppositis tamen nonnullis restrictionibus seu exceptionibus, quae hanc etiam disciplinam in rebus substantialibus et principalibus *immutabilem* reddunt.

Sed cum Disciplina ratione *extensionis* in *particularem* et *generalem* distinguatur, et generalis ratione *durationis* iterum in *temporalem* ac *perpetuam* dividatur, demumque perpetua ratione *materiae* seu *objecti* rursus in *internam* atque *externam* tribuatur, has varias disciplinae species singillatim perpendemus, ut liquidè et distinctè pateat ratio mutabilitatis vel immutabilitatis in qualibet disciplina.

47. Ac primo quidem, si de disciplina *particulari* agatur, aperte liquet eam suapte natura variabilem esse, et proinde, juxta diversa rerum adjuncta, usuum originem vel consuetudinis conditiones, aliquando abrogandam, aliquando vero asservandam.

Quoties disciplina particularis Sacris Scripturis, disciplinae communi, et generali Ecclesiae regimini adversetur, vel ex ejus observantia abusus, perturbationes aut quaecumque damna populo christiano sequantur, proculdubio aboleri aut inmmutari potest ac debet: praemonendum tamen est ejusmodi oppositionem in vera *contrarietate,* non in mera *diversitate* ponendam esse, hoc est, disciplinam vere censendam *contra jus* et non solùm *praeter jus.*

Nam quoties disciplina sit praeter jus, et alioquin traditione et majorum praxi sancita fuerit, juxta Patrum testimonia et totius antiquitatis consensum, poterit, immo etiam tolerari oportebit. Ita aperte docent Divus Augustinus, Sanctus Hieronymus et Nicolaus I in Epistola II ad Photium. En verba Doctorum Maximorum Augustini et Hieronymi, quorum doctrinam amplexatus est Pontifex Nicolaus I; Augustinus luculenter inquit: *In his rebus, de quibus nihil certi statuit Scriptura, mos populi Dei, vel instituta majorum pro lege tenenda sunt: de quibus si disputare voluerimus, et ex aliorum consuetudine alios improbare, orietur interminata luctatio* (1). Hoc ipsum tradit S. Hieronymus ad Licinium scribens: *Traditiones ecclesiasticas, praesertim quae fidei non officiunt, ita observandas ut a majoribus traditae sunt, nec aliorum consuetudinem aliorum contrario more subverti* (2).

48. Disciplina generalis, uti superiùs innuimus, in *temporalem* seu *oeconomicam* et *perpetuam* distribui solet: *temporalis* vocatur quae statuitur pro tempore determinato et peculiaribus rerum adjunctis; variabilis certe habetur, siquidem finito tempore vel mutatis circumstantiis, quae praxi, ordinationi, aut institutioni ansam dederunt, omnem vim et vigorem amittit. Hujusmodi generis sunt abstinentia a sanguine et suffocato

---

(1) *Epist. 86 vet. edit.*
(2) *Epist. 28 vet. edit.*

pristinis Ecclesiae temporibus apostolico praecepto fidelibus imposita, ne superstitionem gentilicam imitari vel participare viderentur, communio sub utraque specie, de qua loquuti sumus, per Sanctum Gelasium Pontificem Romae praescripta, ut Manichaei á Christianis distinguerentur, atque ita illorum vafritia detegeretur, prohibitio usus calicis pro laicis ab Ecclesia jam a saeculo XIV contra Bohaemios decreta, et postea saeculo XVI ob Novatorum haeresim iterata.

Disciplina *perpetua* sic dicta ex eo quod instituta sit pro tempore indefinito, et qualibet aetate rerumque adjunctis usum et vigorem sortiri debeat, rectè atque in sensu catholico, perspicuitatis gratia et ratione duplicis objecti, circa quod versatur, dispesci usuvenit in *internam* et *externam;* nomine *internae* intelligitur quae primario refertur ad Dei cultum et honorem, Divinorum Mysteriorum celebrationem, rerum sacrarum dignitatem ac reverentiam, et quidquid in ordine morum essentiale existimatur; denominatione *externae* subaudit quae directè externum Ecclesiae regimen respicit, uti electionem et consecrationem personarum ecclesiasticam hierarchiam constituentium, earum auctoritatem atque immunitatem, judicia, bona temporalia Ecclesiae, aliaque id genus.

49. In disciplina *interna* secernere oportet illud quod est *substantiale* ab eo quod merè *caeremoniale* seu *accidentale* aestimatur; primum omnino immutabile habendum est, alterum sub mutationibus et vicissitudinibus cadit.

Sed quaeritur quid hac communi appellatione *substantiale* comprehendatur? Ad omnem dubitationem vel obscuritatem in re non exigui momenti tollendam, cathegoricè statuimus et explicitè asserimus quatuor esse praecipua capita, quae partem substantialem disciplinae internae constituunt: 1.° Praxes liturgicae divinitùs institutae, putà oblatio, verba consecrationis, fractio

Hostiae, sumptio, distributio inter communicantes, ritus parum aquae in vino fundendi; ita docent SS. Cyprianus (1) atque Augustinus (2), et juxta D. Hieronymum (3) etiam addenda est recitatio Orationis Dominicae: 2.° Quidam ritus traditione apostolica et perpetuo omnium ecclesiarum usu sanciti, ut recitatio vel cantus psalmorum, lectio Sacrarum Scripturarum, thurificatio, *obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, et omnibus, qui in sublimitate sunt* ab Apostolo (4) praescriptae, quibus adjiciendae nonnullae antiquissimae formulae, veluti *per omnia saecula saeculorum* cum responsione populi *Amen*, cujus meminit S. Irenaeus (5), *sursum corda* cum fidelium responso *habemus ad Dominum*, de qua loquítur S. Cyprianus (6): 3.° Canones disciplinares aliqua divina praecepta determinantes, uti leges circa confessionem et communionem in Paschate: 4.° Ecclesiastica praecepta quae moralem obligationem imponunt, hujusmodi habentur pro omnibus christianis interesse Sacro et sese ab operibus servilibus abstinere in diebus festis, jejunium quadragesimale et quatuor temporum necnon vigiliarum; pro clericis, horae canonicae et caelibatus.

50. Praeter *substantiale* alterum quoque elementum merè *caeremoniale* seu *accidentale* considerandum remanet, quod equidem mutationi subjacet, prouti annales ecclesiastici et accurata antiquitatum christianarum investigatio evidenter ostendunt. Brevitati consulentes, inter innumera exempla, quae hac super re proferri possent, praecipuas variationes tum quoad *Liturgiam Eucharisticam* seu sacrosanctum Missae sacri-

---

(1) *Epist. ad Caecilium.*
(2) *De Doctr. Christ. lib. IV, cap. 32.*
(3) *Lib. 1, advers. Pelag. cap. 18*
(4) *I. Thim. cap. II, ver. 1.*
(5) *Lib. I, adv. haeres. cap. I.*
(6) *Lib. de Orat. Dominica.*

ficium, tum quoad *Liturgiam Psalmodicam* seu officium divinum.

Quoad Liturgiam Eucharisticam, plures et frecuentes mutationes pro temporum, rerum atque locorum adjunctis invectae sunt sive in templorum aedificatione et ichnographia; sive in structura et ornamentatione altarium; sive in vestimentis pro sacris faciendis; sive in materia et forma calicum et pyxidum; sive in modo Missam celebrandi, quae praeter *romanum* communiter receptum quatuor praecipuis ritibus in Occidente peracta est, videlicet, *mixto-arabico*, *gallo, aquilejensi* et *ambrosiano;* sive denique in praefatione, canone et orationibus, uti videre est in Sacramentariis Leoniano et Gelasiano, atque in Missalibus a Sancto Gregorio Magno usque ad Clementem VIII editis.

Quoad Liturgiam Psalmodicam seu *Horarium*, a Micrologo ad haec usque tempora variationes et modificationes haud paucae recenseri possunt, non solum in forma et tempore canonicas horas decantandi, verum etiam in numero, ordine atque dispositione lectionum et precum, quae ex Divinis Litteris, Sanctis Patribus et Historia Ecclesiastica excerptae *Compendium* aut *Summarium* conflarunt sub nomine *Breviarii* cognitum. Et sane saeculo XI S. Gregorius VII ecclesiastica officia in summam redegit, tempore Micrologi editam, ex quo liber horarum a clericis usitatus *Breve Horarium* seu per contractionem *Breviarium* vocari coepit; deinceps anno 1241 jussu Gregorii IX praedictum *Compendium* precum reformavit P. Haymon, Minister Generalis Fratrum Minorum; postea Cardinalis Franciscus de Quiñones Breviarium, iterum castigavit, quae quidem emmendatio a Clemente VII recepta et approbata Romae in lucem edita est anno 1536; sed cum omnium assensum et plausum nullatenus obtinuisset, Sanctus Pontifex Pius V novam et accuratam correctionem aggressus est, qua felicitèr consummata, prodiit novissima Breviarii Roma-

ni editio Pii V Bulla universali Ecclesiae praescripta, Tridentino decreto sancita et pontificia auctoritate Clementis VIII et Urbani VIII confirmata. Demum nostris ferè diebus Concilium Vaticanum, cum adhuc in Breviario quaedam monumenta historica contineantur a sana critica repudiata utpote a veritate aliena, postremam correctionem meditabatur, ad meliora tempora prorogatam propter sectariorum invasionem et necessariam sessionum suspensionem.

51. Ad partem caeremonialem, hoc est, elementum accidentale disciplinae internae rectè mutandum tria requiruntur: 1.° Potestas ecclesiastica, cui quaelibet praescriptio vel innovatio liturgica triplici de causa subjicitur; primum, quia de ordinandis religionis actibus et cultu divino definiendo agitur, et quovis tempore atque apud omnes populos jus religiosa officia praecipiendi et ritus determinandi, quibus homines Deum colere tenentur, in sacerdotibus semper et solummodo agnitum est; deinde, quia praxis liturgiae et exteriores caerimoniae in functionibus sacris peragendis usurpatae sanctitatem inter fideles utilitèr et fovent et augent; nunc vero, quidquid ad animarum sanctificationem confert, utpote *spirituale*, et ad finem spiritualem ordinatum potestati spirituali subesse debet, alioquin deficeret debita proportio inter finem et media, quae diversi ordinis evaderent, atque inter objectum et subjectum potestatis, quae suos limites transgrederetur: tertio, quia juxta sacra eloquia, Patrum sententias et Conciliorum decreta, quorum testimonia proferre nimis longum esset, Ecclesiae Pastoribus, maximeque pastorum Principi, non autem regibus vel saecularibus magistratibus, incumbit jus ac officium judicandi, jubendi et cuncta praestandi, quae ad regimen animarum, externam Ecclesiae politiam et publici cultus organizationem spectant.

2.° Requiritur etiam uniformitas in unaquaque Ecclesia, Natione aut ecclesiastica Provincia, uti de-

cretum est in conciliis Vannensi (can. XV, 465), Agdensi (can. XXX, 506), Epaonensi (XXVII, 509), Gerundensi (can. I, 517), praesertim vero, Toletano IV (can. II, 633) cujus haec sunt verba: *Unus igitur ordo orandi atque psallendi nobis per omnem Hispaniam atque Galliciam conservetur, unus modus in Missarum solemnitatibus, unus in vespertinis, matutinisque officiis, nec diversa sit ultra in nobis ecclesiastica consuetudo, qui in una fide continemur et regno: hoc enim et antiqui canones decreverunt, ut unaquaeque provincia et psallendi et ministrandi parem consuetudinem teneat.*

3.° Requiritur denique conformitas cum disciplina Ecclesiae Romanae; tum ratione *unitatis,* ut ita uniformitas disciplinae liturgicae in unitate fidei fulciatur, cujus centrum Ecclesia Romana est, ejusque caput Summus Pontifex solidissimum fundamentum; tum ratione *auctoritatis quasi maternae,* qua gaudet Ecclesia Romana supra omnes Ecclesias Italiae, Hispaniae, Galliarum, Germaniae, Africae, Siciliae et Insularum adjacentium, utpote a Beatissimo Petro vel ejus Successoribus fundatas, juxta percelebrem Decretalem S. Innocentii I ad Decentium Eugubinensem (1); cum igitur Ecclesia Romana, aut veluti ait Divus Leo Magnus (2). *B. Petri sedes sacerdotalis mater sit dignitatis, esse debet ecclesiasticae magistra rationis;* ratione demum *patriarchatus,* quem Romanus Pontifex in Occidente obtinet; nam quemadmodum Patriarchae Orientis in omnibus sui patriarchatus Ecclesiis pleno jure liturgico praediti fuerunt, ita etiam Episcopi Romae, etiam si tantum tamquam Patriarchae Occidentis spectentur, auctoritate propria funguntur in Ecclesia Latina pro stabilienda disciplina liturgica, et perfecto jure praescribere vel saltem approbare quoscumque ritus et caeremonias sacras possunt.

Ecclesiae vero particulares Romanae attemperari

---

(1) *Epist. XXV, edit. Const.*
(2) *Epist. XVI, edit. Baller. cap. 1.*

tenentur praesertim in duobus, videlicet, in celebratione Sacrificii Eucharistici atque in idiomate latino sacrae liturgiae. Ad primum quod attinet, Occidentales Ecclesiae pro Sacro faciendo observare debent ritus ac caeremonias, quae in Missali Romano expresse notantur, etenim Tridentina Synodus decreta conciliorum Trevirensis (1549) et Narbonensis (1609) confirmans statuit: *ne Sacerdotes... ritus alios, aut alias caeremonias et preces in Missarum celebratione adhibeant, praeter eas, quae ab Ecclesia probatae, ac frecuenti et laudabili usu receptae fuerint* (1). Quoad alterum eadem sacrosancta Synodus apertè declarat: *Etsi Missa magnam contineat populi fidelis eruditionem, non tamen expedire visum est Patribus, ut vulgari passim lingua celebraretur. Quamobrem, retento ubique cujusque Ecclesiae antiquo, et a sancta Romana Ecclesia, omnium Ecclesiarum matre, et magistra, probato ritu...* (2). Paulò post (1566) Sanctus Pius V Const. *Providentia* decrevit Latinos Graecè, et vicissim Graecos Latinè celebrare minimè audere.

52. In externa disciplina duplex quoque elementum distinguendum est, alterum quod *fundamentale, essentiale* seu *principale* appellare possemus, alterum quod per oppositionem *minus principale* seu *secundarium* vocare placet.

Jam vero facilè convincitur disciplinam externam in iis quae fundamentalia aut essentialia dicuntur, nec revocationi, nec dispensationi, neque voluntariae renuntiationi aut arbitrariae variationi obnoxiam esse posse: ut ejusmodi affirmationem corroboremus, duo praestantiora exempla appositè selecta et temporum luctuosae conditioni aptata in medium afferemus, scilicet, prohibitionem pravorum librorum et conservationem ecclesiasticae immunitatis, quae duo disciplinae capita hodiedum enucleare omnium certè refert.

---

(1) *Sess. XXII, in Decreto de observ. et evit. in celeb. Missae.*
(2) *Sess. XXII, cap. VIII.*

In primis enim, nemo inficiabitur, si catholicè sentire velit, potestatem libros rectae fidei et bonis moribus adversantes tum judicandi, tum prohibendi, tum damnandi Ecclesiae Pastoribus jure divino ita inesse, ut derogationi, renuntiationi, aut immutationi nullatenus subjaceat, siquidem tota quanta est innititur officiis propriis, necessariis atque inalienabilibus, quae Romanis Pontificibus Petri Succesoribus et Episcopis eorumdem in Ecclesiae regimine coadjutoribus incumbunt, salutaribus pascuis gregem christianam pascendi. Ea propter Nicolaus I ad Episcopos Galliarum ita rescribebat: *Sic Pontificum decreto libros exterminari, ut quod Sedes Apostolica probat, teneatur acceptum; et quod illa repulit, habeatur inefficax* (1).

Licet enim Imperatores vel Principes saeculares haereticorum libros aliquando damnarunt et comburi jusserunt, hoc quidem fecerunt vel *sanciendo*, vel *obsequendo*, vel *puniendo; sanciendo*, diximus, videlicet, Ecclesiae judicium sequendo et non praeveniendo, prohibitionem aut condemnationem ab ecclesiasticis judicibus jam latam obsecundando et legibus civilibus muniendo; ita se gesserunt Constantinus Magnus interdicendo Arii libros jam a Nicaèna Sinodo damnatos, Valentinianus et Marcianus in ignem tradendo libros Eutychis a Concilio Chalcedonensi antea reprobatos, Carolus V praecipiendo ut publice comburerentur Lutheri, Aecolampadii, Zuwinglii, Bucaeri et Joannis Calvini libri Bulla Leonis X nuper proscripti; unus tantum Imperator Theodosius Ecclesiae judicio sese anticipavit scripta Theodoreti Cyrenensis damnando, postquam vero hic a Patribus Chalcedonensibus absolutus fuerit, Imperatores Valentinianus et Marcianus legem Theodosii abrogarunt. *Obsequendo*, addidimus, quia aliquoties Imperatores edicta prohibitionis vel combustionis ediderunt,

(1) *Epist.* XIII.

hortante Ecclesia vel Patribus, et ita piae Matris precibus indulgebant et Romanorum Pontificum vota adimplebant, uti Divus Hieronymus testatur: *Imperatorum quoque scripta, quae de Alexandria et Aegypto origenistas pelli jubent, me suggerente, dictata sunt* (1); ipsique Patres Ephesini ad Imperatores Theodosium et Valentinianum scripserunt: *Vestram Majestatem iterum atque iterum rogatam cupimus, ut universam illam doctrinam e sanctis Ecclesiis submovere, ejusdemque libros ubique locorum repertos jubeas flammis absumi* (2). *Puniendo*, demum adjicimus, quia saepenumero Ecclesia et Patres ad damnandos haereticos eorumque prava scripta comburenda Principum opem et protectionem efflagitabant, ut ecclesiasticae leges majorem vim obtinerent et haereticorum dolus et contumatia poenis temporalibus tutiùs atque faciliùs frangerentur; audiamus rursum hac super re Patres Ephesinos ita ad Theodosium et Valentinianum alloquentes: *Quod si quis vestras Sanctiones spreverit, illae vestrae dominationis indignationem formidet. Sic enim Apostolica fides per vestram pietatem munita persistet illaesa* (3).

Quod ad immunitatem ecclesiasticam attinet, praetermissa controversia quae apud canonistas viget, de origine juridica hujusmodi sacrae praerogativae, utrum nempe juris divini vel juris ecclesiastici sit, nobis in praesens sufficit asserere et cum Tridentina Synodo profiteri immunitatem ecclesiasticam *Dei ordinatione et canonicis sanctionibus* (4) esse inductam, ideoque *mediatè* in jure divino atque *immediatè* in jure ecclesiastico fulciri, et status clericalis decori ac sacri ministerii dignitati ita necessariam censeri, ut Ecclesia sua jura, et exemptiones perpetuo vindicavit, et ipsi Romani Ponti-

(1) *Lib.* I. *contr. Ruffin.*
(2) *Tom.* I *Conc. Hard. col. 1443.*
(3) *Loc. cit.*
(4) *Sess.* XXV, *cap 20 de Ref.*

fices, quamvis, propter temporum conditionem et frecuentes cum potestate saeculari conflictus imminutiones aut limitationes passi fuerint, semper forti constantique animo ecclesiastica privilegia propugnarunt, et nullatenus tulerunt et numquam sinent neque consentire poterunt illa penitus abrogari, denegari, vel violari, etiam hac nequissima aetate irreligiositatis et aggressionis Principum et Guberniorum adversus Ecclesiae Catholicae jura et Apostolicae Sedis auctoritatem.

Enimvero Immunitas ecclesiastica pars potissima est illius essentialis libertatis, *quam,* ut ajunt Patres Ephesinae Synodi, ***nobis donavit sanguine suo Dominus noster Jesus Christus omnium hominum liberator*** (1); Immunitas ecclesiastica, prout subdit praeclarus S. Thomas Cantuariensis, est veluti ***anima Ecclesiae, sine qua nec viget Illa nec valet adversum eos qui quaerunt haereditate sanctuarium Dei possidere*** (2); Immunitas ecclesiastica est tamquan pignus et firmissima tutela supremae Sponsae Christi independentiae, sicut asserit strenuus Episcopus Gofhredus de Vandoma: *quando vero Ecclesia saeculari potestati subjicitur, quae ante Domina erat, ancilla efficitur, et quam Christus Dominus dictavit in Cruce, et quasi propriis manibus de sanguine suo scripsit, chartam libertatis amittit* (3); denique Immunitas ecclesiastica est praecipuum et solidissimum fulcimentum fidei, religionis et auctoritatis, uti enim apposite prosequitur Ernolphus percelebris Episcopus Lexovienensis, *quoties libertati detrahitur, constat fidei nihilominus derogari: quoniam mutua sibi invicem ratione connexae eadem semper et dispendia sentiunt et proventus* (4).

53. Adest etiam in disciplina externa praeter elementum fundamentale aliud minus principale quod res,

---

(1) *Act.* VII.
(2) *Epist.* 127 *ad Clerum Angl.*
(3) *Opusc.* VI, *edit. Sirmond.*
(4) *Lib.* I, *epist.* 85 *inter epist. S. Thom. Cant.*

nt ita dicam, accesorias seu secundarias respicit, atque ideo derogationibus vel mutationibus subjicitur, uti leges circa bona ecclesiastica eorumdemque administrationem et distributionem, judiciorum ordinem, electionum formam, aliaque similia versantes; quae omnia pro varietate temporum rerumque adjunctis ab Ecclesia abrogari vel variari queunt, sed hac triplici limitatione:

1.ª Immutari non debent ea disciplinae generalis capita, ex quorum derogatione vel mutatione ingentia mala in Ecclesia gignerentur aut gravis deordinatio in populo Christiano sequeretur.

2.ª Custodire et fideliter exequi oportet, nisi bonum generale Ecclesiae aut animarum aeterna salus aliter postularent, leges, praxes et instituta disciplinaria collatis consiliis sancita, praesertim vero per concordata inter Sanctam Sedem et Principes saeculares inita, quia "justitia et rationis ordo suadet, ut qui a suis succesoribus mandata sua servari desiderat, praedecessoris sui voluntatem atque statuta custodiat" (1).

3.ª Jura et privilegia Ecclesiarum particularium observare et colere decet; nam, ut Sanctus Gregorius Magnus ad Dominicum Episcopum Carthaginensem scribebat: *Sicut nostra defendimus, ita singulis quibusque Ecclesiis sua jura servamus* (2). Eadem de causa Divus Leo Magnus, decreto Concilii Oecumenici et voluntati Imperiali reluctans, canonem XXVIII Chalcedonensis Sinodi, quo Sedes Constantinopolitana praeeminentia ac dignitate aucta erat adversus jura Ecclesiarum Alexandriae et Anthiochiae a Concilio Nicaeno declarata et recognita, apostolica firmitate semper respuit, ita loculenter ad Patres Chalcedonenses alloquens: *De custodiendis quoque Sanctorum Patrum statutis, quae in Synodo Nicaena in-*

(1) *Justitia* 25, *q*. I.
(2) *Lib*. II, *epist*. 47, *al*. 39.

violabilibus sunt fixa decretis, observantiam vestrae sanctitatis admoneo, ut jura Ecclesiarum, sicut ab illis 318 Patribus divinitus inspiratis sunt ordinata, permaneant (1).

54. De conditionibus ad rectam Disciplinae Ecclesiasticae mutationem requisitis perpauca delibabimus, ne sermo protrahatur plus quam limites hujus tractationis patiuntur.

Tria, juxta omnium consensum, desiderantur, ut quaelibet disciplinaris variatio ritè atque canonicè peragatur, nimirum, materia suapte natura mutabilis, potestas legitima et justa causa. *Materia mutabilis* necessario exposcit rem vel usum disciplinarem mutandum aut derogandum nec ad institutionem divinam pertinere, nec cum dogmate esse intimè conjunctum, neque partem substantialem disciplinae internae vel elementum fundamentale disciplinae externae constituere.

Potestas legitima, cui ex Dei dispositione unice competit jus res disciplinares abrogandi vel temperandi, in auctoritate sacra atque spirituali omnino sita est, nempe, Ecclesia, Romano Pontifice, Conciliis et Episcopis; at vero nunquam laici licet imperiali seu regali dignitati insigniti sint, hanc facultatem exerere possunt; neque jure *majestatico*, prout contendebat Bohemerus cum aliis Protestantibus; neque jure *collegiali*, uti jactitabat Moshemius pluresque juristae decantatae Reformationis; nec demum jure *res externas* moderandi, velut effutiebant Josephus II Austriae Imperator, Leopoldus Dux Ethruriae, Conciliabulum Pistoriense et turba magna jansenianae sectae.

Denique nemo inficias ibit *causas justas* extare posse pro diversitate temporum, locorum et personarum ad mutationes perficiendas, siquidem ipse praelaudatus Pontifex S. Leo Magnus ad Rusticum Narbonensem scribens ejusmodi necessitatem palam et solemniter hisce

(1) *Epist.* 89, *Cacciar. edit.*

verbis agnoscebat: *Sicut quaedam sunt quae nulla possunt ratione convelli, ita multa sunt quae aut pro consideratione aetatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari* (1).

Justae causae pro facienda mutatione in re disciplinari, juxta authenticum Innocentii III testimonium, ad duo genera revocantur, videlicet, urgentem necessitatem vel evidentem utilitatem: *Non debet*, ait memoratus Pontifex, *reprehensibile judicari, si secundum varietatem temporum statuta quoque varientur humana, praesertim cum urgens necessitas, vel evidens utilitas id exposcit* (2).

ARTICULUS VI

SUMMARIUM

55. Notio Juris *Applicati.*—56. Necessitas Interpretationis.—57. Jurisprudentia. - 58. Interpretatio —59. Quotuplex sit.—60. Vis interpretationis tam *publicae*, quam *privatae.*—61. Regulae interpretationis earumque auctoritas.—62. Regulae *authenticae* Juris.—63. Regulae *doctrinales.*—64. Regulae *generales* interpretationis.—65. Regulae interpretationis *declarativae.*—66. Regulae interpretationis *extensivae.*—67. Regulae interpretationis *restrictivae.*—68 Regulae servandae in *conflictum legum.*

55. Conceptu Juris *generalis, ecclesiastici et practici,* quoad fert praelectionum indoles, satis delineato, enucleare superest notionem Juris *applicati,* sub quo usuvenit tum recta legum interpretatio, res quidem ardua, multamque peritiam postulans, tum apta et sapiens earumdem legum applicatío ad facta singularia seu determinatas hominum actiones, res equidem expedita et facilis, semel mente Legislatoris ope genuinae interpretationis rite comperta.

56. De interpretatione agere cogimur, quia ejus necessitas res omnino explorata et communitèr recepta

(1) *Ep.* 167, *Ball. edit. col.* 141.
(2) Cap. *Non debet* VIII *de Consanguin. et Affin.*

est, quippe quae ex ipsa legis univérsalitate et firmitate oriatur; nulla enim lex a quocumque legislatore ferri potest, quae adeo clara et provida evadat, ut omne dubium penitus excludat et cunctis peculiaribus casibus pariter et rectè aptari queat. Rationem seu motivum, in quo legalis interpretationis necessitas fulcitur, paucis sed luculentis verbis exposuit Zallwein: "Cum omnes ferme leges, ait doctus canonista, sint regulae generales, et imposibile sit legem ferre ita claram, quae nulla egeat interpretatione, aut ita universalem, ut ad omnes casus in sacris occurrentes, quos nullus legislator praevidere potest, applicari et extendi valeat, opus erit quadam prudentia, qua mediante leges non solum rectè intelligantur, sed et ad actiones hominum sapienter applicentur, et ad casus in legibus non expressos justa interpretatione extendantur„ (1).

57. Ejusmodi prudentia explicandi applicandique juris solet jurisprudentia nuncupari, et cum Soglia rectè definiri potest: *Facultas sive habitus ecclesiasticas leges interpretandi, easque ritè ad occurrentes casus applicandi*. Uti ex allata definitione eruitur, ecclesiastica jurisprudentia, si scopum sibi praestitutum attingere velit, duplici officio seu muneri incumbere debet, nempe, legibus scienter *interpretandis*, atque iisdem ad casus obvenientes justè *applicandis*.

58. Cum interpretatio generatim sumpta nihil aliud sit quâm *veri et genuini sensus alicujus sermonis investigatio*, legum interpretatio propriè dici potest: *Explanatio veri et genuini sensus in aliqua lege obscura vel ambigua contenti;* exinde Tullius inquit: "quia erant multa obscura, multa ambigua, explanationes adhibitae sunt interpretum„ (2).

---

(1) *Princ. Jur. Eccl. tom. I, q. 2, cap. 3*
(2) *Lib. 1 de Div.*

59. Interpretatio, si spectetur principium ex quo originem ducit, distingui solet in *publicam* et *privatam: publica* dicitur quae ab auctoritate procedit; *privata* vero seu *doctrinalis* quae fit a privatis doctoribus.

Publica ratione *subjecti* seu auctoritatis, ex qua emanat, subdividitur in *authenticam, usualem* et *judicialem: authentica* vocatur quae proponitur ab ipso legislatore; *usualis*, quae ex consuetudine proficiscitur, vel potius ex legislatore juxta populi consuetudinem; *judicialis* seu *tribunalium*, quae fit a judice, dum in ferenda sententia jus allegat, illudque interpretatur.

Interpretatio *privata* aut *doctrinalis* ratione *modi* dispesci solet in *declarativam, extensivam* et *restrictivam:* prima fit mentem legislatoris assequendo mera expositione verborum legis, unde appellatur etiam, *litteralis, simplex* et *comprehensiva;* secunda fit legem applicando, ob identitatem rationis, ad casum vel personam verbis legis quidem non expressam, mente tamen legislatoris comprehensam; tertia denique fit vel prohibendo extensivam interpretationem, et tunc dicitur *restrictiva impropriè,* vel legis sententiam coarctando magis quam verba ferunt, et tunc dicitur *restrictiva propriè* seu *positivè;* haec quoque vocari solet Epieikeia (aequitas), quatenus est *benigna quaedam juris interpretatio declarans casum particularem, ob circumstantias, in lege alias universali juxta mentem legislatoris non contineri,* proinde potius aequitati intendit quam stricto juri.

60. Quoad vim atque auctoritatem cujuslibet interpretationis generis, haec tenenda sunt: interpretatio *authentica,* eo quod ab ipso legislatore vel ejus successore proficiscitur, indubitata et legitima auctoritate gaudet, ideoque instar legis retinenda est, ac nemini licet ab ea recedere. *Usualis,* quotiescumque consuetudini accedit legislatoris consensus, vim legis obtinet juxta tritum axioma: *consuetudo est optima legum interpres. Judicialis,* quoniam judex non est constitutus pro

lege interpretanda, sed applicanda, et eatenus ipsi competit facultas interpretandi, quatenus ad legem applicandam necessarium est judicium de vero illius sensu, legali valore non pollet, nisi uniformitas decisionum praxim curiae inducat, vel tribunal supremum legem communem interpretetur; idcirco hujusmodi interpretatio, perinde ac sententia et res judicata, inter solos litigantes jus facit, aliis vero, juxta cap. 17 *de sent. et re judicat.*, nec nocet, nec prodest, nisi causae sint connexae. *Doctrinalis* seu *privata,* licet interdum moralem certitudinem parere et obligationem inducere possit, per se tamen vim non habet introducendi leges, quia omnibus patet jurisperitos, aliosque viros doctos, qui legibus canonibusque interpretandis operam navant, auctoritate minimè esse praeditos; ideoque eorum interpretationes tantum valent, quantum probant rationes et argumenta, quae ab ipsis afferuntur, et unicuique integrum est aliter sentire.

61. Omnis interpretatio, ut scitè et rectè fiat, certis regulis communiter receptis subjicienda est, quibus tamquam normae ac limiti aptari debet.

In jure canonico dicitur *regula: quaelibet sententia brevis et compendiosa ex jure praeexistente deprompta;* ex hac definitione apertè eruitur non ex regula efformari jus, sed ex jure praeexistente deductam atquere dactam esse regulam. Nunc vero, quemadmodum interpretatio altera est authentica, altera doctrinalis, ita etiam regulae interpretationis aliae sunt *authenticae* quae auctoritate legislatoris nituntur et vim juris obtinent, aliae sunt *doctrinales,* sic dictae quia a doctoribus privatis instar axiomatum inventae et usurpatae fuere; passim *brocardicae* vocantur a nomine corrupto Burchardi celebris in Germania canonistae; ejusmodi regulae, ut clarè liquet, jus facere nequeunt, quoniam a privatorum opera et peritia procedunt. Praemonendum est, nullam regulam sine exceptione universaliter probare,

sed omnibus aliquam subesse exceptionem, quae sermone juridico *fallentia* nominatur.

62. Sicut Jus Romanum 211 regulas continet Digestis subjunctas, ita etiam in Jure Canonico 99 regulae authenticae reperiuntur sic distributae: 11 in *Decretalibus Gregorii IX* et 88 in *Sexto Decretalium* (1).

Ut juris studiosi authenticas regulas prae manibus habeant, et expeditè consulere queant, eas, prouti in Corpore Juris habentur, heic subjicimus.

Regulae in Decretalibus Gregorianis insertae.

I. Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur.

II. Dubia in meliorem partem interpretari debent.

III. Utilius scandalum permittitur, quam veritas relinquatur.

IV. Quod non est licitum in lege neccessitas facit licitum.

V. Quod illicitè introductum est, nulla debet stabilitate subsistere.

VI. Tormenta, indiciis non praecedentibus, inferenda non sunt.

VII. Sacrilegus est ofendens rem vel personam ecclesiasticam.

VIII. Qui ex timore facit praeceptum, aliter quam debeat facit, et ideo jam non facit.

IX. Commitens unum peccatum, reus est omnium quoad vitam aeternam.

X. Ignorantia non excusat Praelatum, in peccatis subditorum.

XI. Pro spiritualibus homagium non praestatur.

---

(1) De Regulis Juris conf.: Maschat, *Institutiones Juris Canonici*, lib.V, tit. 41, *Regulis juris*; Pirrhing, *Jus Canonicum*, lib.V, tit. 41; Reiffenstuel, *De regulis juris*.

Regulae in Sexto Decretalium relatae.

I. Beneficium ecclesiasticum non potest licitè sine canonica institutione obtineri.

II. Possessor malae fidei ullo tempore non praescribit.

III. Sine possessione praescriptio non procedit.

IV. Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum.

V. Peccati venia non datur nisi correcto.

VI. Nemo potest ad imposibile obligari.

VII. Privilegium personale personam sequitur, et extinguitur cum persona.

VIII. Semel malus, semper praesumitur malus.

IX. Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum.

X. Ratihabitionem retrotrahi, et mandato aequiparari, non est dubium.

XI. Cum sint partium jura obscura, reo favendum est potius quam actori.

XII. In judiciis non est acceptio personarum habenda.

XIII. Ignorantia facti, non juris, excusat.

XIV. Cum quis in jus succedit alterius, justam ignorantiae causam censetur habere.

XV. Odia restringi et favores convenit ampliari.

XVI. Decet concessum a Principe beneficium esse mansurum.

XVII. Indultum a jure beneficium non est alicui auferendum.

XVIII. Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit.

XIX. Non est sine culpa, qui rei quae ad eum non pertinet, se immiscet.

XX. Nullus pluribus uti defensionibus prohibetur.

XXI. Quod semel placuit, amplius displicere non potest.

XXII. Non debet aliquis alterius odio praegravari.

XXIII. Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.

XXIV. Quod quis mandato facit judicis, dolo facere non videtur, cum habeat parere necesse.

XXV. Mora sua cuilibet est nociva.

XXVI. Ea quae fiunt a judice, si ad ejus non spectant officium, viribus non subsistunt.

XXVII. Scienti et consentienti non fit injuria, neque dolus.

XXVIII. Quae a jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda.

XXIX. Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.

XXX. In obscuris minimum est sequendum.

XXXI. Eum qui certus est, certiorari ulterius non oportet.

XXXII. Non licet Actori quod Reo licitum non existit.

XXXIII. Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum.

XXXIV Generi per speciem derogatur.

XXXV. Plus semper in se continet quod est minus.

XXXVI. Pro possessore habetur qui dolo desiit possidere.

XXXVII. Utile non debet per inutile vitiari.

XXXVIII. Ex eo non debet quis fructum consequi, quod nisus extitit impugnare.

XXXIX. Cum quid prohibetur, prohibentur omnia quae sequuntur ex illo.

XL. Pluralis locutio duorum numero est contenta.

XLI. Imputari non debet ei per quem non stat, si non faciat quod per eum fuerat faciendum.

XLII. Accessorium natura sequi congruit principalis.

XLIII. Qui tacet consentire videtur.

XLIV. Is qui tacet non fatetur, sed nec utique negare videtur.

XLV. Inspicimus in obscuris quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit.

XLVI. Is qui in jus succedit alterius, eo jure quo ille uti debebit.

XLVII. Praesumitur ignorantia, ubi scientia non probatur.

XLVIII. Locupletari non debet aliquis, cum alterius injuria vel jactura.

XLIX. In poenis, benignior interpretatio facienda est.

L. Actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem.

LI. Semel Deo dicatum non est ad usus humanos ulterius transferendum.

LII. Non praestat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum.

LIII. Cui licet quod est plus, licet utique quod est minus.

LIV. Qui prior est tempore potior est jure.

LV. Qui sentit onus, sentire debet commodum, et e contra.

LVI. In re communi, potior est conditio prohibentis.

LVII. Contra eum qui legem dicere potuit apertius, est interpretatio facienda.

LVIII. Non est obligatorium, contra bonos mores praestitum juramentum.

LIX. Dolo facit, qui petit quod restituere oportet eumdem.

LX. Non est in mora, qui potest exceptione legitima se tueri.

LXI. Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.

LXII. Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur.

LXIII. Exceptionem objiciens, non videtur de intentione adversarii confiteri.

LXIV. Quae contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi.

LXV. In pari delicto vel causa, potior est conditio possidentis.

LXVI. Cum non stat per eum ad quem pertinet, quominus conditio impleatur, haberi debet perinde ac si impleta fuisset.

LXVII. Quod alicui suo non licet nomine, nec alieno licebit.

LXVIII. Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum.

LXIX. In malis promissis, fidem non expedit observari.

LXX. In alternativis, debitoris est electio, et sufficit alterum adimpleri.

LXXI. Qui ad agendum admittitur; est ad excipiendum multo magis admittendum.

LXXII. Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per seipsum.

LXXIII. Factum legitimi retractari non debet, licet casus postea eveniat, a quo non potuit inchoari.

LXXIV. Quod alicui gratiose conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum.

LXXV. Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem a se praestitam servare recusat.

LXXVI. Delictum personae non debet in detrimentum Ecclesiae redundare.

LXXVII. Rationi congruit, ut succedat in onere qui substituitur in honore.

LXXVIII. In argumentum trahi nequeunt, quae propter necessitatem aliquando sunt concessa.

LXXIX. Nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur.

LXXX. In toto partem non est dubium contineri.

LXXXI. In generali concessione non veniunt ea quae quis non esset verisimiliter in specie concessurus.

LXXXII. Qui contra jura mercatur, bonam fidem praesumitur non habere.

LXXXIII. Bona fides non patitur ut semel exactum iterum exigatur.

LXXXIV. Cum quid una vice prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti.

LXXXV. Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur.

LXXXVI. Damnum quod quis sua culpa sentit, sibi debit, non aliis imputare.

LXXXVII. Infamibus portae non pateant dignitatum.

LXXXVIII. Certum est, quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem.

63. Regulae *doctrinales* pro recta interpretatione jurisperitorum opera et studio concinnatae, perspicuitatis gratia, ad quinque genera revocari possunt: aliae sunt *generales;* aliae prae oculis habendae sunt, quoties agatur de interpretatione vel *declarativa,* vel *extensiva,* vel *restrictiva;* aliae demum servari debent in *conflictu legum* (1).

Inter varios auctores qui hac de re summatim per-

(1) De Regulis doctrinalibus cons.: Schmalzgrueber, *Jus Ecclesiasticum,* lib. I, tit. 2; Suarez, *de Legibus,* lib. VI; Maschat, *Institutiones Juris canonici,* lib. I, tit. 2; Brabandere, *Praenotiones,* art. VI; Zallinger, *Institutionum,* lib. I, tit. 2.

tractare studuerunt, omnibus forsitan simplicitate atque ordine praestat doctissimus canonista Ludovicus Huguenim, qui ita praeclarè regulas doctrinales interpretationis recenset et exponit, ut doctrinam hujus peritissimi viri amplecti et describere minime dubitamus, quamvis pro memoria tyronum juvanda, ipsa praefati auctoris principia adhuc etiam in compendium redigemus.

64. In qualibet interpretatione tres regulas *generales* ante omnia observare oportet:

1.ª *Interpretatio legis juxta mentem legislatoris semper facienda est:* quia intentio legislatoris anima legis et obligationis mensura meritò censetur.

2.ª *Excludenda est interpretatio, ex qua sequeretur absurdum, iniquitas, contrarietas legum, vel ipsa legis inutilitas;* quia juxta omnes materia legis debet esse rationi conformis et societati utilis, et alioquin nec datur, nec concipitur interpretatio *annihilativa* legis: hinc admitti nequeunt causae excusantes a lege jejunii omnes christianos.

3.ª *Exceptio a regula tres praecipuos producit effectus, nempe, restringit, declarat ac firmat regulam; restringit,* nam universalitas legis deficit seu patitur *fallentiam,* respectu casus excepti: *declarat,* etenim definit atque specificat rem determinatam, de qua loquitur regula; *firmat* denique, quoniam casus non excepti eo ipso sub regula comprehensi putantur.

65. Regulae interpretationis *declarativae:*

1.ª *Interpretatio debet esse grammaticalis,* hoc est, attendenda est verborum proprietas, quia voluntas legislatoris plerumque colligitur ex verbis juxta communem significationem acceptis; hinc lex generaliter loquens omnia significata complectitur, secundum axioma: *Ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus.*

2.ª *Interpretatio debet esse historica,* seu quod idem est, ratio temporum habenda est, tum propter diversam *verborum usurpationem,* quae antiquis temporibus aliud

significabant, aliud nunc significant, uti vocabula papa, dioecesis, parochia, viaticum, et alia, quorum antiquae significationes in alias mutatae sunt (1); tum propter *ambiguitatem vocum*, quae ita flexiloquae, non connexae, aut involutae esse possunt, ut mentem legislatoris assequi et sensum legis penetrare non sinant, nisi prius occasio sive causa ob quam lex condita est, et peculiaria personarum, locorum ac temporum adjuncta investigentur.

66. Regulae interpretationis *extensivae:*

1.ª *Similitudo rationis non sufficit ad interpretationem extensivam;* quia ratio legis non est ipsa lex, nec legislator obligare intendit, nisi ad id quod exprimit, sic statuta pro regularibus edita per extensionem accommodari nequeunt Congregationibus non stricte regularibus.

2.ª *Identitas rationis satis est ad faciendam legis extensionem;* alioquin enim legislator injustitiae vel imprudentiae argui posset; unde illud axioma: *Ubi eadem est ratio, ibi eadem juris dispositio.*

Identitas vero rationis passim reperitur: 1.° in *correlativis,* v. g. inter sponsum et sponsam; 2.° in *aequiparatis,* v. g. tam licita est violatio clausurae canonicae ob incendium, quam ob hostium invasionem; 3.° in *connexis* et *contentis,* v. g. facultas testandi potestatem etiam confert codicillos faciendi.

3.ª *Favores sunt ampliandi,* hoc est, leges libertati faventes, sicuti etiam privilegia praeter legem, quae meri favores existimantur, latè interpretanda sunt; ita annus vigesimus secundus ad suscipiendum subdiaconatum canonicè requisitus, intelligitur inceptus tantum. Ad ejusmodi regulam revocantur quaedam principia re-

---

(1) Distinctam vim et acceptionem verborum, habita ratione temporum, explicarunt Albaspinaeus, Balutius, Carolus Fresnius, aliique eruditi viri.

flexa, quibus Theologia moralis utitur, ex. g. *melior est conditio possidentis; in dubio favendum est reo,* etc.

67. Regulae interpretationis *restrictivae:*

1.ª *Lex positiva licitè restringitur, quoties rationabiliter praesumi potest benigna mens legislatoris, spectatis peculiaribus adjunctis;* etenim lex est *ordinatio justa,* nec legislator vult *contra aequitatem* obligare in casibus expressè non exceptis; sic, v. g. sumptio Eucharistiae minime interdicitur non jejunis, cum imminet profanationis periculum.

2.ª *Licitum est uti Epieikeia sensum legis positivae benignè atque ex aequo restringendo, si hujusmodi limitationem postulent vel observantia legis superioris, vel ratio boni communis, vel vitatio gravi detrimenti;* hinc usus *epieikeiae* in triplici praesertim casu locum obtinet: 1.° cum litteralis legis executio legi superiori repugnat, v. g. missionarius vestem clericalem ea mente relinquere potest, ut conversari queat apud infideles aut haereticos; 2.° cum legis observantia bono communi nocet, v. g. cives possunt arma capere et pugnare contra hostes civitatem invadentes, quamvis lex generalis gestationem armorum prohibeat; 3.° quando lex humana fit nimis onerosa, juxta vulgatissimum axioma: *Lex positiva non obligat cum tanto incommodo.*

3.ª *Odia sunt restringenda,* id est, leges gravamen inferentes, pariterque privilegia *contra legem,* quae odiosa censentur, strictè interpretanda sunt; sic, v. g. annus vigesimus primus, qua urget lex jejunii, intelligitur completus. Sub hac regula quoque veniunt quaedam alia principia reflexa in Theologia morali crebro usurpata, v. g. *lex dubia non obligat; nemo malus praesumitur, nisi probetur; in poenis benignior interpretatio facienda est.*

68. Regulae servandae in *conflictu legum:*

1.ª *In concursu legum, quae sibi contrariae videntur, primo tentanda est conciliatio;* quia non facile admitten-

da est antinomia seu contrarietas legum, ne legistator sibi contradicat; aliunde correctio juris tamquam odiosa habetur.

2.ª *In concursu legis generalis cum alia lege generali, si conciliatio utriusque obtineri nequeat, lex nova derogat priori;* ita enim statuunt Decretales: "Romanus Pontifex, qui jura omnia in scrinio pectoris sui censetur habere, constitutionem condendo posteriorem, priorem revocare noscitur" (1).

3.ª *In concursu legis specialis cum lege generali, si contrariae sint, utraque servanda est,* videlicet, *generalis* tamquam regula, *specialis* autem veluti exceptio, juxta regulam XXXIV in Sexto: *Generi per speciem derogatur;* notissima enim sunt verba Bonifacii VIII: "Romanus Pontifex, cum locorum specialium consuetudines possit ignorare, ipsis, nisi de iis expressam faciat mentionem, non intelligitur derogare" (2).

---

(1) Bonifacius VIII, cap. I *de Constitutionibus,* in 6.º
(2) *Eodem loc.*

CAPUT II

FONTES JURIS ECCLESIASTICI



ARTICULUS I

SUMMARIUM

69. Quid sub nomine *Fontium* veniat.—70. Quotuplicis generis esse possint.—71. Fontes generales et proprii Juris *scripti.*—72. Veteris Testamenti Praecepta.—73. Eorum usus et auctoritas in Jure Canonico.—74. Novi Testamenti Praecepta et Instituta.—75. Vis et usus eorumdem.—76. Quomodo Instituta Divina ab Apostolicis internosci valeant.—77. Traditio ejusque species.—78. Usus atque auctoritas.—79. Regulae ad secernendas Divinas ab humanis traditionibus.

69. Hactenus de notionibus generalibus disceptavimus ad verum Juris conceptum finiendum, libet nunc disputationem novam aggredi, ut res praestantissima lucidè et ordinatè explanetur: magni quidem momenti nobis videntur illa omnia doctrinae capita, quae ad numerum, usum et auctoritatem Fontium Juris Ecclesiastici spectant.

Verbum *Fons* significatione naturali ac metaphorica accipi potest: *fons* naturaliter sumptus idem est ac *locus ex quo aliquid fluit;* metaphoricè nomine *fontium* usuveniunt *ea loca communia ex quibus probationes et argumenta depromuntur pro aliqua veritate corroboranda,* sive haec rationum momenta testimoniis, sive factis, sive documentis nitantur.

In Jure Ecclesiastico vocabulum *fons* etiam dupliciter usurpari potest, nempe, sensu *strictiori* ac *proprio,* pro ipso legislatore seu *persona,* ex qua *jura vel leges emanare valent;* sensu autem *latiori* atque *translato,* pro

iis *locis, in quibus Jus ipsum invenitur, et ex quibus rationes et argumenta hauriuntur ad res canonicas fulciendas et veritates juridicas constabiliendas.*

70. Juris Ecclesiastici Fontes distingui solent: 1.° ratione *extensionis,* in *generales* et *particulares*; 2.° ratione *temporis,* in *antiquiores* et *novissimos;* 3.° ratione *originis,* in *scriptos* et *non scriptos;* 4.° ratione *usus,* in *proprios* atque *improprios* aut *subsidiarios.* Hujusmodi classificationis fundamentum atque denominatis ex eo repetenda est, quod tum leges, tum loca in quibus leges collectae continentur, possint pro *universali* Ecclesia vel tantum pro Ecclesia *particulari* vigere; Jus *commune* seu Decretalium vel Jus *novissimum* seu Tridentinum constituere; ab ipso *legislatore* directè procedere vel inmediatè a *populo* proficisci; *auctoritate* insita atque ineluctabili pollere vel *vim* cogendi merè accessoriam ac *suppletivam* habere, cum leges positivae deficiant.

Hac divisione fontium praejacta, logicam methodum sequentes singillatim agemus: 1.° de fontibus *generalibus* Juris Ecclesiastici; 2.° de fontibus *particularibus;* 3.° de fontibus *Hispanicis.*

Disquisitio fontium generalium quatuor capita distincta et specialia complectetur, quorum primum fontes *communes* et *proprios* juris *scripti* inquiret; alterum fontes Juris *novissimi* etiam *proprios* et *scriptos* perscrutabit; tertium fontes vel potius fontem juris *non scripti,* videlicet, consuetudinem, exponet; postremum de fontibus *impropriis,* qui subsidio esse possunt juri tam antiquo et novo, quam novissimo, pertractabit.

71. Fontes generales et proprii juris ecclesiastici scripti, tum *strictè,* tum *latè* sumpti, quatuor sunt, neque plures, neque pauciores; siquidem juxta primam acceptionem, quatenus legislatores seu principium ex quo leges procedunt, designant, quatuor tantum legum ecclesiasticarum latores agnoscimus, nempe *Christum Jesum* ipsius Ecclesiae fundatorem et legislatorem, *Apostolos*

potestate ab ipso Christo accepta, *Summos Pontifices,* denique *Episcopos* in Conciliis congregatos. Juxta secundam vero acceptionem, hoc est, prout fontes ea loca denotant in quibus leges inveniuntur et unde argumenta et probationes desumuntur pro rebus canonicis confirmandis, quatuor etiam numerantur ecclesiasti juris fontes, videlicet, *Sacra Scriptura, Traditio, Constitutiones Romanorum Pontificum* et *Canones Conciliorum generalium*; quoniam ea omnia quae *Christus Dominus* docuit et praecepit, quaeve *Apostoli* tradiderunt, in Sacra Scriptura vel Traditione servantur; quae autem a Supremis *Pontificibus,* aut ab *Episcopis* sancita sunt, in Constitutionibus Summorum Pontificum et in Canonibus Conciliorum generalium continentur.

72. Comperta atque omnibus explorata est generalis Sacrae Scripturae divisio in *Vetus* et *Novum Testamentum;* Vetus eos complectitur libros (45) ad legem a Moyse promulgatam et ad Judaeorum synagogam spectantes; Novum autem eos (27) continet ad legem Christi Domini atque ad Ecclesiam pertinentes (1).

Vetus Testamentum tribus praeceptorum generibus constat, *moralibus, caeremonialibus* et *judicialibus;* praecepta *moralia* in veteri Testamento tradita, sicut ipsa lex naturalis, qua innituntur, semper vigent atque immutabilia prorsus manebunt, eapropter Christus non sustulit vel relaxavit, sed clarius evolvit, confirmavitque: praecepta *caeremonialia,* quae divinum cultum, sacrificia, sacros ritus, necnon publicum Synagogae statum ejusque Sacerdotium regulabant, abrogata fuere, quando Sacerdotium translatum est, et novum Testamentum morte Testatoris obsignatum: demum praecepta *judicialia,* quae civilem Hebraeorum politiam constituebant, irrita facta sunt, postquam, repudiata Synagoga, omni-

(1) Tridentina Synodus recenset omnes nominatim Sess. IV, in Decreto de Canonicis Scripturis. Cons. Theologos, quibus haec provincia incumbit.

no desiit respublica Hebraeorum sine ulla restitutionis spe. Praemonendum tamen est Ecclesiam Apostolorum vestigiis insistentem ex praeceptis *caeremonialibus* nonnullos ritus adoptasse, qui divino cultui plus decoris afferunt, cujusmodi sunt templorum dedicatio, sacrae vestes, thus, lampades, cantus, et alia ejusdem generis; ex *judicialibus* vero deprompsisse plures leges in Decretalibus insertas, veluti cap. I de homicidio, cap. I ėt II de adulterio et stupro, cap. I de furtis, cap. I, II, III, IV et V de injuriis, et hujusmodi alia.

73. Quoad usum et auctoritatem veteris Legis praeceptorum, haec retinenda videntur: praecepta *moralia* penitus immutabilia atque inviolata habentur, auctoritatem planė divinam obtinent atque canonistis praebere possunt argumenta certissima atque firmissima pro veritatibus et rebus ad Jus ecclesiasticum attinentibus plenius exponendis et validissimis rationibus vindicandis.

Si vero agatur de praeceptis *caeremonialibus* ac *judicialibus,* distinctione cum Divo Thoma utendum est; nam, prout ait Angelicus Doctor (1), in jure caeremoniali et judiciali veteris Testamenti triplicem partem considerare oportet, nempe *mortiferam, canonizatam* et *mortuam;* pars *mortifera* ea praecepta complectitur, quae consummato Christi morte humanae redemptionis mysterio ita interciderunt, ut neque cum fide christiana conciliari, neque sine peccato usurpari amplius queant, uti ritus sacrificiorum; haec igitur omnia, evidenter patet, nec auctoritatem habere, nec argumenta in Jure canonico promere posse.

Pars *canonizata* seu *codificata* plurimis ritibus ac praeceptis coalescit ab Ecclesia in jus canonicum translatis, cujusmodi sunt, ut supra innuimus, ordinatio presbyterorum, consecratio ecclesiarum, thurificatio, alia-

(1) *Summa*, pars II, sect. 1, quaest. 99.

què similia: ejusmodi leges Judaeorum in corpus Juris Canonici receptae, vi mere ecclesiastica gaudent, etenim non tamquam leges divinae, sed tamquam leges ecclesiasticae habendae sunt, ut optimè scripsit Zallwein (1): "Leges istae non habent vim obligandi vi institutionis divinae, quae cessavit, sed vi auctoritatis Ecclesiae eas libere adoptantis"; ac proinde argumenta ex hac parte canonizata desumpta tantum ponderis in se continent, quantum valent quaecumque aliae leges ecclesiasticae, atque insuper Ecclesia potest easdem leges in suum Codicem relatas vel relaxare, vel etiam penitus abrogare.

Pars *mortua*, ea scilicet quam Ecclesia neque reprobavit, neque recepit, nulla auctoritate in Jure canonico pollet, nec divina, nec ecclesiastica, attamen propter analogiam utriusque Foederis, cum alterum Testamentum alterius umbra et simulacrum fuerit, suppeditare poterit argumenta *a pari* vel etiam *a fortiori* ad multa ecclesiasticae jurisprudentiae capita illustranda, et amplius confirmanda, praesertim collatione instituta inter statum Ecclesiae et Sacerdotium Christianum atque statum publicum Synagogae ejusque Sacerdotium, quo quidem argumento Sancti Patres saepenumero usi sunt. Sic dignitas Levitarum et Sacerdotum novae legis a S. Leone Magno (2), continentia Clericorum sacerque caelibatus a Divo Hieronymo (3), distinctio inter Clericos ac Laicos, ecclesiastica immunitas, aliaque plura dogmata a Sanctis Patribus ex Lege veteri mirificè confirmantur.

74. Novum Testamentum jure merito putandum est veluti primus et potissimus fons Juris Ecclesiastici, sive publici, sive privati; et re quidem vera, omnia de

(1) *Princip. Jur. Eccles. tom.* I.
(2) *Serm.* 8 *passion. Dom. cap.* 8 .
(3) *Contra Jovinian.* Lib. I, *num.* 34.

quibus Jus Ecclesiasticum publicum disserit circa divinam Ecclesiae fundationem atque constitutionem, circa institutionem potestatis hierarchicae, circa sacrum imperium Apostolis et in primis Beato Petro à Christo collatum, circa naturam ac extensionem hujus sacri imperii ad bonum Religionis et Ecclesiae gubernationem divinitus instituti, ex Sacris Scripturis Novi Testamenti proculdubio sumenda sunt. Et ad Jus privatum quod attinet, omnes ferme leges ecclesiasticae Divinis Litteris confirmari et illustrari valent, si non luculenter ex ipsis tamquam regulis generalibus a Deo traditis eruantur.

In Novo Testamento continentur *praecepta* divina et diversi generis *instituta: praecepta* divina dicuntur leges vel doctrinae a Christo Domino traditae, quarum observantia vel professio omnes fideles obstringit, et quae praesertim in Evangeliis reperiuntur; distingui solent in *dogmatica, sacramentalia* et *moralia,* prout sub lege seu doctrina divina nobis proponuntur sive veritates credendae, sive res sacrae conficiendae aut conferendae, sive regulae morum servandae.

Instituta vocantur illae ordinationes vel praxes quae in Libris Novae Legis habentur tamquam ab ipso Christo vel ab Apostolis praescriptae; hinc triplicis generis esse possunt: *divina, apostolico-divina* et *apostolica,* quatenus vel a Jesu Christo tradita et promulgata sint, vel a Christo Domino tradita, sed per Apostolos promulgata fuerint, vel denique ab Apostolis et tradita, et publicata, uti Ecclesiarum Rectoribus.

75. Quoad vim et usum ejusmodi legum et ordinationum, praecepta atque instituta *divina* et *apostolico-divina,* quae Christus in Evangelio tradidit, aut quae Apostoli coelitus afflati proposuerunt, cum verè et propriè divina sint, auctoritatem indubiam et concludentem obtinent, absoluta perpetuitate atque omnimoda immunitate gaudent, ac validissima luculentaque argumenta pro rebus canonicis constabiliendis praebent; nihilomi-

nus, ut argumenta et Sacris N. Testamenti Litteris desumpta certitudine et firmitate munita sint, verba accipi debent in sensu litterali, sive proprio, sive metaphorico, nunquam vero in sensu mystico seu spirituali (1), juxta regulam tutissimam, quam Cardinalis R. Bellarminus apertè tradidit: "Convenit inter nos et adversarios ex solo litterali sensu peti debere argumenta efficacia. Nam cum sensum, qui ex verbis immediatè colligitur, certum est sensum esse Spiritus Sancti; at sensus mystici et spirituales varii sunt, et licet aedificent, cum non sunt contra fidem et bonos mores, tamen non semper constat an sint a Spiritu Sancto intenti" (2).

At vero praecepta atque instituta *mere apostolica*, nempe, quae Apostoli non tamquam Verbi Dei Praecones, sed veluti Ecclesiae Pastores ediderunt, quamquam in S. Litteris contineantur, cum tamen propriè humana et ecclesiastica sint, perpetuitati et firmitati minimè obnoxia sunt, sed ab Ecclesia sive a Summo Pontifice, sicuti reliquae ecclesiasticae leges, immutari, relaxari et abrogari possunt; ita videmus, ut alio in loco animadvertimus, plura Apostolorum instituta, vel sensim deleta, vel aliis ritibus moribusque suffecta. Monendum autem ducimus neutiquam Episcopis, neque Conciliis provincialibus aut nationalibus competere potestatem eadem apostolica instituta immutandi aut derogandi, quippe quae ad generalem Ecclesiae disciplinam spectant.

76. Si regula certa, fixa et generalis petatur, qua instituta divina ab apostolicis internosci possint, sequentem cum Card. Soglia statuimus: *omnia et singula, quae in epistolis et reliquis Apostolorum libris continentur,*

---

(1) De sensu Sacrae Scripturae *litterali*, sive *proprio*, sive *metaphorico*, atque de sensu *mystico* seu spirituali, qui in *allegoricum*, *analogicum* et *tropologicum* passim dividitur, conf. Theologos atque Scripturarios, qui fusè hac de re disputant.

(2) Lib. III *de Verbo Dei*, cap. 3.

pro divinis habenda sunt, nisi ex verbis, aut ex subjecta materia luculenter appareat eadem ab Apostolis tamquam Ecclesiarum Rectoribus profecta esse.

Ex hac generali regula eruitur duo esse attendenda, ut differentia rectè definiatur: primum itaque consideranda sunt *verba* ipsa institutionis, videndi ergo, an Christi nomine loquuti sint; sic Sanctus Paulus in exemplo toties citato ad Corinthios scribens ait: *Iis autem qui matrimonio juncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere*, etc. (1); et paulo post subjungit: *Nam caeteris ego dico, non Dominus: Si quis frater uxorem habet infidelem, et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam* (2)· In primo casu loquitur de institutione divina, in altero de apostolica.

Si nihil certum ex verbis cognosci possit, tum subjecta *materia* spectari debet, et hoc principium sequendum est: *si quod traditur ad fidem vel mores pertineat, vel ejusmodi sit, ut humanam potestatem superet,* (veluti Sacramentorum institutio) *divinum quidem erit; si vero ad disciplinam spectet, non temerè apostolicum institutum dicendum est.* Sic cum S. Jacobus de Extrema Unctione loquatur, de divina institutione agit, siquidem homines sacramenta instituere nequeunt.

77. Secundus Juris Ecclesiastici fons, authenticus et maximi quidem momenti, TRADITIO censetur, quae generaliter sumpta nihil aliud est quam *quaelibet doctrina seu institutio, non scripta, sed verbis tradita;* ac proinde in re canonica *Traditionis* nomine intelligitur: *doctrina seu institutio, quae a primis auctoribus verbo, non scripto, in Ecclesiam inducta est.*

Traditiones ratione *objecti* dividuntur in *dogmaticas, morales* et *disciplinares,* prouti doctrina vel institutio, circa quam versatur traditio, ad fidem, vel ad mores,

(1) *Epist.* I, *cap.* VII, *v.* 10

(2) *Eod. loc.* v. 12.

vel ad disciplinam pertinet; ratione *originis* tribuuntur in *divinas*, quae Deum habent auctorem, et *humanas*, quae ab hominibus originem ducunt.

Traditiones *divinae* possunt esse *simpliciter divinae, quae,* juxta Tridentinam Synodum (1), *ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae fuerunt;* vel *divino-apostolicae, quae ab ipsis Apostolis, Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditae ad nos usque pervenerunt; humanae* vero in *apostolicas* et *ecclesiasticas* distinguuntur: *apostolicae* vocantur doctrinae vel praxes ab ipsis Apostolis, tamquam Ecclesiae pastoribus institutae, et ad nos viva voce transmissae, veluti observatio diei dominicae, jujunii quadragesimalis, etc.; *ecclesiasticae* nuncupantur quidam ritus vel consuetudines ab Episcopis, Apostolorum successoribus, accedente fidelium usu, introductae, et ad nos usque transmissae, tales sunt Festorum celebrationes, aquae lustralis usus, aliaque id genus.

78. Quod ad vim atque ejusmodi traditionum valorem spectat, traditiones *divinae,* sicut praecepta et instituta divina aut apostolico-divina, sunt omnino immutabiles, nullique potestati humanae obnoxiae; suscipiendae enim plena fide atque firmissimo assensu, ipsa siquidem naturalis ratio persuadet Deo credendum parendumque esse, sive ejus verbum per schedam, sive per vivam internuntii vocem promulgetur, cum ratio credendi atque obtemperandi non sit *littera,* sed *auctoritas* loquentis, nihilque intersit, utrum scripto, an viva voce voluntas Dei sciatur, dummodo certò sciatur.

Traditiones vero *humanae,* apostolicae, nempe, et ecclesiasticae magna quidem cum reverentia servandae sunt, attamen, non secus ac humanae leges et instituta, ab Ecclesia vel a Summis Pontificibus mutari, justisque de causis etiam abrogari possunt, sed, ut alibi diximus, ab Episcopis vel particularibus Conciliis derogari aut aboleri nequeunt.

(1) *Sess. IV. in Decreto de S. Scriptura.*

Demum ex *Traditione*, veluti Juris Ecclesiastici fonte, validissima argumenta petuntur, quotiescumque de fide et moribus, de sacris ritibus, deque ecclesiastica disciplina in Jure Canonico disceptatur, quamquam horum argumentorum vis et auctoritas varia sit pro varia origine traditionum: alia est enim auctoritas traditionis quae a Deo procedit, et alia traditionis quae ab homine ortum habet.

79. Ad internoscendas *divinas* traditiones ab *humanis*, haec generalis regula statuitur: *Inspicienda est tum ipsa traditionis materia, tum Sanctorum Patrum sententia, tum praecipuè Ecclesiae doctrina:* hinc tres regulae particulares deducuntur prae oculis hac in re semper habendae:

1.ª *Traditio divina est, si ejus materia ad fidem pertineat, aut sit earum rerum, quae humanam potestatem superant,* uti v. g. materia et forma Sacramentorum: ratio hujus regulae est, quia fides solum Deum habet auctorem, et Sacramenta a solo Deo institui possunt.

2.ª *Pariter traditio divina est, si quod praecipit aut statuit, id consentientes inter se Patres tamquam oretenus a Christo vel a Spiritu Sancto dictatum, Apostolos tradidisse testentur, aut id generatim affirment, ad praeceptum divinum, sive ad divinam institutionem pertinere;* quandoquidem Sancti Patres sunt legitimi divinarum traditionum testes.

3.ª *Traditioni divinae tribuendum est quidquid Ecclesia tamquam divinitus traditum observat aut docet, nec in Sacris Litteris continetur:* ratio ejusmodi postremae regulae in eo sita est, quod Ecclesia Catholica hisce in rebus errare nequeat.

ARTICULUS II

SUMMARIUM

80. Constitutiones Pontificiae.—81. Praecipuae species et denominationes juxta veterem et novam disciplinam.—82. *Bullae* et varia earum genera.—83. In quo discriminentur Bullae a *Brevibus*.—84. Recens Leonis XIII dispositio.—85. Romanorum Pontificum jus in Decretis edendis.—86. Praxis perpetuo servata in exercitio hujus Potestatis.

80. Summi Pontifices potestatem á Christo Domino pro totius Ecclesiae regimine acceptam multiplici modo et actibus quovis tempore exercuere, sed praesertim ejusmodi supremam auctoritatem in suis *Constitutionibus* explicarunt, quae, tamquam *uberrimus fons*, potiorem Juris Canonici partem conficiunt, ita ut in cultu sacrorum, in cura christiani populi, in administratione rerum ecclesiasticarum, in judiciis, in universa denique ecclesiastica disciplina maximum usum auctoritatemque habeant; immo etiam, juxta Bouix aliosque canonistas, haberi merentur veluti Juris Ecclesiastici fons unicus, eo quod nec Sacra Scriptura nec Traditio, neque Concilia generalia nobis constarent aut vim obtinerent, nisi auctoritate Romanorum Pontificum fulcirentur, unde tritum illud Divi Augustini proverbium: *Ego vero Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiae Catholicae moveret auctoritas.*

Constitutionum nomine intelliguntur: *Quaecumque leges, ordinationes vel regulae a Romanis Pontificibus tamquam Ecclesiae universalis Rectoribus conditae, sive definitiones, sive decreta, sive responsa, sive rescripta sint.*

81. Constitutiones Pontificiae diversimode distingui ac denominari solent in veteri et nova disciplina. Ad saeculum usque XII Constitutiones dividere possumus: ratione *loci*, in *Encyclicas* seu *Catholicas* et in *Tractorias* seu *Tractatorias* (a tractu vel circuitu), prout ad totam

Ecclesiam vel ad determinatam regionem, provinciam aut dioecesim dirigebantur; ratione *dignitatis* personarum quibus mittebantur, in *Clericales*, *Diaconales* et *Episcopales;* et demum ratione *materiae,* in *Denuntiativas, Declarativas, Indicativas, Paschales, Salutatorias* et *Synodicas.* Dicebantur *Denuntiativae* quae pro denuntiatione personarum in haeresim labentium expediebantur; *Declarativae,* pro declaratione et condemnatione alicujus haeresis; *Indicativae,* pro evulgatione nominum eorum, qui altarium honores sunt adepti; *Paschales,* pro decernenda die celebrationis Paschae; *Salutatoriae,* pro mutuis fiduciae, amicitiae et benevolentiae officiis fovendis; *Synodicae* postremò, ad finiendam convocationem futuri concilii.

A saeculo autem XII Constitutiones tribui consueverunt: 1.° ratione *materiae,* in *Dogmaticas* et *Disciplinares; Dogmaticae* vocantur, quae ad fidem et mores spectant; *Disciplinares,* quae ad ritus et disciplinam sacrorum, externamque politiam Ecclesiae pertinent. 2.° Ratione *extensionis,* Disciplinares dividuntur in *Generales* et *Speciales; Generales,* quae pro tota Ecclesia eduntur; *Speciales, Rescripta* vulgo nuncupatae, quae tantum ad peculiarem ecclesiam, locum vel personam mittuntur. Generales vero variis nominibus designantur: dicuntur *Constitutiones* propriè dictae, si aliquid maximi momenti permanenter observandum statuant; *Decreta,* si *motu proprio* Summi Pontificis, absque ulla praevia consultatione expediantur; *Decretales Epistolae* seu *Responsa,* si praecedente alicujus Episcopi vel Ecclesiae consultatione aut postulatione emissae fuerint, quamvis pro bono Ecclesiae universalis; *Encyclicae,* si ad universos orbis Episcopos, aut saltem alicujus partis notabilis Ecclesiae dirigantur. 3.° Ratione *formae* iterum Constitutiones in *Bullas* et *Brevia* recensentur.

82. *Bullae* appellantur: *Quaedam Constitutiones pro*

gravioribus negotiis a Romano Pontifice per Cancellariam expeditae, quae ex chordulis sericis vel cannabeis ferunt appensum sigillum auri vel plumbi in cujus facie extant imagines Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et in dorso nomen Pontificis regnantis. Verbum *bulla* a nomine latino *bulla, ae,* quod ampullam significat, originem ducit, vel a *tessera* quadam militibus victoribus a Romanis concessa, quae etiam *bulla* propter formam convexam vocabatur, vel denique ex *sigillis* Imperatorum bullae denominatione quoque nuncupatis, vel quia imagines sculptas habebant, vel quod ex collo, veluti bullae aut tesserae romanae, appendebantur. Dividuntur Bullae in *Consistoriales, non Consistoriales* et *Intermedias* seu *Semibullas:* primae in Consistorio eduntur, a Romano Pontifice et Cardinalibus subscribuntur, atque sigillo Consistorii speciali muniuntur; secundae per Cancellariam expediuntur absque Cardinalium subscriptione, et sine Consistorii sigillo; Semibullae nominantur quae a Romano Pontifice nondum coronato evulgantur.

83. Bullae discriminantur a Brevibus diversitate *sigilli, membranae, tituli, expeditionis, datae, scripturae et finis.*

Sigillo: nam Bullae vel ostendunt sigillum plumbeum chordulis sericis seu cannabeis appensum cum imaginibus Sanctorum Petri et Pauli ex una parte, et nomine Pontificis regnantis ex alia; vel exhibent impressum sigillum rubri coloris cum imaginibus Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli circumdatis nomine Pontificis regnantis: Brevia autem habent sigillum cerae rubrae, in quo inpressa est imago Sancti Petri piscationem agentis, unde dicuntur expediri *sub annulo piscatoris.*

Membrana: pro Bullis subobscurae et crassiores, pro Brevibus albae et subtiles adhibentur.

Titulo: Bullae incipiunt: *Leo, servus servorum Dei,* non in forma tituli, sed a capite versiculi; Brevia incipiunt: *Leo, Papa XIII,* in forma tituli.

Expeditione: Bullae in Cancellaria expediuntur; Brevia per Cardinalem a secretis Brevium.

Data: Bullae ferunt datam Incarnationis; Brevia, Nativitatis.

Scriptura: Bullae characteribus longobardis seu theutonicis scribuntur vel potius scribebantur sine punctuatione; Brevia litteris latinis et perpolitis eduntur, generali punctuatione servata.

Fine: Bullae etenim pro gravioribus; Brevia pro levioribus negotiis dari solent.

84. Per decretum die 29 Decembris anni 1878 Summus Pontifex Leo XIII jussit in posterum sigillum plumbeum pro Bullis, quae ad majora beneficia conferenda et solemniora Sanctae Sedis acta peragenda expedirentur, tantum esse adhibendum; pro caeteris vero Bullis non tam magni momenti utendum sigillo rubro imagines Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ostendente, inscriptione nominis Summi Pontificis regnantis circumductas. Sustulit praeterea diversitatem *scripturae* et *membranae*, characterem theutonicum seu longobardum et specialem membranam pro Bullis antea usitatos penitus interdicendo, et communi latino atque eodem papyro omnia Sanctae Sedis acta deinceps exarari praecipiendo.

85. His praejactis, de jure, prudentia et aequitate Romanorum Pontificum in condendis Constitutionibus dicturi sumus, tum ut status hujus praestantissimae controversiae melius internoscatur, tum etiam ad propè innumeros generali refutatione convellendos errores, quos hac occasione adversus Ecclesiam catholicam, ejusque visibile atque supremum Caput blaterare veriti non sunt novissimis temporibus Apostolicae Sedis infensissimi hostes.

Jam vero ad jus quod attinet, nemo inficiari audebit Romanis Pontificibus potestatem inesse ferendi ejusmodi Constitutiones, cum pro hac vindicanda facultate mi-

litent institutio Primatus, natura societatis christianae, organizatio hierarchica Ecclesiae, et praxis omnium saeculorum.

1.° Institutio Primatus planè evincit Pontifices Maximos jure esse praeditos leges condendi, quoniam juxta explicitas Concilii Vaticani definitiones, "beatus Petrus Apostolus a Christo Domino constitutus est Apostolorum omnium princeps et totius Ecclesiae militantis visibile caput, atque ab eodem Domino nostro Jesu Christo directe et immediate accepit primatum non tantum honoris, sed verae propriaeque jurisdictionis, in perpetuam salutem ac perenne bonum Ecclesiae institutum; ideoque beatissimus Petrus, fidei columna et Ecclesiae catholicae fundamentum ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus, Episcopis Sanctae Romanae Sedis, ab ipso fundatae, ejusque consecratae sanguine, vivit et praesidet et judicium exercet. Unde Romanus Pontifex, prosequitur Sancta Synodus, qui in hac Cathedra Petro succedit, secundum Christi ipsius institutionem primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet, cujus primatus vis et ratio minimè sita est in mero oficio inspectionis vel directionis, sed in plena et suprema potestate jurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimem Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent„ (1).

2.° Natura juridica Ecclesiae a Christo Domino tamquam societatis perfectae atque independentis fundatae a Summis Pontificibus eamdem potestatem postulat. Etenim in omni societate aliquis sit oportet, qui jura et officia singulorum ordinum, actiones, res, negotia judiciaque aequis legibus moderetur, jubendo ea quae facienda sunt, et contraria prohibendo: siquidem sine legibus nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec ho-

(1) Vid. Const. Dogmat. *De Ecclesia Christi*, capp. I, II et III.

minum universum genus stare potest. Age jam in qualibet societate ferendarum legum potestas iis competit, qui regendae, gubernandae, administrandaeque societati praepositi sunt; sed cum Romanis Pontificibus, prout ex Florentina et Vaticana definitione constat, *in Beato Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino Nostro Jesu Christo plena potestas tradita sit, aperte colligitur ipsos Summos Pontifices potestate a Christo accepta gaudere pro condendis et injungendis legibus, quibus et oves et agni, hoc est, tum Pastores, tum fideles obtemperare tenentur.*

3.° Potestas Romanorum Pontificum legifera ex ipsa Ecclesiae constitutione hierarchica etiam probatur; nam in societate christiana jure divino distinguuntur superiores seu magistratus, nempe, Episcopi, quorum est jubere et imperare, et inferiores seu subditi, quibus obsequi et obedire incumbit; nunc vero, si Christus Dominus primatum non instituisset (hypotheticè loquimur) et B. Petro ejusque successoribus plenam, ordinariam atque immediatam jurisdictionis potestatem haud contulisset, erga quam omnes et singuli sive Pastores, sive fideles, officio hierarchicae subordinationis, veraeque obedientiae obstringerentur, ipsi Episcopi, cum omnes sint aequales jure divino, pro bono Ecclesiae regimine et unitate servanda, superiorem vel praesidem agnovissent aut elegissent auctoritate insignitum omnes jubendi et ad finem societatis communem consequendum aequis legibus cogendi, alioquin ordo subverteretur, schismata et dissentiones undique exsurgerent et societas christiana funditus pessumdaretur.

4.° Denique jus Pontificium confirmatur ex praxi non interrupta Romanorum Pontificum in edendis decretis: a remotissima enim antiquitate ad nostram usque aetatem hujusmodi essentialem primatus praerogativam Pontifices exercuere, et quidem pleno jure atque summo cum imperio, siquidem, ut videbimus, priscis tempori-

bus Constitutiones Pontificae *Auctoritates* nuncupabantur, quo significaretur maximam atque ineluctabilem debere apud omnes esse earum vim et auctoritatem.

Sic speciminis gratia, saeculo I adduci potest Epistola Decretalis S. Clementis Romani ad Corinthios, in qua solvuntur aliqua dubia ab eis proposita.

Saeculo II, S. Victor Papa ad Episcopos Palestinae missit plura Decreta occasione contentionis circa Paschae celebrationem ortae, et coactum fuit Concilium, cujus acta ita incipiunt; *Papa Victor Romanae Urbis Episcopus direxit auctoritatem ad Theophilum Caesariensem. Cum multitudo illa convenit, Theophilus Episcopus protulit auctoritatem ad se missam Papae Victoris.*

Saeculo III, magna exorta in Africa quaestione circa admissionem adulterorum ad poenitentiam, Pontifex S. Zephyrinus scripsit Epistolam praecipiens Episcopis admissionem, quae Epistola ad nos usque pervenit per Tertullianum qui eam in Libro de *Castitate* memorat, et quamvis jam Montanista nimis indulgentem censet, attamen auctoritatem Romanis Pontificis agnoscit.

Saeculo IV, S. Siricius ad Hicmerium Tarraconensem varias missit Decretales, in quibus rebaptizationem ab haereticis baptizatorum prohibebat, proferendo etiam Decreta sui praedecessoris Liberii hisce verbis: *Venerabilia Decreta a praedecessore meo Liberio missa,* quibus ostenditur vis et auctoritas his decretis tributa.

Saeculo V, S. Zosimus in sua Epistola I ad Episcopos Galliae, postquam decreverat ut clerici, qui e Gallia ad Romam aut aliò se conferrent, litteras *formatas* (1) a Metropolitano Arelatensi acceptas exhibere deberent, addidit: *Quam Auctoritatem ubique nos misisse*

---

(1) Litterae *formatae* ita dictae, quod peculiari forma ac singularibus signis et characteribus scriptae erant, ne quis falsas obtruderet, primaevam originem a Conciliis Illiberitano (301) et Arelatensi I (314) duxerunt, quorum Patres, ad innumeros corrigendos abusus ex libellis

manifestum est, ut cunctis regionibus innotescat id, quod statuimus, omnimodis esse servandum.

Testimonia subsequentium saeculorum praetermissimus, quia copiosas Romanorum Pontificum Constitutiones tum in authentica Dionysii Exigui Collectione, tum in Decretalibus, facile est invenire.

86. Romani Pontifices, licet propria et ordinaria auctoritatae pollerent in statuendis legibus et condendis decretis, ea tamen prudentia, atque moderamine sese gessere in exercitio hujus potestatis, ut omni tempore senatum peculiare, corpus, ut ita dicam, consultivum habuere viris sapientibus coalescentem, quorum con-

---

lapsis a Martyribus et Confessoribus oblatis ortos, Litteras Communicatorias tantum ab Episcopis concedendas statuerunt.

Ex veteri disciplina, multae erant Epistolae sub generali *formatarum* nomine comprehensae; sed praesertim quinque memorantur, quarum tres Clericos respiciebant, nempe, *Dimissoriae*, Litterae *communionis peregrinae* et Litterae *communionis laicae*; aliae duo *Communicatoriae* atque *Commendatitiae* appellatae, tum Clericis, tum laicis impertiebantur.

Dimissoriae, interdum etiam *pacificae* in veteribus monumentis nuncupatae, testabantur Clericum in alia dioecesi domicilium constituendum, cum pace Episcopi sui, ex antiqua Ecclesia, cui per ordinationem adscribebatur, fuisse dimissum et ab ejus servitio quasi emancipatum: Litterae *communionis peregrinae* Clericis poena suspensionis mulctatis expediebantur, ut a sacris faciendis arcerentur: Litterae *communionis laicae* tradebantur Clericis gravissima depositionis poena ad conditionem mere laicalem damnatis.

Communicatoriae, pacificae, ecclesiasticae et *canonicae* passim vocatae, Clericis et laicis iter per alienam dioecesim facturis concedebantur in testimonium orthodoxiae et ecclesiasticae communionis: *Commendatoriae* seu *Commendatitiae* largiebantur vel viris illustrioribus ob sua merita, vel fidelibus, quorum existimatio in dubium revocata fuerat, vel Clericis in exteras regiones profecturis

Ex novissima vero disciplina, triplex Episcopalium Litterarum genus adhibetur, et quidem pro solis Clericis, videlicet *Dimissoriae, Testimoniales* et *Transitoriales* (hispanicè). *Dimissoriae (Reverendae* juxta Tridentinum) ab Episcopo proprio dantur non pro solvenda lege incardinationis seu adscriptionis, sed pro ordinatione ab Episcopo alieno suscipienda: *Testimoniales* et *Transitoriales* fere eodem scopo et sensu ac in veteri disciplina tribui solent.

Aliquando necessitatis vel utilitatis Ecclesiae ratione habita, aut peculiaribus personarum adjunctis inspectis, Episcopi nonnullis Clericis concedere assuescunt quod *Exeat* nominatur, speciem declarationis sive attestationis, dimissoriis antiquae disciplinae similis, in qua benignè permittitur egressus ex propria et incardinatio in alienam dioecesim.

siliis et sententiis uterentur ad pleniorem illustrationem pro solvendis totius Ecclesiae controversiis atque gravioribus negotiis rite expediendis.

Triplicem aetatem distinguere oportet in hujusmodi Pontificio Senatu, nempe; 1.^{am} ab initio Ecclesiae usque ad saeculum XII; 2.^{am} a saeculo XII ad XVI; 3.^{am} a XVI saeculo ad nostra tempora, quae quidem historicae periodi communiter vocantur aetas *Conciliorum Romanorum,* aetas *Consistorii* atque aetas *Congregationum.*

Usque ad saeculum XII Romani Pontifices causas totius Ecclesiae judicabant in Conciliis Romanis, quibus intererant Episcopis suburbicarii et alii eum presbyteris et diaconis Ecclesiae Romanae; cum vero de negotiis Ecclesiae Italicae agebatur, Clerum Romanum consulebant; si res tantum ad Urbem Romae spectantes tractare deberent, Cappellam Pontificiam audire solebant. A saeculo autem XII, crescente numero fidelium et negotiorum ad Sanctam Sedem confluentium viciniores Episcopi, Dioecesibus suburbicariis appellatis praefecti, Romae residere coeperunt et cum cardinalibus presbyteris et diaconis *Sacrum Collegium* constituerunt, quod imaginem concilii prae se ferens, evasit ordinarium Summi Pontificis consilium aut senatus, et nomine *Consistorii* Cardinalium quamplurima negotia cognoscebat atque judicabat.

Demum saeculo XVI, adhuc in dies crescente multitudine causarum ad Curiam Romanam devolutarum, et cum Consistorium jam non sufficeret ad tanta tamque gravissima ex toto orbe christiano negotia rectè et promptè expedienda, Pontifices Maximi, pro ordinanda administratione, varias Cardinalium Congregationes instituerunt, quarum numerus, praestantia, munera atque jura in causis ecclesiasticis apud Juris Privati tractatores videri possunt.

ARTICULUS III

SUMMARIUM.

87. Summi Pontifices in suis Decretis ferendis non solum tamquam sapientes et prudentissimi legum latores egere, consilium petentes et peritorum sententias magno in pretio habentes, verum etiam constanti et inviolata integritate in exercitio hujus potestatis sese commendarunt, egregium aequitatis exemplum posteris praebentes, et normam strictae justitiae hac super re indesinenter sequentes, siquidem debitam atque sufficientem legum promulgationem nunquam praetermiserunt, diversa forma pro variis rerum ac temporum adjunctis servata.

Apud omnes compertum est illud vulgatissimum axioma: *lex, sive civilis, sive ecclesiastica, non obligat, nisi fuerit sufficienter promulgata*, quod quidem verissimum est, quia cum omnis lex vel *affirmativa* vel *negativa* sit, nequeunt actus *praecepti* poni, vel *prohibiti* omitti, nisi ipsa lex ita publica fiat, ut ad subditorum notitiam deveniat, et semel cognita ad observantiam adigat: hinc penes cunctas gentes publicatio legis religiosè atque perpetuo custodita fuit; apud Graecos et Romanos tabulis vel columnis aeneis leges novae insculpebantur; apud alios populos per praecones divulgabantur. Romani igitur Pontifices, quibus, veluti Supremis Magistratibus, divina ordinatione demandatum est munus societatem a Christo Domino institutam regendi, adimplendam curarunt ejusmodi conditionem essentialiter re-

quisitam ad valorem Constitutionum praefiniendum et obligationem certam inducendam.

Promulgatio autem rectè definiri potest: *Enuntiatio legis satis publicè facta, ut moraliter possit ad subditorum notitiam pervenire.*

88. Non semper eadem forma usi sunt Pontifices Maximi in publicandis Constitutionibus, sed aliter gesserunt in jure antiquo, aliter vero in jure novo.

Juxta veterem disciplinam publicatio fiebat vel Litteras Apostolicas ad singulos Episcopos mittendo, vel Decreta Pontificia in Conciliis Provincialibus recitando, ut postea singuli Episcopi in unaquaque dioecesi evulgarent, vel saepenumero vicarium apostolicum, metropolitanum aut episcopum insignem deligendo, cui onus injungebatur Epistolas Decretales transmittendi ad caeteros vicariatus, provinciae aut regionis episcopos, uti constat ex Ecclesiastica Historia, quae nobis testatur hanc diffundendi Sedis Apostolicae Statuta delegationem accepisse Hicmerium Tarraconensem a Sancto Siricio, Exuperium Tolosanum a Pontifice Innocentio, Episcopum Arelatensem a Papa Zosimo, atque Divum Thuribium Asturicensem a S. Leone Magno.

A saeculo autem XIII sub Pontifice Martino IV (1281) ad nostra usque tempora nova inducta est methodus Constitutiones Pontificias promulgandi, quae sex saeculis invaluit et adhuc nunc viget, nempe per affixionem Romae factam in quibusdam locis publicis, cujusmodi sunt Basilicae Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Cancellaria, Curia generalis, et campus Martius.

Sed cum contrariae sententiae inter canonistas agitentur, et plurima commenta apud haereticos et Sedis Apostolicae adversarios super hac de promulgatione controversia invecta sunt, modo videndum est, 1.° an sit necessaria promulgatio ad valorem Decretorum Pontificiorum constituendum; 2.° num sufficiat promulgatio Romae facta; 3.° utrum divulgatio promulgationis pos-

sit aliquando legitimè praepediri vel a fidelibus, vel ab Episcopis, vel a Principibus saecularibus.

De triplici hac quaestione aliquid summis labiis delibabimus, ne videamur onmino praeteriisse controversias olim magno animorum aestu agitatas, hodie ferè obsoletas, quamvis in postrema pertractando paululum immorabimur propter peculiarem rei praestantiam.

89. Praetermissa singulari Fagnani, Bouix aliorumque opinione, qui tuentur legem, statim ac editur, veram et perfectam esse, atque omnes obstringere quibus innotuerit, etiam ante promulgationem, quam quidem sententiam confutare supervacaneum nobis videtur, cum solida et intrinseca probabilitate careat, et communi ac generali theologorum canonistarumque doctrinae pugnet, ducibus Angelico Doctore, Sancto Alphonso Maria a Ligorio (1), Eximio Suarezio (2) multisque aliis fama et eruditione praeclaris, contendimus promulgationem omnino et essentialiter requiri ad legem propriè dictam *in suo esse* constituendam, quod equidem sequentibus rationibus evincimus:

1.° Quia lex per modum regulae, quae iis quibus imponitur applicari debet, constituitur; oportet igitur eam, ut obligandi vim habeat, promulgari, et ad eorum, qui legi subjiciuntur, notitiam deduci; talis est S. Thomae argumentatio: *Lex imponitur aliis per modum regulae et mensurae. Regula autem et mensura imponitur per hoc quod applicatur his quae regulantur et mensurantur; unde ad hoc quod lex virtutem obligandi obtineat, quod est proprium legis, oportet quod applicetur hominibus, qui secundum eam regulari debent. Talis autem applicatio fit per hoc quod in notitiam eorum deducitur ex ipsa promulgatione: unde promulgatio ipsa neccesaria est ad hoc quod lex habeat suam virtutem* (3).

(1) Lib. I, 61, 62, 96.
(2) *De legibus*, lib. 1, cap. II; Lib. IV, cap. XV.
(3) *Summ.* Prima secundae, q. XC, art. IV.

2.° Legislator, personam publicam agens, non potest nec vult obligare nisi post debitam suae voluntatis manifestationem; atqui signum seu medium, quo legislator societati suam voluntatem et ostendit et imponit, est promulgatio; ergo promulgatio est de essentia legis, hoc est, requiritur tamquam complementum formale legis humanae et positivae, de qua tantum agitur.

3.° Absque promulgatione nec exstare nec concipi valet in foro externo obligatio legis vel justitia poenae ob ejus infractionem auctoritate publica impositae; quandoquidem nunquam probari posset ne que notitia legis juxta omnes necessario requisita ad obligationem inducendam, neque ratio et fundamentum poenae propter culpabilem transgressionem vel omissionem justè luendae.

4.° Notissimum est gratianeum effatum: *Leges instituuntur, cum promulgantur*, quod si non omnibus arrideat, quia videntur critici ejusmodi sententiam a Divo Augustino abjudicare, habemus authenticum Innocentii IV testimonium, qui in Sexto Decretalium ita ait: *Lex seu Constitutio, et mandatum nullos obstringunt, nisi postquam, ad notitiam pervenerint eorumdem, aut nisi post tempus, intra quod ignorare minimè debuissent* (1).

90. Major et acrior inter canonistas sive catholicos, sive heterodoxos viget controversia circa modum promulgationem faciendi; licet non omnes eadem mente et consilio ducantur pro propria sententia propugnanda. Qui enim rectè et catholicè sentiunt, rationum momenta afferunt, majoris vel minoris ponderis, quae tamen speciem juridicam praeseferunt; qui vero pravè et haereticè de rebus ecclesiasticis et potestate pontificia judicare solent, non tantum canonicis argumentis, quantum odio et animadversione adversus Sedem Apostolicam Curiamque Romanam moventur.

(1) Cap. I, *de Concess.* praeben., in 6.

Tournellius, Berardi, Lequeux, Cabassutius, Van-Spenius, Petrus de Marca, aliique non pauci canonistae plus minusve faventes vel adversantes Suprematiae Pontificiae, autumant promulgationem Romae factam minimè sufficere ad vim et valorem Constitutionum, sed necessariam existimandam esse in singulis Provinciis, Dioecesibus, imo Paroeciis legum publicationem, ut ii, pro quibus latae sunt, ad observationem teneantur. Pro sua sententia duplicem rationem adducunt, silentium Juris Canonici et disproportionem locorum seu magnam Ecclesiarium distantiam.

Cum Jus Canonicum, ajunt, de forma promulgationis taceat, videtur per Jus Romanum supplendum, in quo habetur Novella LXVI Justiniani statuens, ut novae leges non modo in urbe principe, sed etiam in singulis provinciis promulgarentur. Praeterea, cum Roma, ubi conduntur Papales Constitutiones, immensè distet ab Ecclesiis Indiae, Africae, Americae ac Septentrionis, liquidè patet promulgationem Romae dumtaxat factam, ut ut solemnis esset, ex ipsa rei natura et disproportione locorum haud sufficere, sed requiri ut fiat in singulis Provinciis, Dioecesibus, immo etiam Parochiis.

At facilè ostenditur pondus ejusmodi argumentorum adeo esse leve, ut solidam probationem minimè praebeant, siquidem laudata Novella Justinianea inter eas leges ennumeranda, quae *positivae* vocantur, et quemadmodum promulgationem in provinciis constituit, aliam formam statuere poterat, si latori legis placuisset. Quoad difficultatem ex locorum distantia sumptam, nemo adeo ineptus erit, qui putet leges ecclesiasticas, quo die Romae solemniter promulgantur, eadem ipsa die gentibus etiam remotissimis obtemperandi necessitatem inferre. Exploratum enim est Jus Commune, ad instar *Juris Romani*, concedere *bimestre*, antequam lex pontificia obligare incipiat, quia prius moraliter nequit modo sufficienti vulgari, etiam nostris temporibus; hinc Pius

IV in Constitutione *Sicut ad sacrorum*, de declaratione temporis ad observanda decreta Concilii Tridentini loquens, apertè docet: *Jure etiam communi sancitum est ut constitutiones novae nonnisi post certum tempus obtineant.*

Plerique vero Doctores jure ac meritò contendunt sacrarum Constitutionum promulgationem, solemniter et authenticè Romae factam satis esse, ut omnes ubivis gentium Christiani ad eas servandas cogantur. Et sanè rationes, quae pro hac communiori sententia militant, validissimae et concludentes apparent, prout sequentes observationes historico-juridicae patefaciunt:

1.° Forma promulgationis, uti ipse Van-Spenius fatetur, non determinatur jure divino, sive naturali, sive positivo, ergo modus publicationem faciendi totus ab arbitrio et legislatoris voluntate pendet. Natura namque legis et naturalis ratio tantum postulant promulgationem ita sufficientem fieri, ut moraliter possit devenire in notitiam omnium subditorum; verum non requirunt, ut lex publicetur hac vel illa solemnitate, per praeconem vel per affixionem edicti in urbe principe tantum, vel in singulis provinciis, eodem tempore vel succesivè.

2.° Usque ad annum 138 aerae christianae Romani leges promulgare consueverunt per affixionem in tabulis aeneis, et tamen in cunctis Imperii provinciis recipiebantur et vim cogendi obtinebant; ¿Quidni apud Christianos leges a Summis Pontificibus eadem forma latae ejusmodi valore gaudebunt?

3.° Huc accedit judicium et auctoritas Innocentii III, qui Decano et Capitulo Senonensi ita scripsit: *Non esse necessarium, cum Constitutio solemniter editur aut publicè promulgatur, ipsius notitiam singulorum auribus per speciale mandatum vel litteras inculcare; sed id solum sufficit, ut ad ejus observantiam teneatur, qui noverit eam solemniter editam, vel publicè promulgatam* (1).

(1) Cap. I, *de Postulat. Praelat.*

4.° In praxi saltem a pontificatu Martini IV (1281), qui Urbiveti, ubi Aula Pontificia tunc temporis morabatur, Bullam excommunicationis fulminavit contra *Michaelem Palaeologum* ob fidem violatam in promovenda *unione* Ecclesiae Graecae et Latinae, usus invaluit leges pontificias dumtaxat Romae evulgandi, ne principes saeculares aut episcopi, sua potestate abutentes, impedirent aut retardarent publicationem, et consequenter obligationem hujusmodi legum. Sic inter plurima exempla, quae adduci possent, suas Bullas promulgarunt: Bonifacius VIII, Constitutionem *Unam Sanctam* adversus usurpationes et iniquas praetensiones Philippi IV cognomento *Pulchri;* Joannes XXII, Constitutionem *Licet* errores *Marsilii* Patavini damnando; Pius IV, Constitutionem *Benedictus Deus* Tridentinam Synodum confirmando; ac nostra aetate Pius IX Constitutiones *Dei Filius* et *Pastor aeternus* a Vaticano Concilio anno 1870 editas.

91. Promulgationem legis ecclesiasticae seu pontificiae propriè dictam a divulgatione legis jam promulgatae cum Huguenin distinguere debemus: promulgatio etenim est publica legis propositio, facta nomine et auctoritate legislatoris, ita ut notitia legis ad subditos pervenire possit; *divulgatio* autem est quaedam promulgationis extensio seu illius declaratio facta iis, qui promulgationi non interfuerunt, sive ista notificatio fiat per inferiores magistratus, sive per privatos fidedignos. Unde sequitur divulgationem non esse necessariam ad legis valorem; et quamvis certum sit quod ab obligatione legis excusentur qui illam minimè noverint, attamen non requiritur ut intimatio juridica singulis fiat, aliter enim nunquam constaret sufficiens legum promulgatio.

Praemissa hac distinctione, errores circa ejusmodi materiam annotare oportet. Ex Protestantismo, tamquam depravato fonte et vitiata scaturigine fluxerunt

recentiora systemata, quae sub diversis nominibus et fuco verborum veram Christi Ecclesiam divexarunt, omnia quidem sive a Richerianis et Febronianis, sive a Jansenistis et Gallicanis, sive a Regalistis et Aulicis ea mente excogitata, ut Primatus jurisdictionis divinitus institutus labefactaretur, Sedis Apostolicae sacratissima jura laederentur, atque Ecclesiasticae Disciplinae nervus disrumperetur. Sed licet auctores vel fautores ejusmodi systematum, vaferrimi Ecclesiae Catholicae hostes atque scelerati Romanorum Pontificum detractores, scopum communem et eumdem finem sibi proposuerunt, nihilominus diversam viam aggressi sunt: alii enim populum christianum *allucinando* elementum *democraticum* in regimine ecclesiastico inducere voluerunt; alii Episcopos *extollendo* elementum *aristocraticum* invehere maluerunt; alii demum Principibus *blandiendo* jura *majestatica* (Regalias) amplificare nisi sunt.

Ad rem autem nostram disputationem circumscribentes, nihil intentatum reliquere ejusmodi versuti sectatores ad promulgationem legum fere inutilem reddendam; difficultates atque obices undequaque ciere conati sunt divulgationi sacrarum Constitutionum, requirentes, ut notificatio novae legis in quolibet regno, ecclesia aut provincia, vel consensum ex parte fidelium, vel acceptationem ab Episcopis, vel regum placitum seu approbationem, conditiones equidem iniquas, Ecclesiae injuriosas, supremae Romanorum Pontificum auctoritati planè adversantes, ideoque omnino respuendas. Quam a veritate aliena et a Christi voluntate Ecclesiaeque constitutione absona esse haec recentiorum novatorum commenta ex dicendis luculenter constabit.

92. In primis enim prorsus eliminandus concursus necessarius populi in promulgatione diffundenda, siquidem ejusmodi consensus ex parte fidelium, si exigatur tamquam requisitum essentiale, ut lex semel condita ac promulgata ad notitiam subditorum pervenire et

obligationem parere queat, doctrinae catholicae, ipsae legis notioni atque divinae Christi institutioni planè adversatur.

Doctrinae catholicae opponitur, quia Summus Pontifex Alexander VII hunc errorem ex Luthero depromptum anathematis poena perculit, sequentem propositionem die 24 Septembris anni 1665 damnando: *Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a principe promulgatam.* Repugnat insuper *notioni legis,* quoniam ipsa legis natura per se postulat, et in hoc praecisè lex a consilio differt, quod ordinatio a superiore facta et sufficienter evulgata vim propriam atque insitam habeat omnes obstringendi, pro quibus edita est; independenter a quacumque voluntate, lubitu vel populi assensu, prouti evincunt tum *forma* legis seu vis verborum praecipientium, tum *sanctio* seu inflictio poenarum quibus legislator urget legis observationem. Contradicit denique *divinae Christi institutioni,* etenim Dominus Jesus Beato Petro et caeteris Apostolis eorumque successoribus potestatem tradidit regendi universos fideles, quae equidem potestas vere eluderetur et prorsu illusoria evaderet, si efficatia aut observantia legum a populi consensu penderet.

Huic errori ansam dedisse videtur falsa et praepostera interpretatio pervulgatae illius Gratiani sententiae S. Augustino tributae et a Jansenianis ad peculiarem et subjectivum sensum detorsae: *Leges constituuntur cum promulgantur, firmantur vero cum moribus utentium approbantur* (1). Sed omnis febroniana, et jansenistica argumentatio his verbis innixa simplici dilemmate penitus ruit: vel enim ejusmodi toties repetita verba sunt apocrypha, vel authentica; si apocrypha sint, uti quamplurimi eruditi existimant, tunc nihil pro causa Justini Febronii et Scipionis Ricci probant, et actum jam est de

(1) Can. 3, dist. IV.

consensu populi christiani; si vero authentica fuerint et a S. Doctore prolata, tunc rectam interpretationem et obvium sensum habent, referuntur enim *ad firmitatem facti, non juris,* hoc est, significant leges per acceptationem fidelium firmari *accidentaliter;* non quidem hoc sensu quod inde accipiant vim obligandi, sed eo sensu quod per usum eximantur a periculo desuetudinis vel abrogationis. Maximè recipienda est haec interpretatio cum, locis parallelis collatis juxta regulas critices, mens S. Doctoris evidenter appareat, nam in libro *de Libero Arbitrio* suam sententiam ita exponit: *Praeceptum non est ab eo, cui praecipitur, sed ab eo qui praecipit.*

93. Alii autem canonistae labe janseniana infecti, auctoritatem Episcoporum extollere maluerunt, docentes unicuique Episcopo integrum esse novas Summorum Pontificum Constitutiones expendere, et cognoscere utrum suis Dioecesibus utiles an noxiae futurae sint, ut exinde possint utiles acceptare, et noxias non admittere; hinc Febronius cum effreni audacia et ingenti populi christiani scandalo asserere non dubitavit leges papales non obligare, nisi ab Ecclesiis acceptentur.

Hac in re cum eruditissimo abbate F. Antonio Zaccaria duplicem quaestionem distinguere oportet, nempe, quaestionem *juridicam,* an Summus Pontifex possit legibus suis obligare absque Episcoporum acceptatione; quaestionem *practicam,* utrum ea sit voluntas Romani Pontificis, ut omnes leges disciplinares obligent, antequam acceptentur ab Episcopis.

Quaestione merè *juridica* spectata, doctrina catholica omnino tenenda statuit Pontifices Maximos posse, si velint, legibus suis obstringere independenter ab Episcoporum acceptatione; 1.° quia Summo Pontifici competit potestas legifera in universam Ecclesiam, quae quidem ferendi leges potestas in nihilum revocaretur, si tantum consentientes ad executionem adigerentur; 2.° quia Christus Dominus Petro ejusque successoribus su-

premam et absolutam auctoritatem contulit nulla humana potestate circumscriptam; 3.° quia canones totiès laudati Conciliorum, praesertim Florentini et Vaticani apertè definiunt Romano Pontifici plenam, ordinariam atque immediatam potestatem divinitus traditam esse supra omnes Episcopos, sive *distributivè*, sive *collectivè* sumptos.

Si vero quaestio *practica* seu *facti* inspiciatur, prudentissimam solutionem Eximii Suarez, Zallwein et doctissimi Pontificis Benedicti XIV amplecti nobis placet, qui asserunt minimè esse reprobandam sententiam eorum canonistarum contendentium *quasdam leges* pontificias ad disciplinam spectantes de facto non statim obligare ante acceptationem, modo hoc tribuatur non negationi, inefficatiae aut limitationi supremae potestatis legislativae, sed liberae voluntati seu praesumpto Summi Pontificis consensui in peculiaribus et determinatis casibus.

Unde triplici restrictioni haec sententia subjacet: 1.° Romanorum Pontificum consensus praesumitur de quibusdam tantum, non vero de omnibus apostolicis constitutionibus; praesumi potest, si Constitutio aliqua, licet plerisque orbis christiani dioecesibus utilis, alicui tamen provinciae aut dioecesi minus opportuna dignoscatur. 2.° Nunquam praesumenda est voluntas aut consensus pontificius, juxta doctrinam Benedicti XIV (1), quando agitur de Constitutionibus pertinentibus ad illam disciplinam, "quae, veluti ait praefatus Pontifex, sacros respicit ritus, caeremonias, Sacramenta, clericorum vitam; namque isthaec omnia a pontificia auctoritate omnino pendent; ideoque Apostolicae Sedis decreta, quae circa ea prodire contingat, inferiorum judicio et censurae nullo modo subjecta esse debent.„ 3.° Episcopi judicantes novam Constitutionem Pontificiam suis Eccle-

(1) *De Synodo*, lib. IX, cap. VIII.

siis vel minus accommodatam, vel etiam noxiam ob peculiares circumstantias, supplicationem ad Sanctam Sedem mittere debent, suas Romano Pontifici rationes repraesentando; "neque Romani Pontifices, subdit Benedictus XIV, unquam renuerunt inferiorum rationibus aures praebere; et, quoties has satis validas esse agnoverunt, minimè recusarunt aliquas Provincias aut Dioeceses a generalium Constitutionum suarum lege eximere."

ARTICULUS IV

SUMMARIUM

94. An Principum permissio necessaria sit ad Constitutiones Pontificias divulgandas.—95. *Regium Exequatur.*—96. Aspectus *historicus* quaestionis.—97. Origo ac vicissitudines *Placiti Regii* in Hispania.—98. Variae ejusdem formae.—99. Aspectus *criticus.*—100. Aspectus *juridicus.*—101. Aspectus *dogmaticus.*

94. Confutata in articulo praecedenti janseniana doctrina de necessitate *acceptationis* sive ex parte fidelium, sive ex parte Episcoporum, ut leges suprema auctoritate conditae in omnibus ecclesiis et locis diffundi et observari possint, huc spectat sub quolibet aspectu perpendere atque accurata critica judicare illorum canonistarum sententiam, qui, in scholam regalistam vel gallicanam adscripti, pro aris et focis contendunt Regibus et Principibus saecularibus jus esse, publicae utilitatis causa, inspiciendi Constitutiones ecclesiasticas a Summis Pontificibus editas; atque adeo promulgandas non esse, nisi Principes ipsi permisserint.

Ejusmodi error omnium pervicacissimus et ominosissimus speciali examini subjiciendus, eo quod in praxim a caesaristis et aulicis deductus propè innumeras in Ecclesia et statibus perturbationes novissimis tempo-

ribus induxerit cum animarum pernicie et tranquillitatis publicae jactura. Vix enim enarrari possint quot conatus adhibuere, quaenam argumenta attulere, quibus violentiis et vexationibus usi fuere ferè omnes regalismi asseclae pro vindicanda Principum acceptatione, tamquam requisito essentiali ad legum ecclesiasticarum divulgationem, jus approbationis vel beneplaciti ipsis tribuendo, veluti derivatum ex jure *majestatico* inspiciendi et cavendi, ne quid Respublica detrimenti capiat; fieri etenim posse asserunt, ut Constitutiones pontificiae aliquid contineant, quod juribus Imperii detrahat, aut civili societati nocere possit.

Haec Principum permissio, quae *Placitum, Placitum regium, Exequatur, Placet, Regium Exequatur* vel *Pareatur* aliisque nominibus designari solet, non apud omnes eamdem vim, sensum et extensionem obtinet ut ex sequentibus definitionibus liquet.

95. *Regium Exequatur*, si genuinam ejus notionem assequi velimus, triplici acceptione pro uniuscujusquè scholae principiis sumitur.

Juxta jansenistas et regalistas qui *rigidiores* nominantur, uti Van-Spen, Eybel, Tamburini, Tanucci, Pereira, Aranda, Floridablanca, Villanueva caeterique ejusdem furfuris, *Regium Exequatur* definitur: "Decretum Principis publicationem et exequutionem Constitutionum Pontificiarum in sua ditione permittentis, praevio earumdem examine atque approbatione, et jure Principatui inhaerenti."

Secundum vero jansenianos et aulicos qui *mitiores* videntur, sub nomine *Placiti Regii* usuvenit: "Decretum Principis evulgationem et observantiam Constitutionum Disciplinarium in suis dominiis concedentis, praemissa revisione, et vi jurium (regalias) quae suprematiae regali competunt."

Apud catholicos autem *Placet* nuncupatur: "Decretum Principis liberam divulgationem et adimpletionem

quarumdam Bullarum specialium circa ecclesiastica beneficia aut alia disciplinae capita versantium praecipientis, praecedente inspectione merè externa, atque ex concessione seu Ecclesiae privilegio, vel ex consuetudine rationabili, ab Apostolica Sede approbata aut saltem tolerata.„

96. Quaestio de *Placito Regio*, ut rite intelligatur ac methodo ordinata et perspicua solvatur, sub quatuor aspectibus spectari debet, videlicet, *historico, critico, juridico* atque *dogmatico*.

Origo *historica Placiti* ad saeculum XIV assurgit; ejus initium repetendum est a schismate omnium, quae hactenus Ecclesiam Dei turbarunt, teterrimo atque longissimo, quod ab Urbano VI ad Concilium Constantiense perduravit.

Mortuo Gregorio XI anno 1378 et Urbano VI electo, ortum est magnum schisma occidentale, quo durante pro obtinendo Pontificatu tres Papae contenderunt, nempe, Romanus, Avenionensis et Pisanus (1). Cum autem plures Bullae falsae vel Pseudo-Pontificum circumferrentur, Urbanus VI, legitimus Pontifex Romanus, ut tradunt Bonifacius IX et Martinus V, ne occasione schismatis fraudes impunè admitterentur, *concessit quibusdam Praelatis, quod in eorum civitatibus et Dioecesibus non posset fieri executio aliquarum litterarum apostolicarum, nisi prius hujusmodi litterae Praelatis ipsis, vel eorum Officialibus ad hoc deputatis exhiberentur, et per ipsos approbatae forent*. Hinc ortum habuit mos apponendi *Placet* vel *Vidimus*, qui latè diffundi coepit cum immi-

(1) Ab initio usque ad conclusionem schismatis occidentalis per electionem Martini V in Concilio Constantiensi (1417) factam, sequentes Pontifices recensentur: tres Pontifices *Romani*, nempe, Urbanus VI (1378-89), Bonifacius IX (1389-1404) et Gregorius XII (1404-1414) qui renuntiavit: duo Pontifices *Avenionenses*, videlicet, Clemens VII (1378-1394) et Benedictus XIII (1394-1417) qui depositus fuit: duo Pontifices *Pisani*, scilicet, Alexander V (1409-10) et Joannes XXIII (1410-15) qui renuntiavit.

nutione pontificiae auctoritatis; ad quem abusum tollendum Bonifacius IX, Urbani VI successor, edidit Constitutionem *Intenta salutis* anno 1403, in qua Episcopis interdicebatur examen Bullarum Pontificiarum. Sed cum schisma perduraret, et abusus etiam perseveraret, decretum Bonifacii IX adimpletum non fuit; eapropter Martinus V, extincto schismate, Constitutione *Quod antidota* hanc corruptelam extirpare volens, Episcopis tulit facultatem a suo Praedecessore Urbano VI eisdem concessam ob luctuosam Sedis Apostolicae tunc temporis conditionem. Si igitur *Placiti* originem quaeramus, constat in suis primordiis Episcopale tantum fuisse atque in exercitio positum ex concessione mere oeconomica Romanorum Pontificum.

Principes vero, cum hac ominosa schismatis aetatae nationes catholicae magna divisione laborarent quoad obedientiam et legitimo Pontifici submissionem, et uni vel alteri Pontifici adhaererent, coeperunt etiam aliquando sanctione civili munire Bullas Pontificum, quibus adhaerebant, caeteris exclusis. Nemo equidem Principibus ejusmodi facultatem tribuit, sed ipsimet propria auctoritate, prout vel Pontifici Romano, vel Avenionensi, vel Pisano adicti essent, sibi vindicarunt jus inspiciendi Constitutiones Pontificum, illas admittendo quae a Pontifice *suae communionis* proficiscerentur, caeterasque rejiciendo, quae a Pontificibus illegitimis editae fuissent. En historica genesis Placiti in regnis Hispaniae, Galliae, Angliae, Lusitaniae, Siciliae, Belgii atque Parthenopes.

Monendum est, quod post extinctionem schismatis et Martini V electionem in Concilio Constantiensi anno 1417 habiti, lata ab eodem Bulla *Quod antidota*, videbatur Placitum abolitum iri, cessante enim causa, et effectus cessare debuit; et quidem in omnibus ferè nationibus Constitutiones Pontificiae recipi et liberè evulgari consueverunt, etiam in Gallia, ubi rex Carolus VII jus-

sit Bullas atque Rescripta statim esse executioni mandanda, ut antea factum erat sub antipapis Clemente VII et Benedicto XIII, *non obstantibus quibuscumque arrestis, usibus et mandatis:* attamen citò in nonnullis statibus iterum invaluit abusus, et saeculo XVII apud omnia ferè regna retentus et gradatim amplificatus est, circumstantiis gravioribus superadditis novisque saevitiis et vexationibus adhibitis; etenim usque ad saeculum XVIII Regium Exequatur defensum fuerat ut *exceptio*, sed saeculo elapso ineunte celeberrimus jansenista belga Bernardus Sigerus Van-Spen, qui plenus annis et censuris in contumacia mortuus est, illud ut *regulam* proposuit ac propugnavit.

97. Origo *Placet* in Hispania triplici causae tribuenda est, videlicet, schismati Occidentis, quibusdam abusibus sub Regibus Catholicis patratis, ac necessitati ad Sedem Apostolicam recurrendi, si quando Bullae ederentur minus accommodatae vel noxiae disciplinae aut praerogativis Ecclesiarum particularium.

Apud Hispaniam, sicut contigit aliis in regnis, incoepit abusus Placiti saeculo XIV, eadem occasione magni schismatis occidentalis; Rex Aragoniae, qui causam celebris et pervicacis Petri de Luna nomine Benedicti XIII cogniti tuebatur atque fovebat, suo examini ac revisioni Bullas et Brevia Pontificia eo fine subjecit, ut divulgationem et executionem impediret documentorum, quae a Pontificibus alterius obedientiae et communionis expediebantur.

Sublato schismate, libera fuit in Hispanicis ditionibus publicatio Constitutionum generalium tum fidei, tum disciplinae; at tempore Regum Catholicorum, cum quaedam fraudes detegerentur, praesertim vero quod plures Bullae falsae indulgentiarum, turpis quaestus causa in detrimentum jurium Sanctae Cruciatae, circumferrentur, pii nostri Monarchae ad Romam rem totam detulerunt, ut Sedes Apostolica sapienti providentia tot malis occur-

reret, et falsificationes in posterum vilarentur (1). Alexander igitur VI anno 1493 supplicationibus Ferdinandi et Isabellae benigne annuens, eis concessit Bullas indulgentiarum examinari posse ab Ordinariis locorum, deinde á Nuntio Apostolico, atque etiam a Capellano Majori Regis, nunquam autem a laicis aut saeculari potestate. Sed haec, veluti aliae concessiones ex mera Pontificum liberalitate factae, revocatae sunt a Leone X Constitutione *In supremo* anno 1518 edita, in qua penitus rejecit et improbavit quodlibet Placitum, sive episcopale, sive regium.

98. Nunc vero, cum Placitum Regium tot vicissitudines subierit, et in abusum adeo detestabilem maximeque reprobandum devenerit ob gravissima et prope innumera mala Ecclesiae Hispanicae irrogata et frecuentes scissiones, dissidia et contentiones potestatem inter ecclesiasticam et civilem exortas, operae pretium erit innuere tres praecipuas formas, quas ejusmodi regalistarum Proteus apud nos praesetulit.

1.ª *Obsequiosa,* (saeculis XV et XVI) tempore *merae concessionis* pontificiae sub Regibus Catholicis, Carolo V et Philippo II.

2.ª *Insidiosa* (saeculo XVII) in epocha *obediatur* Philippi III saltem pro Regno Neapolitano, species notae vel censurae juxta hujus Principis praetensionem litteris pontificiis apponendae ab auctoritate saeculari; atqne *juris supplicandi* Philippi IV specialiter adinventi ad regium placitum defendendum, quod quidem tunc temporis regalistae hispanici Covarrubias, Cenedo, Cevallos, Salcedo, Salgado aliique totis viribus propugnarunt; erat veluti quaedam appellatio ab abusu sita in eo quod in negotiis particularibus, ad querelam partis, Rex

(1) Factum toties repetitum cujusdam Canonici Abulensis, qui a Romano Pontifice dispensationem residentiae canonicae ad distributiones percipiendas obrepticiè obtinuit, allegare inopportunum putamus, quoniam ejusmodi casus in dubium revocatur, eo quod desint documenta authentica illud comprobantia.

suspendebat executionem actus pontificii, eumque a regiis tribunalibus examinari mandabat, ut ita Pontifex melius a Rege edoceretur de statu quaestionis, et gravamina auferret quae ignorans intulerat.

3.ª *Declarata* seu *apertè hostilis* (saeculo XVIII) in diebus *tyrannidis* et *oppressionis* Philippi V, qui ejecit Nuntium Pontificium, et subditis prohibuit quamlibet cum Romana Sede communicationem aliaque plura hostiliter in Ecclesiam gessit; atque luctuosa aetate *usurpationis* et *violentiae* PIISSIMI! Caroli III, qui abusum placiti furore adeo immani renovavit, ut Summus Pontifex Clemens XIII post tredecim condemnationes a suis Praedecessoribus latas, iterum illum damnare festinavit duabus litteris, prima ad Archiepiscopum Toletanum *Postquam nobis*, altera ad Archiepiscopum Hispalensem *Ea est de tuo*, utraque die 15 Januarii anni 1763 expedita.

99. Sub aspectu *critico* tria in Placito perpendere decet, ejus naturam, extensionem atque valorem.

Natura. Ab initio Placitum tantum situm est in simplici concessione et facultate merè oeconomica a Romanis Pontificibus propter peculiaria rerum adjuncta et criticam temporum conditionem Episcopis tributa, minimè vero Principibus saecularibus; et licèt postea ad vitanda dissidia, tempore bellorum praesertim, Sedes Apostolica Regibus aliquid inspectionis seu examinis impertita est, ejusmodi pontificia permissio circa Bullas ad indulgentias, ecclesiastica beneficia, aliaque specialia disciplinae capita spectantes versabatur, et ad simplicem Bullae *Visuram* restringebatur, quin aliquid in ea scribere, aut sigillum vel aliud signum apponere fas esset.

Primus omnium qui sibi vindicavit jus placiti, tamquam jus regium, proprium, ac majestaticum, supremae potestati vinculatum, fuit saeculo XV Joannes II, rex Lusitaniae, qui statuit Litteras Apostolicas non esse

publicandas ante revisionem Regiae Cancellariae; sed eum graviter reprehendit Sixtus IV, pauloque post damnavit Innocentius VIII Brevi *Olim* die 3 Februarii anni 1486.

Ita etiam primus, qui apertam legem ferre ausus est pro sanciendo supposito jure placiti, fuit saeculo XVI dux Complutensis, Vice-rex Neapolitanus; at Sanctus Pontifex Pius V eum excommunicavit, et cum sese subjecisset censurae, Puteolos petendo et observando segregationem a communione fidelium, postea illum absolvit.

Extensio. Placitum regium sensim ac gradatim applicatum est, juxta majorem vel minorem regalistarum invasionem inres ecclesiasticas et Principum hostilitatem adversus Ecclesiae jura et Sedis Apostolicae libertatem.

Primum enim ad rescripta gratiae et justitiae privatis data adhiberi Regium Exequatur coeptum est, postea extensum ad decreta Disciplinae, demum usque ad Bullas dogmaticas applicatum est.

Valor. Hodiedum Placitum in Hispania non viget; ex quo enim initum firmatumque est anno 1851 postremum Concordatum inter Sanctam Sedem et Catholicam Majestatem, omnes communi calculo existimarunt ejusmodi abusum, Summorum Pontificum dignitati et ecclesiasticae libertati adeo injuriosum per articulum IV penitus sublatum fuisse.

Hac persuasione Episcopi Hispani post solemnem Concordati promulgationem documenta pontificia in suis dioecesibus fidelibus liberè communicare coeperunt absque venia et odiosis restrictionibus potestatis civilis; sed cum Gubernium a sententia Episcoporum dissentiret, et adhuc jus placiti exercere vellet, gravis contentio inter supremos Regni magistratus et Ecclesiae Hispanicae Pastores orta est sub Romero Gonzalez, Coronae Consiliario, quae occasionem dedit novae

regalismi arrogantiae jura Ecclesiae laedentis, regio decreto die 16 Novembris anno 1851 edito, in quo validum et obligatorium etiam post Concordatum declarabatur Placitum Regium.

Attamen, publicato anno 1864 Syllabo, et promulgata anno 1870 Constitutione Concilii Vaticani de Ecclesia Christi *Pastor aeternus*, in quibus erronea doctrina de Placito Regio denuò damnata est, nemo adeo ineptus erit, qui hunc antiquatum morem inter perniciosas et depravatas corruptelas amandandum vindicare aut retinere audeat.

100. Si autem Placitum in sensu *juridico* spectare malimus, inquirendum est quodnam jus Principibus vi *Placet* competat; cui quaestioni ut in promptu et rectè respondeatur, triplex Placiti Regii exercitium distinguere necesarium est, *illegitimum*, *legitimum*, et *toleratum*.

Si exercitium hujus regiae praerogativae abusui innitatur, hoc est, principio falso et erroneo, quod Regibus agnoscenda sit ejusmodi facultas tamquam attributum proprium et essentiale suprematiae temporalis et principatus civilis (*regalía*), hac in hypothesi Regium Exequatur non solum nullum jus Principibus confert, verum etiam usurpationem propriè dictam constituit, et ex parte auctoritatis publicae et politicae supponit positionem actus á Sancta Sede improbati atque dammati.

Quando vero usus *Placet* legitimus esset, quia concessione, privilegio, aut Ecclesiae approbatione fulciretur, quae ejusmodi praxim sub una vel altera forma, majori vel minori extensione, propter haec aut illa adjunta statutam recognovit confirmavitque, tunc Princeps tribus juribus pollet: 1.° Jure *tuitivo* quoad Bullas dogmaticas, sanctione civili; eas muniendo atque observantiam urgendo absque examine et revisione; 2.° *jure inspectivo* quoad Bullas disciplinares perspiciendo istas inspectione *externa*, non vero interna, hoc est, non judicando aut discutiendo utilitatem Disciplinae, quia in his

rebus Ecclesiae judicium infalibile et irreformabile habendum est, sed tantum investigando an statuta generalia consona vel absona sint disciplinae aut usibus in Regno legitimè inductis, ut in casu oppositionis seu conflictus supplicationes ad Romam mittantur pro obtinenda ab Apostolica Sede derogatione aut recta et adaequata solutione; 3.° jure *directivo* in rebus *mixtis*, quae sub utriusque potestatis dominio cadunt, sive ex natura sui, sive ex concessione, quoniam in parte temporali rei mixtae auctoritas saecularis jurisdictione propria gaudet et suo concursu et directione praescindi nequit.

Aliquando evenire potest, quod *Placitum Regium* mera tolerantia aut generali Sanctae Sedis indulgentia nitatur ex magnanimitate atque prudentia Romanorum Pontificum proveniente, qui vitandis malis et concordiae inter utramque potestatem servandae omni tempore assiduam curam et constantem sollicitudinem intendere curarunt; et tunc exercitium *Placet* neque ulla jura certa confert, neque apertam usurpationem implicat: sed cuique evidentissimè patet hanc agendi rationem ex parte Principum, qui, Ecclessiae benignitate et prudentia suffulti atque confisi, ipsi Christi Sponsae et amantisimae Matri injuriosas limitationes apponere, eamdemque oneroso ligamini subjicere non verentur, minimé componi posse cum obedientia et veneratione, quibus Filii erga sanctam Matrem obsequentes tenentur, multoque minus cum splendenti et glorioso tilulo, quem Reges ostendere debent tamquam Protectores Ecclesiae atque sacrorum ejusdem jurium nati Defensores.

101. Denique nobis superest *Placet* dogmaticè seu theologicè considerare. De exercitio *Placiti* legitimo vel tolerato hic non loquimur, siquidem illud approbationem, hoc consentionem Ecclesiae pro se habent; agimus tantum de Placito in acceptione illegitima et abusiva usurpato, nempe, veluti jure proprio et praero-

gativa Coronae insita, quam Principes sibi vindicant, juxta theoriam totiès damnatam jansenianorum ac regalistarum; in hoc igitur sensu asserere non dubitamus ejusmodi iniquam praxim doctrinae catholicae adversari, potestatem independentem Ecclesiae vulnerare, atque rectae rationi et naturali aequitati contradicere.

In primis enim, doctrinae catholicae opponitur, quia hic perniciosus error saepenumero damnatus est: 1.° viginti explicitis et solemnibus Romanorum Pontificum Constitutionibus, quas videre est apud Juris Publici Ecclesiastici tractatores (1), specialiter vero Bulla *In Coena Domini*, paragraphis 13 et 14 (2); 2.° anathemate a Sancto Pio V contra Ducem Complutensem latum, variisque decretis Sacrarum Congregationum per Summos Pontifices approbatis, praesertim S. Congr. de *Propaganda fide* 2 Octobris 1673, S. Officii 27 Februarii 1737 et 4 Septembris 1737; 3.° Syllabo in sequentibus propositionibus: XX="Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet absque civilis gubernii venia et assensu.„ XXVIII="Episcopis sine gubernii venia, fas non est vel ipsas Apostolicas Litteras promulgare,„ XLI ="Civili potestati vel a infideli imperante exercitae competit potestas indirecta negativa in sacra; eidem proinde competit nedum jus quod vocant *exequatur*, sed etiam jus *appellationis*, quam nuncupant, *ab abusu;* 4.° denique Concilio Vaticano, Con-

---

(1) Cons. Felicem Cavagnis, *Institutiones Juris Publici Eccl.* libro III, cap. I, art. II, numero 25, ubi invenitur tabula chronologica Bullas Pontificias contra *Placitum* latas exhibens.

(2) Bulla *Coenae* ita apellatur, eo quod legeretur seu de novo promulgaretur quolibet anno, feria quinta majoris hebdomadae, saltem a Martino V, ex decreto Concilii Constantiensis circa annum 1420.

Hae celebratissima Bulla tot habet auctores et confirmatores, quot sunt Summi Pontifices qui eam a praelaudato Martino V promulgarunt: ejusque firmati nihil detractum est per cessationem confirmationis feria V in Coena Domini, imo quoad doctrinam, de qua nunc agitur, nullo unquam tempore detrahi eidem poterit,quaecumque sint Pseudo catholicorum declamationes, quoniam Ecclesiae doctrina est omnino immutablis.

stitutione dogmatica de *Ecclesia Christi*, cap. III, hisce verbis: "Quare damnamus ac reprobamus illorum sententias, qui hanc supremi capitis cum pastoribus et gregibus communicationem licitè impediri posse dicunt, aut eamdem reddunt saeculari potestati obnoxiam, ita ut contendant, quae ab Apostolica Sede vel ejus auctoritate ac regimen Ecclesiae constituuntur, vim ac valorem non habere, nisi *potestatis saecularis placito* confirmentur."

Deinde, abusus *Exequatur* sacratissima Ecclesiae jura impetit atque evertit, quandoquidem ejus potestas, contra divinam sui Fundatoris institutionem, suprema, directa ac independens minimè evaderet: *suprema* non esset, quia voluntati et Regum imperio subordinaretur; nec *directa* seu *immediata*, quoniam cum pastoribus et fidelibus communicari nequiret, nisi adhibita interventione et obtento Principum beneplacito; neque demum *independens*, etenim, pro edendis legibus earumque observatione urgenda, decreto summorum imperantium subjaceret.

Postremo, regalistarum Placitum rectis aequitatis principiis plane repugnat, neque enim in hoc aulicorum systemate exstat compensatio, neque aequalitas inter societates ratione proprii finis penitus distinctas servatur: apud nationes, supremis earum magistratibus adest potestas leges inspiciendi alterius status, pro illis admittendis aut rejiciendis, quae reipublicae prodesse vel obesse possint; sed hoc jus mutuum est et reciprocè exercetur. Cum autem de Ecclesia Catholica agitur, omnia principia et jura violantur, notio ipsa justitiae ignorari aut contemni videtur, atque validissimae aequitatis naturalis praescriptiones palam et procaciter infringuntur: status, gubernium, imperator, rex, praeses, potestas civilis, quocumque nomine nuncupetur, societatis religiosae leges inquirere et Romanorum Pontificum Constitutiones examinare valet; Ecclesia vero catholica ejusque

caput Summus Pontifex societatis civilis constituta et principum saecularium decreta perpendere aut investigare nequit, absque aperta invasione in res politicas et temporales atque execrandas jurium usurpatione. Ita sibi cohaerent qui tot praeconiis Jus Naturale extollunt et Jus Ecclesiasticum convellere aut deprimere conantur!

ARTICULUS V

SUMMARIUM

102. *Rescripta.* —103. Quotuplicis generis sint.—104. Rescriptorum vis in re canonica.—105. Quandonam incipiat vel desinat valor Rescriptorum. - 106. Rescripta vitiosa ratione *personarum.*—107. Rescripta vitiosa ratione *precum.*—108. Regulae ad secernendum vitium totale a partiali.—109. Rescripta vitiosa ratione *formae.*—110. Cessatio Rescriptorum.—111. Eorumdem executio.—112. Obligationes executorum.

102. Post Constitutiones *generales* Romanorum Pontificum leviter adumbratas, proprium locum nunc obtinet brevis Constitutionum *specialium* explicatio, quae trito loquendi sermone *Rescripta* denominari solent.

Rescriptum, si vim nominis spectemus, idem est ac *responsum scriptum;* sed si rem nomine significatam denotare velimus, juxta propriam vocabuli acceptionem, definiri potest: *Responsum Principis scripto datum ad alterius consultationem vel supplicationem.*

Dicitur *Responsum* ad secernendum Rescriptum a Decretis, Encyclicis aliisque litteris apostolicis quae *motu proprio* eduntur; additur *Principis,* quia solus et omnis Princeps superiorem non recognoscens, qualis est Summus Pontifex in spiritualibus, atque Imperator, Rex eorumque Cancellarii in temporalibus rescripta concedere possunt, concessiones vero inferiorum ad aliorum instantiam factae rectius vocantur litterae commissionis, restitutionis, citatoriae, inhibitoriae, etc.; ad-

jungitur *scripto* ut discriminetur a *vivae vocis oraculis*, quae sunt declarationes, decissiones et concessiones a RR. Pontificibus ore tenus factae, atque etiam a *Brevi Apostolico*, formam *accidentaliter* distinctam habente, cum hoc sit compendiosum paucisque verbis expeditum rescriptum, exprimens in cera rubra sigillum Papae cum subscriptione *datum sub annulo Piscatoris*, rescripta autem propriè dicta, si sint *gratiae*, bullentur cum filo serico rubro et croceo, si *justitiae*, cum filo cannabis, quo pendet plumbum; verba *ad alterius* exprimunt differentiam rescriptorum a *Constitutionibus*, quae feruntur in genere, ut exinde casus particulares deduci queant, dum rescripta dentur ad instantiam partium, ut a paritate tantum rationis liceat argumentari; postrema vocabula *consultationem vel supplicationem* species rescriptorum distinguunt.

Rescripta pro varia negotiorum gravitate vel per simplicem Sripturam, vel per Bullas aut Brevia expediuntur, atque tribus partibus constant, nempe, narratione, supplicatione et conclusione: 1.° *Narratio* supplicantis a rescribente repetitur; 2.° *Supplicationis causae* ponderantur; 3.° *Conclusio* seu *dispositiva* est pars praecipua rescripti, qua Summus Pontifex mentem suam aperit, declarando quid, qualiter et sub quibus conditionibus concedat.

103. Cum rescripta, juxta eorumdem naturam et vim canonicam, nihil aliud sint, quam "Litterae Pontificiae jus statutum applicantes, aut necessitati transitoriae inter privatos providentes, rectè distingui possunt in rescripta *Juris* et rescripta *Facti*: rescripta *Juris* vocantur„ *quae praevia consultatione eduntur* a Romanis Pontificibus ad legem claram confirmandam, vel legem obscuram interpretandam, vel jus novum statuendum in casu particulari, de quo nihil est sancitum, vel denique quaestiones propositas solvendas.„ Hujusmodi rescriptorum exemplum nobis exhibet caput I *de novi*

operis nuntiatione; exorta siquidem controversia inter duas Ecclesias Dioecesis Patarivae ob capellae cujusdam Baptismalis aedificationem, res ad Episcopum tamquam judicem delegatum delata fuit; sed cum hic nihil inveniret hac super re in Jure Canonico definitum, Lucium Papam III consuluit, qui per rescriptum praecepit litem juxta Juris civilis tramites dirimendam.

Rescripta *Facti* nominantur "*quae praevia supplicatione dantur* per Summos Pontifices pro administranda justitia vel gratia impertienda;„ haec passim dividuntur in rescripta *Justitiae, Gratiae,* et *Mixta;* rescripta *Justitiae* dicuntur "quae dantur ad delegationem et decisionem causarum;„ rescripta *Gratiae* appellantur "quae ex liberalitate Principis aut Pontificis eduntur ad beneficium, privilegium aut quamlibet gratiam concedendam;„ *Mixta* nuncupantur "quae simul participant de gratia et justitia, veluti concessio *restitutionis in integrum„* (1).

Utraque rescripta, scilicet *gratiae* et *justitiae* expediri possunt in forma *gratiosa* vel *commisoria;* in forma *gratiosa,* cum Romanus Pontifex per se ipsum gratiam impertitur; in forma *commissoria,* cum alicui facultatem tribuit ad rescripti executionem.

104. Circa vim et usum rescriptorum omnes canonistae consentiunt rescripta *facti* tantummodo valere atque jus facere in iis causis et personis, pro quibus edita sunt; sed valde discrepant inter se, cum de rescriptis *juris* sermo est.

Alii asserunt ejusmodi rescripta vim legis generalis pro casibus similibus habere, etiamsi nec auctoritate publica in Codicem relata sint, nec aliud contineant, ex quo compertum sit Pontificem voluisse legem generalem condere: pro sua sententia allegant cap. 19 *de sent. et re jud.,* in quo Innocentius III statuit: "In cau-

(1) De his rescriptis cons. Ferraris verbo *Restitutio* atque Huguenin, *Notio appellationis,* lib. II, tit. II, cap. IV, art. I.

sis, quae Summi Pontificis judicio deciduntur, et ordo juris et vigor aequitatis est subtiliter observandus, *cum in similibus casibus caeteri teneantur similiter judicare;* nisi fortè cum aliquid, causa necessitatis aut utilitatis inspecta, dispensativè duxerit statuendum.„

Haec opinio, licet inter Juris interpretes communior, haud paucos impugnatores nacta est, qui absolutè loquendo rescriptis juris valorem generalem denegant sequentibus argumentis innixi: 1.° Romanus Pontifex praefata rescripta non ea mente edit, ut Jus novum constituat, sed jam constitutum applicat, ideoque non legislatoris sed judicis munere fungitur; 2.° omnis lex ad bonum publicum ordinatur, rescripta vero privatam utilitatem respiciunt; 3.° lex promulgatione indiget, rescripta autem non promulgantur. Huic sententiae assentitur Card. De Luca, qui de *similitudine* casus ab Innocentio III requisita, ut inferiores judices secundum rescripta vel decisionem Pontificis sententiam ferre debeant, ita appositè scribit: "Cum illae decisiones, quae singulos vel particulares concernunt casus, ex eorum particulari qualitate et circumstantiis manare soleant, ideoque alteri diversas circumstantias habenti non semper sunt applicabiles, cum diversimodè ob diversam facti qualitatem saepius decernere congruat, quod vulgus malè concipit, atque contrarietatem appellat„ (1).

Attamen, defensores hujus sententiae ultro fatentur nonnullos esse casus in quibus rescripta juris vim legis generalis obtinent, praesertim: 1.° cum Romanus Pontifex sic explicitè statuit ac declarat; 2.° cum rescriptum Pontificis legem dubiam interpretatur, tunc enim Pontifex, prout docet Innocentius III (2), legislatoris personam gerit; 3.° si in Codices authenticos, uti in

---

(1) *Annot.* ad Conc. Trid. *Discur.* I, num. 12.
(2) Cap. 9 *de voto et voti redemptione.*

Decretales rescripta inserantur; 4.° si a populo acceptentur et vi consuetudinis leges evadant.

105. Quoad tempus ex quo incipit vel desinit valor rescriptorum, haec generatim a jure definita videntur. Si vigor rescriptorum inspiciatur, eorumdem genus et formam in qua eduntur, distinguere debemus: rescripta *gratiae* in forma *gratiosa* expedita a die datae vim exerunt; in forma vero *commissoria* concessa a tempore executionis: restricta *justitiae* valere incipiunt a die praesentationis factae judici qui in causa cognoscere debet; praesentatio autem tamdiu fieri potest, quamdiu durat *actio* aut *exceptio*, ob quam impetrata sunt; at si intra annum rescriptum non exhibeatur, et interim adversarius aliud rescriptum obtinet, primum expirat, etiamsi in petitione secundi nulla de priori mentio habeatur, juxta explicitam Innocentii III declarationem (1).

Si vero irritatio rescriptorum attendatur, suum valorem rescripta amittunt *vitio* vel *cessatione*: vitio, quando durante tempore rescripti, aliquid evenit, ex quo facilè conjicitur Romanum Pontificem non amplius velle rescripti executionem; cessatione, cum transit tempus, vel cessat causa ob quam rescriptum editum fuit.

106. Rescripta triplici vitio laborare possunt: vitio *personarum*, quae inhabiles sint vel concedendis vel obtinendis rescriptis; vitio *precum*, quae veritatem suprimant, vel falsitatem contineant; et vitio *formae*, quae legitimè exarata non fuerit.

Primum itaque videndum est quaenam persona rescripta concedere aut impetrare possit. Rescripta impertiri solus ille valet qui suprema potestate pollet, iisque tantum in rebus, quae ipsius imperio subjiciuntur; hinc solus legitimus Romanus Pontifex in rebus spiritualibus et ecclesiasticis, Principes autem Supremi in temporalibus rescribendi auctoritate gaudent, eorumque re-

---

(1) Cap. 23 *de Rescr.*

scripta tam justitiae quam gratiae inutilia essent, si propriae potestatis limites transgrederentur: unde natalium restitutio per rescriptum Principis impetrata ad effectus tantum civiles valet, minimè ad officia et beneficia ecclesiastica vim habet.

Rescripta obtinere possunt omnes, exceptis *indignis*, sive pro se sive pro alia persona, hoc tamen discrimine, quod rescripta gratiae utiliter impetrentur pro persona etiam non mandante, imo penitus ignorante; rescripta vero justitiae irrita sint, si pro alio petantur absque personalitate juridica, quae duobus modis haberi potest vel per speciale mandatum (hispanicè *poder*) obtinentis rescriptum, vel per legis concessionem aut recognitionem, sic patres et tutores suos filios aut pupillos juridicè repraesentant. Diximus omnes, exceptis *indignis*, rescripta consequi posse, quia indigni ad ejusmodi efectum reputantur haeretici et excommunicati, etiamsi non sint vitandi; quamobrem Romanus Pontifex in edendis rescriptis illos, quibus gratia aut privilegium impertitur, ad cautelam prius ab excommunicatione absolvit, per se ipsum, si rescriptum detur in forma gratiosa, per executorem, quando in forma commissoria editur.

107. Praeter vitium personarum rescripta etiam ratione *precum* irrita esse possunt quod, quidem duplici in casu evenire solet, cum reticetur veritas, quae secundum Curiae stylum et Juris regulas exponenda, et vel falsa sunt, quae in supplicatione narrantur: compertum namque apud omnes habetur rescriptis hanc semper conditionem, licet expressa non sit, inesse, *si preces veritate nitantur, si ita est.* Unde duplex oritur vitium *subreptionis* atque *obreptionis*, de quibus fusè moralistae agunt: ad rem nostram satis sit innuere *subreptitium* dici illud rescriptum in quo reticitum est aliquid necessario exponendum, *obreptitium* vero appellari quod falsam narrationem continet.

Sed cum ejusmodi vitia rescriptum non semper inutile reddunt, nihil interest in hac controversia investigare utrum in obtinendis rescriptis subreptio interfuerit an obreptio, magni autem momenti est nonnullas regulas statuere, quibus tum nullitas rescriptorum ob vitium precum determinetur, tum praecipuè vitium totale a partiali secernatur.

108. Quaelibet obreptio aut subreptio in narratione precum pro impetrando rescripto ex duplici fonte necessario provenire potest, vel ex *dolo* et *malitia*, vel ex sola *ignorantia* et *simplicitate*: hinc ad rem totam dilucidandam duas regulas trademus, quae semper prae oculis habendae sunt, cum de valore rescriptorum sermo sit.

1.ª *Quodlibet rescriptum aut obrepticiè aut subrepticiè per fraudem vel malitiam impetratum omnino irritum censendum est;* quia supponitur Ecclesiam nullo modo favere velle fraudulentis, qui in sua perversitatis poenam mulctantur privatione commodi et utilitatis, quam dolosè ex litteris pontificiis educere intenderunt. Haec autem regula tum rescripta gratiae, tum etiam justitiae complectitur; utraque enim ex communi sententia nulla sunt, quamvis suppressio veri vel narratio falsi praecipua causa non extiterit, ob quam rescriptum concessum fuit. Sunt equidem aliqui canonistae, qui, inter rescripta gratiae et justitiae distinguentes, autumant illa tantum, non autem haec per malitiam vitiari; sed Gonzalez, Murillo plerique alii interpretes cap. 20 *de Rescriptis* innixi ejusmodi distinctionem respuunt.

2.ª *Quodlibet rescriptum obreptitiè aut subrepticiè per ignorantiam vel simplicitatem impetratum, totaliter irritum est, quando obreptio vel subreptio in causam motivam seu finalem cadit*; *partialiter vero, si ejusmodi vitia causam tantum impulsivam afficiant;* ratio primae partis regulae est, quia deficiente causa, quae ad rescribendum Pontificem movit, ipsius Principis

voluntas defuit, ex qua pendet omnis rescriptorum vis, atque ideo hoc in casu rescripta gratiae a die expeditionis prorsus irrita habenda sunt, rescripta autem justitiae ex quo pars contraria vitium allegat vel excipit; ratio secundae partis regulae in eo sita est, quod simplicitas et ignorantia nullam poenam mereantur: hinc ejusmodi rescripta cum obreptione vel subreptione circa causam impulsivam bona fide obtenta, juxta laudati Pontificis doctrinam in cap. *de Rescriptis*, firma et valida censentur in substantialibus et ordinariis, in reliquis vero, nempe in accessoriis et extraordinariis, juri communi acommodari debent, atque idcirco partialiter amittunt gratiam, privilegium vel dispensationem ob causam impulsivam oratori concessam; sic, ex. gr. si expediatur rescriptum ad matrimonium contrahendum cum dispensatione proclamationum ob causam impulsivam falso allegatam, rescriptum equidem valet, hoc est, matrimonium contrahi poterit, sed gratia specialis seu extraordinaria amittitur, id est, proclamationes fieri debent *secundum juris ordinem procedendo*.

109. Tandem rescripta nullitate adolere possunt vitio *formae*, nimirum, si in eorum expeditione vel desint characteres veritatis, vel ad sint notae falsitatis.

Veritatis characteres desunt, cum rescriptum exaratum appareat absque illis solemnitatibus, quae ex jure et stylo Curiae servari debent, cujusmodi sunt salutationes, sigilla, filum, charta, forma litterarum, subscriptio, data, aliaque id genus.

Notae vero seu indicia falsitatis putantur: 1.° rasura aut emmendatio in parte essentiali, v. g. in nomine oratoris, voluntate Pontificis, natura concessionis, quantitate, modo, conditionibus gratiae, etc.; 2.° graves errores latinitatis (barbarismi), nam, ut ait Pontifex (1). "Quibus litteris nostris, cum manifestum continent

(1) Cap. 11 *de rescriptis*.

in constructione peccatum, fidem te nolumus adhibere;„ attamen, si tantum deesset aliqua littera, rescriptum valet, etenim Honorius III (1) validum declaravit rescriptum in quo deerat figura O in verbo SPOLIARUNT; 3.° irrogatio damni alicui tertio sine expressa derogatione regulae XVIII Cancellariae *De jure quaesito non tollendo,* et quamvis istae regulae derogetur, adhuc considerari debet, an ejusmodi derogatio verè proficua et utilis evadat, quia de causa publica agitur, in qua jus tertii juri publico postponendum, si enim contigerit derogationem tantum pro bono particulari aut privato fieri, semper praejudicium tertii vitare oportebit etiam Romanum Pontificem hac de re consulendo, maximè cum plures Doctores dubitent utrum Pontifex in causis privatis sine gravi ratione possit jus quaesitum auferre et rescripta hujusmodi ea mente impertiri, ut efectum consequantur; 4.° postrema nota falsitatis erit, si rescripta non sint munita clausulis derogatoriis. Controvertitur apud canonistas utrum clausula generalis *Contrariis quibuscumque non obstantibus* sufficiat ad derogandum Regulis Cancellariae et canonibus Conciliorum generalium, an vero, cum de his agatur, specifica derogatione opus sit; etenim quoad Regulas Cancellariae, regula 71 statuit nulli earum esse derogandum per formulam generalem, et quoad Canones Conciliorum Oecumenicorum Innocentius III in Synodo Lateranensi decrevit—"ne quis ultra duas diaetas extra suam Dioecesim per litteras apostolicas ad judicium trahi posset, nisi de assensu partium fuerint impetratae, vel expresam de ipsa Constitutione fecerint mentionem (2).„ Hanc Innocentii Constitutionem confirmavit postea Honorius III Apostolicas litteras ratas

(1) Cap. 11 *de fide instrument.*
(2) Cap. 18 *de Rescriptis.*

non habens, quod *obviarent Lateranensi Concilio, de quo nulla esset mentio in litteris antedictis* (1).

Hisce rationem momentis suffulti interpretes accuratiores sequentem conclusionem, cui ultro assentimur, proponunt atque tuentur: clausula generalis sufficit ad derogationem, quoties agitur de Canonibus et Constitutionibus Summorum Pontificum; derogatio autem expressa et specialis desideratur, ubi rescripta a generalis Concilii decreto et Regulis Cancellariae aliena sint.

Quidam canonistae cum Benedicto XIV.(2) contendunt decreta Concilii Tridentini specialem derogationem non postulare, quia ipsum Concilium perspicuè declaravit (3) *omnia et singula sub quibuscumque clausulis et verbis, quae de morum reformatione atque ecclesiastica disciplina in eo statuta fuerunt, ita statuta et decreta intelligi debere, ut in his salva semper auctoritas Sedis Apostolicae et sit et esse intelligatur;* sed ejusmodi exceptio nobis videtur arbitraria, siquidem eadem ratio militat pro caeteris conciliis, quorum mens certe nunquam fuit Romani Pontificis jura restringere. In praxi quoties cuicumque decreto Concilii Tridentini derogatur, in rescripto fit specialis mentio illius.

110. Rescripta quatuor praecipuis modis ratione *cessationis* suum valorem amittere possunt: 1.° morte Romani Pontificis concedentis; 2.° morte impetrantis; 3.° morte executoris; 4.° denique lapsu temporis.

1.° Morte Summi Pontificis non cessant rescripta gratiae, quia personalia atque perpetua existimantur, etiamsi in forma commissoria expedita fuerint; sed exspirant rescripta justitiae, si res adhuc integra sit; res autem per litis contestationem, aut saltem per citationem integra esse desinit.

(1) Cap. Ex Parte *de Capellis Monach.*
(2) *De Syn. Dioeces.* lib. XIII, cap. 24, num. 23.
(3) Sess. XXV, cap. fin.

Uno tantum in casu rescripta gratiae morte concedentis cessant, nempe, quando hanc clausulam continent *ad Beneplacitum Nostrum,* non vero si adjectam praeferant clausulam *ad Beneplacitum Sedis Apostolicae,* quia Sedes non moritur.

2.° Per obitum obtinentis exspirant rescripta gratiae, quia, cum personalia sint, duratura tantum ad ejus vitam, qui rescriptum consequutus est; at rescripta justitiae haud cessant, sed haeredibus et successoribus etiam prosunt, eo quod in favorem causae praecipuè, non vero pro persona expediuntur.

3.° Morte executoris cessant rescripta, si executio rescripti personae mandata sit, quatenus tali, hoc est, propter ejus fidem, diligentiam, discretionem aliasque qualitates; quando autem delegatio personae committitur *intuitu dignitatis* seu *officii,* tunc potestas exequendi rescripti ad successores transit, siquidem dignitas semper ob perpetuitatem vita gaudet.

4.° Lapsu temporis exspirant rescripta gratiae pro tempore determinato concessa, nam si expediuntur sine termino praefinito, perpetua judicantur; rescripta vero justitiae tamdiù perdurant, quamdiù causa, in cujus favorem eduntur, nisi tempus determinetur; etenim in hoc casu cessant transacto tempore statuto.

In rescriptis justitiae terminus ad finiendam causam, si in rescripto praefinitus non sit, judicis delegati arbitrio praefiniri poterit; si vero dies praefinita sit, delegatus intra eam diem munere suo fungi debet, ne jurisdictio sibi commissa evanescat; verumtamen, cum terminus in commodum partium constituatur, potest ipsarum consensu prorogari (1).

111. Cum rescripta in forma commissoria expedita per delegatum exequi debeant, videndum superest, cuinam executio rescripti committi valeat.

---

(1) Vid. capp. 4 et 24 *de Off. Judic. Deleg.*

Ante saeculum XIII nulla erat persona determinata, nec speciales conditiones desiderabantur ad hoc exequendi rescripta munere fungendum; Romanus enim Pontifex ad beneplacitum suum delegationem cuilibet tribuebat, ut rescriptum executioni mandaret. A saeculo autem XIII duae qualitates statutae fuerunt in Concilio Lugdunensi I, quibus insigniti esse debent delegati ad rescripta Apostolica Sedis exequenda, nempe: 1.ª necesse est executorem in ecclesiastica dignitate constitui; 2.ª canonicatum habere in aliqua ecclesia cathedrali, vel saltem collegiali insigni: quae quidem requisita postea a Bonifacio VIII (1) confirmata sunt, cum aliqua tamen restrictione, etenim ab ejusmodi munere obeundo canonicos ecclesiarum collegialium exclusit.

Tandem saeculo XVI Concilium Tridentinum hujusmodi disciplinam iterum reformavit statuens (2) in singulis Conciliis provincialibus aut dioecesanis saltem quatuor personas eligendas esse, quae qualitates habeant, juxta Constitutionem Bonifacii VIII, quae incipit: *Statutum*, quibus posthac causae ecclesiasticae ac spirituales in partibus delegandae committerentur. Nostris vero temporibus, cum Concilia provincialia atque dioecesana ob causas, quas hic memorare vacat, penè cessaverint, ita ut ejusmodi Synodi rarè habeantur, Romani Pontifices assueverunt facultatem Episcopis tradere, ut *cum consilio capituli* judices designent qui Synodales dicuntur.

112. Tria praecipua officia executoribus in exercitio sui muneris incumbunt: 1.º inspicere debet utrum adhuc perdurent facultates sibi tamquam judici delegato concessae, an jam desierint; 2.º antequam executor rem commissam ad exitum deducat, inquirat oportet num rescriptum vitiatum sit necne; nam si aliquo vitio laboraret, ad Sanctam Sedem recurrere potest pro obti-

(1) Cap. 11 *de Rescriptis in Sexto.*
(2) Sess. 25, cap. 10 *de Reformat.*

nenda subsanatione; 3.° voluntatem Romani Pontificis fideliter interpretari tenetur, ideoque executionem rescripti suspendere, si obreptionem aut subreptionem, vel aliud in eo vitium compererit, vel nocumentum alicui tertio irrogandum detexerit, quia supponitur talem esse mentem ac intentionem Summi Pontificis hisce in casibus et rerum adjunctis (1).

ARTICULUS VI

SUMMARIUM

113.--Canones *Conciliorum*.--114.--An Concilia sint divinae institutionis. —115.--Utrum in Ecclesia necessaria.—116.—Quaenam requisita desiderentur ad Concilium *generale* constituendum.—117—Jus oecumenica Concilia indicendi.—118.—Quaenam spectari debeant in celebratione.—119.—Demonstretur necessitas confirmationis.—120.—Notio Conciliorum *particularium*—121.—Vis et auctoritas Synodorum, tum generalium, tum particularium.

113. Canones Conciliorum generalium magna in existimatione ab omnibus habentur tamquam communis et postremus Juris generalis scripti fons. Multa, cum de Conciliis agatur, nobis inquirenda occurrunt; sed paucis contenti erimus, eo quod ejusmodi disquisitio propriùs ad theologos attinet, qui hac de re longè latèque pertractant.

Concilium, si vocis etymon spectemus, idem est ac "hominum multitudo in unum locum ad consulendum congregata„; in re vero ecclesiastica definiri solet: *Coetus catholicorum Antistitum ad negotia fidei, morum, et disciplinae tractanda legitimè ritèque celebratus.*

Dicitur in definitione *Coetus*, quia Concilium in locali vel materiali praelatorum conventu aut consessu consistit, non autem in Ecclesiae consensu separatim

(1) Qui ampliorem de Rescriptis notitiam assequi velit, consulat Gonzalez, Pirrhing, Schmier, aliosque Interpretes Decretalium ad lib. I, tit. 4 de *Rescriptis*.

praestito; additur *Antistitum*, quia non tantum Episcopi, sed alii etiam Praesules assistunt; sequitur *ad negotia fidei, morum, et disciplinae tractanda*, quod indicat conciliorum objectum; apponitur *legitimè*, quoniam concilium, ut hoc nomine verè ac propriè vocetur, et non veluti conciliabulum satanae habeatur, a legitima potestate convocari debet; per verbum denique *ritè* declaratur celebrationem fieri oportere juxta canonicas praescriptiones.

Concilia passim distinguuntur in Generalia et Particularia; atque haec dividuntur in Patriarchalia, Nationalia, Provincialia, Dioecesana, Mixta et Regia. Notione concilii Generalis satis enucleata, Particularia concilia postea leviter adumbrabimus.

114. Circa Conciliorum originem sunt qui institutionem divinam propugnant, pro sua sententia in medium proferentes illa Christi verba *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum* (1), declarationem conciliorum Chalcedonensis et Constantinopolitani III, quorum Patres affirmarunt se esse congregatos *secundum a Domino editam vocem*, atque demum celeberrimam concilii Hierosolymitani definitionem *Visum est Spiritui Sancto et nobis*, etc.

Verum ejusmodi argumenta nullius momenti nobis videntur; etenim Christi verba Sancti Patres de fidelium conventu seu assotiatione ad orandum habita interpretantur, concilia Chalcedonense et Constantinopolitanum memorata declaratione significare tantum voluerunt Episcopos ad gloriam Dei congregatos certos esse de divina assistentia iis promissa, qui in nomine Dei conveniunt, et postremo Apostolorum sententia in concilio Hierosolymitano unicè evincit Spiritus Sancti assistentiam.

115. Quaeritur etiam, an Ecclesiae opus sit conciliorum celebratione; ad quod respondemus Concilia,

(1) Matth. XVIII, 20.

absolutè loquendo, minimè necessaria esse in Ecclesia; nam eorumdem celebratio fit saepe impossibilis, uti primis Ecclesiae saeculis; praeterea Universitas Parisiensis sequentem propugnavit propositionem: "Non est necessarium absolutè ad extirpandas haereses et schismata generale Concilium", in testimonium suae assertionis adducendo haeresim pelagianam, aliosque gravissimos adversus fidem moresque errores a Romanis Pontificibus damnatos absque conciliorum convocatione. Idipsum jamdiu Divus Augustinus defenderat adversus Pelagianos ad futurum universale concilium appellantes. Idipsum novissimis temporibus contigisse vidimus, etenim haereses obortae a Sancta Sede conquassatae fuerunt, quin generale indiceretur Concilium, ut patet in Jansenistarum tam Theologorum, quam Canonistarum profligatione: et quidem haeresis janseniana *theologicè* in Bulla *Unigenitus* a Clemente XI edita damnata fuit, *canonicè* vero per celebratissimam Constitutionem *Auctorem Fidei* a Pio VI latam prorsus debellata est. Tandem Summus Pontifex Paulus III in Bulla indictionis Sacri Oecumenici et Generalis Concilii Tridentini *Ab initio nostri hujus Pontificatus* Concilium appellavit *remedium optimum atque opportunissimum*, minimè vero necessarium.

Tamen, juxta egregium Card. Bellarminum, tres casus evenire possunt, in quibus necessaria sit generalis Concilii convocatio: 1.° cum dubitatur quis sit legitimus Pontifex: tunc Episcopos conveniri oportet ad decernendum verum ác legitimum Petri successorem; 2.° cum, Sede Romana jure vel facto vacante, Ecclesiae necessitas id exposcit; 3.° si, *hypotheticè loquendo*, Pontifex in haeresim vel schisma lapsus esset; diximus *hypotheticè loquendo*, quia de fide est post Concilii Vaticani definitionem Romanum Pontificem, cum ex *Cathedra* loquitur, id est, cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungitur, errare non posse,

ideoque nec in schisma inducere; et tamquam Doctor particularis, quidquid sit de quaestione *juridica*, nempe, utrum aliquando in haeresim aut schisma labi possit, quod gravissimi Theologi rationum momentis haud spernendis apertè inficiantur, de *facto* nunquam haeresim declaratam docuit vel schisma manifestum promovit, prouti historia omnium saeculorum comprobari facile esset.

116. Age jam, cum non omnis coetus Episcoporum tamquam legitimum Concilium censendum sit, sed tantum ille, quo forma canonica servata fuerit, praefinire necesse est conditiones essentiales, quae in ejusmodi ecclesiasticos conventus concurrere debent, ut Concilia rectè nuncupentur et ritè habeantur.

Tria igitur requisita canonicè desiderantur ad Concilium generale verè et propriè constituendum, videlicet, legitima *convocatio*, debita *celebratio*, et pontificia *confirmatio*, de quibus breviter disseremus.

117. Jus Concilium generale indicendi ad eum pertinet, qui auctoritatem habet in Collegium congregandum, cujus est judicare de ipsius convocationis causa legitima, qui potest Episcopos jubere in unum locum venire et convenire, quique demum valet Episcopos dispensare a residentia in suis dioecesibus: jam vero, haec quatuor recensita suprema jura imperandi, judicandi, jubendi atque dispensandi tantummodo Romano Pontifici inesse possunt, cum ipse unus a Christo Domino constitutus sit Princeps et Caput totius Ecclesiae, et Episcopi omnes ejus decretis obedire teneantur; ergo solus Romanus Pontifex jure potitur Synodos generales indicendi. Itaque in Concilio Chalcedonensi Lucentius Asculanus Episcopus, S. Leonis Magni Legatus, illud Dioscoro Alexandrino Patriarchae crimini vertit: *quod Synodum ausus est facere sine auctoritate Sedis Apostolicae, quod numquam licuit, aut factum est* (1).

---

(1) Act. I.

Hanc equidem Romani Pontificis potestatem catholici omnes semper agnoverunt, factoque comprobatum est; etenim omnia generalia Concilia auctoritate ipsius Romani Pontificis convocata fuerunt. Quod si scriptores aliqui memoriae tradiderunt antiquissima Concilia Orientalia ab Imperatoribus indicta fuisse, id omnino factum est ex Summi Pontificis sententia et consensu, spectata utriusque potestatis ecclesiasticae et civilis concordia, tunc temporis vigente, maximeque peculiari illius aetatis conditione, uti propè innumeri historici ac theologi evidentissimè demonstrarunt.

118. In Concilii generalis celebratione tria spectari debent, nempe, praesidentia, suffragium et forma deliberationis.

Primum enim, jus Conciliis generalibus praesidendi ad eum proculdubio attinet, qui caeteris auctoritate praestat, quippe ipsa ratio naturalis omnibus suadet in quolibet conventu seu hominum congregatione, eum, qui potestate major est, caeteris jure suo praeesse debere: nunc vero, cum Summus Pontifex propter Primatum, quem a Christo accepit, reliquis Episcopis potestate antecellat, necessario sequitur ad Primatem Ecclesiae pertinere propriè ac ex Dei dispositione jus oecumenicis Conciliis praesidendi sive per se, sive per suos Legatos, quin inde eruatur Romanos Pontifices in hisce Vice-gerentibus sua jura ita delegare, ut ea quae ab ipsis sancita fuerint, rata firmaque habere adigantur; etenim plena libertas atque integra potestas Pontificibus semper manet approbandi vel improbandi quaecumque a suis Legatis statuta sint, veluti ex historia Conciliorum apertè liquet.

Jus suffragium ferendi competit: 1.° jure nativo, hoc est, potestate divinitus collata, solis Episcopis, quorum suffragium est proinde *decisivum*, quia tamquam veri judices propositas quaestiones definiunt; 2.° *privilegio* et mera Ecclesiae concessione, Cardinalibus non

Episcopis, Abbatibus generalibus exemptis, Ordinumque Regularium Praepositis generalibus, qui jurisdictione quasi episcopali potiuntur, quorum suffragium est tantum *deliberativum* et vi dignitatis ipsis tributum; 3.° *consuetudine*, Theologis et canonistis, quorum suffragium est *merè consultativum*.

Episcopi ad Synodum venire impediti per procuratores olim assistebant, qui in Occidente post omnes Episcopos sedebant; in Oriente vero usque ad Pium IV locum obtinebant Episcoporum suorum; post Pium IV omnes Episcopos sequuntur; in Concilio Tridentino admissi fuerunt cum suffragio *merè consultativo*, sed in Vaticana Synodo non admissi.

Forma servanda in Conciliis habendis tria haec complectitur: libertatem in judiciis, absentiam omnis fraudis et sufficiens examen.

1.° Libertas in judiciis; acta enim per vim et metum ipso jure sunt irrita: hinc Concilium Ephesinum II, in quo sententia a Dioscoro arte, nimis et terroribus extorta est, Synodus praedatoria et latrocinium appellatur. 2.° Fraus omnis abesse debet; hac de causa, nulla auctoritate gaudet Concilium Ariminense, Patres enim decepti fuerunt, juxta tritum S. Hieronymi effatum, qui inducit illos sic loquentes: *Decepit nos bona de malis aestimatio* (1). 3.° Sufficiens examen; siquidem jam in ipso Concilio Apostolorum legimus magnam disquisitionem factam esse: ratio hujus diligentis examinis et accuratae disquisitionis in eo sita est, quod novae revelationes Ecclesiae non fiunt, sed Deus pollicitus est eidem Ecclesiae dogmata revelata pro opportunitate temporum declaranti, evolventi aut proponenti suum praesidium perpetuamque assistentiam, ne unquam in veritatibus fidei investigandis atque definiendis in errorem laberetur.

---

(1) *Adversus Luciferianos.*

119. Sed non sufficit ad Concilium generale constituendum legitima convocatio atque debita celebratio: ad robur, ad firmitatem, et complementum Conciliorum necesse est, ut canones et decreta Conciliorum a Romano Pontifice rata habeantur, suaque suprema auctoritate corroborentur.

Necessitas pontificiae confirmationis ad vim canonicam Conciliorum multiplici ratione ostendi potest. 1.° Auctoritate Eugenii IV in decreto unionis pro Jacobitis: *Suscipit,* ait, *sancta Romana Ecclesia omnes universales Synodos auctoritate Romani Pontificis legitimè congregatas, ac celebratas, et confirmatas:* ex quibus verbis liquidè colligitur Concilia generalia, nisi a Romano Pontifice confirmentur, illegitima esse, omnique pondere et auctoritate vacua. 2.° Ex ipsa Concilii generalis notione; etenim judicium Episcoporum de fidei morumque quaestionibus, etiamsi ii in Concilium convenerint, errori obnoxium esse potest; ideoque haereticus non erit, qui illud in dubitationem vocet, vel etiam ab eo dissentiat. Ut igitur hujusmodi Episcoporum judicium ad catholicum dogma pertineat, necesse omnino est, ut pontificia sanctione firmetur. 3.° Ex praxi eorumdem Conciliorum: Patres enim Nicaenae Synodi in epistola ad S. Silvestrum Pontificem confirmationem ab eodem his verbis petiere: *Quidquid constituimus, precamur ut Vestri oris consortio confirmetur;* Patres Concilii Chalcedonensis, hanc quoque agendi rationem sequuti, acta ipsa ad S. Leonem Magnum misserunt una cum epistola in qua ajebant: *Mittimus ad eorum, quae a nobis gesta sunt, firmitatem;* et cum Pontifex non confirmasset canonem Ecclesiam Constantinopolitanam supra Sedes Alexandriae et Anthiochiae extollentem, hoc Chalcedonense decretum vim ac valorem minimè obtinuit. 4.° Ex unanimi Ecclesiae consensu: nam Ecclesia Catholica ea tantum Concilia recipit tamquam legitima, vel rejicit velut ilegitima,, quae a Summis Pontificibus approbata vel reprobata sunt.

120. Concilia *particularia*, quae etiam *topica* nuncupantur, distribui communiter solent in Patriarchalia, Nationalia, Provincialia, Dioecesana, Mixta et Regia, de quibus pauca dicemus.

Concilia *Patriarchalia* vocantur: "quae ab Episcopis totius patriarchatus, ipso Patriarcha convocante ac praesidente, celebrantur:„ olim etiam *dioecesana* appellabantur, quippe denominatione *Dioecesis* Patriarchatus significabatur. Hodiedum tantummodo in Occidente indici possent; etenim Patriarchae Orientales nullam obtinent jurisdictionem. Habebantur quoties necessarium vel utile Patriarchis videbatur pro rebus ecclesiasticis ordinandis aut pro negotiis uniuscujusque regionis seu patriarchatus, solvendis, sed semper cum cognitione et annuentia Romani Pontificis, uti apertè constat ex accusatione Lucentii Asculani adversus Dioscorum Alexandrinum nuper relata.

Nationalia nominantur: "quae a Primatibus alicujus regni vel nationis, convocatis totius regni vel nationis Episcopis, celebrantur„: haec quandoque *universalia seu plenaria* dicta sunt, non absolutè, sed relativè ad illud regnum vel nationem, ubi habita fuerunt; ita S. Augustinus Synodum Africanam *plenariam* vocavit respectu totius Africae. Primum convocabantur et praesidebantur a Metropolitis, postea a Primatibus, et postremo a Legatis Pontificiis. Juxta Concilium Lateranense IV *quotannis* celebrari debebant.

Provincialia dicuntur: "coetus Episcoporum unius provinciae a Metropolita legitimè convocatus ad pertractanda jure ordinario atque sub ejusdem praesidentia negotia ecclesiastica hujus provinciae„: jus igitur indicendi et praesidendi hujusmodi Conciliis ad Metropolitam pertinet; quod si impeditus esset, facultatem convocandi suo Vicario tribuere possèt; sed si jurisdictionem amiserit, vel Sedes metropolitica jure vel facto vacaret, jus transit ad Episcopum antiquiorem provinciae. Juxta

Concilia Nicaenum et Chalcedonense bis in anno cogi debebant ejusmodi conventus Episcoporum comprovincialium, deinceps Synodus generalis VII novellam 137 sequens jussit Concilia provincialia quotannis celebrari, quam equidem disciplinam Concilium Lateranense IV sub Innocentio III sancivit, demum Tridentina Synodus statuit: "Provincialia Concilia, sicubi omissa sunt, renoventur. Quare Metropolitani, *quolibet saltem triennio,* non praetermittant synodum in provincia sua cogere; quo Episcopi omnes, et alii, qui de jure vel consuetudine interesse debent, convenire omnino teneantur„ (1).

Ante Sixtum V acta Conciliorum provincialium ad Summum Pontificem probanda mittebantur, quod quidem nullum specialem valorem illis tribuebat, nisi accederet confirmatio pontificia; nam in hoc casu vim legis papalis obtinebant. Sixtus vero V constitutione *Immensa* anno 1587 edita praecepit ut acta Conciliorum nacionalium et provincialium haud promulgarentur, nisi priùs recognita et, si opus esset, emendata a Sacra Congregatione Concilii fuissent.

Dioecesana Synodus vocatur: "congregatio canonica quam Episcopus cum suo clero, praesertim cathedrali et parochiali, ad ecclesiastica Dioecesis negotia definienda cogit.„ Ex veteri disciplina, presbyteri parochiis praefecti atque extra urbem commorantes ab Episcopo in generalem conventum, hoc est, in synodum, convocari consueverunt, primum bis in anno, postea semel quotannis, quod ex novissima Tridentini disciplina adhuc viget. Synodi convocationen praecipiunt antiqui canones et decretales atque recentiori etiam aetate Concilium Tridentinum hoc statuens: "Synodi quoque dioecesanae quotannis celebrantur..., quibus, ratione parochialium aut aliarum saecularium eeclesiarum etiam

(1) Sess. XXIV, cap. 2, *de Reform.*

annexarum, debent ii qui illarum curam gerunt, quicumque illi sint, interesse„ (1).

Constitutiones in Synodo dioecesana latae statim promulgantur; neque enim opus est, ut ante earum promulgationem a Summo Pontifice, vel a Sacra Congregatione Concilii approbentur, uti acta Conciliorium nationalium vel provincialium. Ratio hujus discriminis in eo fulcitur, quod in Conciliis, tum nationalibus, tum provincialibus exercetur auctoritas primatialis vel metropolitica, utraque a Romano Pontifice derivata et delegata; in Synodis autem dioecesanis exercetur potestas episcopalis, propria atque divinae institutionis: hinc Pontifices maximi illam limitibus restringendam curarunt, ut semper agnosceretur Sedes Apostolica ratione Primatus Episcopo Romae vinculati tamquam origo et fons omnis jurisdictiones hierarchicae supra Episcopos, qui jure divino aequales sunt.

Concilia *Mixta* cum *Regiis* passim confundi solent; at valde inter se differunt: juxta Benedictum XIV *Mixta* nuncupantur illa concilia quae adamussim in censum particularium adscribi nequeunt, eo quod locum medium inter dioecesana et provincialia, vel inter provincialia ac nationalia obtinent. Plura hujus generis concilia celebrata sunt, cujusmodi inter alia memoratu dignum est Romanum sub Sancto Cornelio habitum. In Hispania frecuentiores fuere ejusmodi ecclesiastici coetus, praesertim Toleti; etenim, cum ad urbem regiam Episcopi proficiscerentur celebrandi ergo Concilium nationale, simulque coactam invenirent Synodum dioecesanam nonnulli ad hanc assistere solebant; exinde concilium vere innominatum, neque dioecesanum, quia aderant varii Episcopi, neque provinciale, quia aliqui Episcopi ad distinctam provinciam spectabant, nec demum nationale, quoniam plures nationis Episcopi deerant.

(1) Sess. XXIV, cap. 2, *de Reform.*

Tandem Concilia *Regia* appellantur: "conventus illi, quibus aderant Episcopi ut magistratus et optimates ad civilia negotia tractanda." Cum vero Episcopi jam congregati occasionem arripiebant disserendi de negotiis ecclesiasticis, inde orta est denominatio ejusmodi coetibus tributa. Concilia autem Toletana inter regia recenseri nequeunt, quia celeberrimi Hispanicae Ecclesiae conventus apud Toletum habiti conseri debent verè ecclesiastici, uti plures critici contendunt, quippe in hisce nationalibus coetibus de rebus cum religione, fide, moribus ac disciplina plus minusve directè connexis Episcopi egerunt. In epocha tamen restaurationis apud nostrates nonnulla Concilia coacta sunt, quae certè Regia vel Comitia nominari merentur, talia extitere Legionense (Cortes de Leon) sub Alphonso V (1020), Cojacense (Valencia de D. Juan) tempore Ferdinandi I (1050), et Jacense aetate Ranimiri I (1060) celebrata.

121. Quoad vim et auctoritatem canonicam qua pollent Concilia in rebus tum fidei, tum disciplinae eorundem examini et definitioni subjectis, haec tamquam certa explorataque tenenda sunt:

Decreta *dogmatica* Conciliorum generalium, auctoritate Summi Pontificis confirmata, infallibilia atque universalia sunt, hoc est, nulli planè errori obnoxia esse possunt, quia judicium Episcoporum, qui cum Romano Pontifice consentiunt, est judicium Ecclesiae, quae in fidei morumque doctrina errari nequit; atque etiam omnes Christi fideles statim ad credendum obligant, ita ut haereticus habendus sit, qui ejusmodi definitionibus non assentiatur, vel de iis pertinaciter dubitet.

Leges vel canones *disciplinares* in Conciliis generalibus lati et pontificia confirmatione muniti universam Ecclesiam obstringunt post duos menses a confirmatione, nisi specialis clausula adjecta fuerit.

Quod attinet ad Concilia particularia, quando, ex veteri disciplina, de rebus *dogmaticis* judicabant, eo-

rum judicia probabilem fidem faciebant, non vero certam et falli nesciam: ubi autem auctoritate Summi Pontificis confirmabantur, tum certam et infallibilem vim consequebantur; sic errores Helvidii, Pelagii, Priscilliani et Semipelagionorum in Conciliis provincialibus Thelensi, Africanis, Toletano atque Arausicano II damnati, postquam accessit Sedis Apostolicae confirmatio, habiti sunt veluti anathematizati per eorumdem Conciliorum *irreformabile* judicium. Verum, ex nova disciplina, omnibus majoribus causis Summis Pontificibus reservatis, nunc nationalia et provincialia Concilia non ampliùs in pertractandis fidei et morum, aliisque majoribus causis versantur, sed tantummodo in iis negotiis, quae ad rectam nationis vel provinciae administrationem spectant.

Leges vel canones *disciplinares* a particularibus Conciliis conditi *per se* tantum nationem, provinciam vel dioecesim respiciunt, prout Concilia nationalia, provincialia, vel dioecesana fuerint, siquidem eorumdem Episcoporum potestas nationis, provinciae, aut dioecesis finibus continetur; *per accidens* vero aliquando decreta Conciliorum particularium majorem extensionem et specialem existimationem obtinere possunt; quod rectiùs intelligetur tria distinguendo, quae in nationalibus et provincialibus Synodis spectari oportet, nempe, *promulgationem*, peculiarem *confirmationem* atque *vim generalem* cogendi.

Post laudatam Constitutionem Sixti V, Concilia nationalia et provincialia in natione vel provincia nullatenus promulgari valent absque approbatione S. Congregationis Concilii *in forma communi*, quae nihil aliud est quam quaedam revisio seu recognitio, qua Congregatio corrigit in decretis ea quae nimis rigida aut juri minus consentanea sunt, quin ulla vis eis addatur.

Potest item evenire, quod rogatu Metropolitanum, Concilia particularia non tantum emendentur, verum

etiam a Romano Pontifice per apostolicas litteras confirmentur *in forma specifica*, et tunc decreta peculiarem vim et auctoritatem assequuntur non solum in natione et provincia, ut praevaleant juri communi contrario et sine Summi Pontificis licentia deinceps mutari aut derogari nequeant, sed fortasse, si Sanctissimo ita visum fuerit, in universa Ecclesia.

Demum, canones Conciliorum particularium vigore generali gaudere nonnumquam possunt virtute vel *codificationis*, si in Codicem authenticum referantur, vel *consensionis* pontificiae, cum ex tacito SS. Pontificum consensu ab universali Ecclesia recipiantur; hac de causa vim generaliter obligandi hodie obtinent sequentia Concilia: Sardicense, uti Nicaeni appendix semper spectatum; Romanum sub S. Melchiade habitum; Arelatense; et duo orientalia, scilicet, Neocaesareense et Gangrense.

ARTICULUS VII

SUMMARIUM

122. Fontes Juris *Novissimi*. — 123. Constitutiones Pontificiae.--124. Concilium Tridentinum.—125. Quare hoc Concilium censendum sit veluti fons proprius ac primarius Juris novissimi. —126 Concilium Vaticanum. — 127. Curia Romana-- 128. Personae eam constituentes.—129. Synopsis historica Tribunalium Curiae Romanae. --130. Levis recensio SS. Congregationum. 131. Vis et auctoritas suorum Decretorum.—132. An indigeant promulgatione Declarationes *comprehensivae authenticae*.—133. Regulae Cancellariae.

122. In definiendis fontibus Juris *Novissimi* generalis et scripti non consentiunt inter se canonistae: alii agnoscunt tamquam fontes Juris novissimi omnes leges ecclesiasticas potestate legitima conditas a postrema Decretalium collectione ad nostra usque tempora; alii vero tantum admittunt leges ecclesiasticas a Tridentina Synodo usque nunc editas; alii demum sub hac denomi-

natione solummodo intelligunt statuta et ecclesiasticas regulas a perturbatione gallica circa finem XVIII perpetrata ad nos usque evulgatas.

Juxta primae opinionis propugnatores sex recensentur fontes Juris novissimi, nempè: Constitutiones Pontificiae in Corpus Juris Canonici non insertae, Decreta Conciliorum nondum codificata, Regulae Cancellariae, Decisiones Sacrarum Congregationum, Concordata, et Leges civiles collatis consiliis (concordadas) latae; juxta asseclas secundae sententiae sex etiam fontes enumerantur, videlicèt: Constitutiones Summorum Pontificum saeculo XVI posteriores, Concilia Tridentinum et Vaticanum, Regulae Cancellariae, Resolutiones SS. Congregationum, Concordata atque Leges collatis consiliis conditae; secundùm tertiae sententiae patronos quatuor habentur fontes, scilicèt: Constitutiones a saeculo XVIII exeunte promulgatae, Concilium Vaticanum, Concordata novissima, et Leges civiles mutuo consilio recenter editae.

Nos igitur secundam sententiam amplectimur, licet restrictione paulisper modificatam; nam Concordata et Leges utriusque potestatis consensu latas minimè admittimus veluti fontes Juris generalis novissimi, quippe quae, verè et propriè loquendo, inter fontes juris particularis uniuscujusque nationis, quod *Patrium* nominatur, locum obtinent; ideoque ex nostra sententia praedictae fontes ad quatuor revocari possunt, nimirùm: Constitutiones Sacras post Tridentinam Synodum publicatas, Canones Conciliorum Tridentini et Vaticani, Regulas Cancellariae atque Decisiones Romanarum Congregationum.

123. A saeculo XVI, in quo orta est haeresis omnium, quae hactenus Ecclesiam Christi divexarunt, fortè perniciossisima, nempè, execranda Lutheri caeterorumque novatorum decantata reformatio, fons utique uberrimus omnis cladis, rebellionis, impietatis, moralis

depravationis, perturbationis socialis, religiosae negationis, summatim, cunctorum errorum atque vitiorum, quae mentem et cor a recta veritatis et justitiae semita deduxere, vix aut ne vix enumerari possunt documenta praestantissima ab Apostolica Sede profecta pro erroribus convellendis et moribus corrigendis. Ejusmodi Romanorum Pontificum monumenta, doctrina non minus quam pietate praeclara, luculentissimum testimonium nobis exhibent juris sacri et ecclesiasticae legislationis circa plurima fidei, morum, ac disciplinae capita, vel prorsus rejecta, vel in dubium revocata a propè innumeris systematibus, quae recentiori aetate ex germine Protestantismi pullularunt.

Et sanè, nemo est qui nesciat novissimis temporibus quamplurimas Litteras Apostolicas in forma sive Brevis, sive Allocutionis, sive solemnis Constitutionis, a Christi Vicariis, Petri Successoribus in Primatu Pontificio esse promulgatas ad tot placita damnanda, quot effutire ausi fuere *adversus Dominum et Christum ejus* scelerati et nequissimi homines. Quisnam enim oblivisci poterit apostolicae fortitudinis, qua Ecclesiae jura, Sedis Romanae auctoritatem, et doctrinae catholicae integritatem vindicarunt Paulus V, Gregorius XV, Clemens XI atque Innocentius X adversus Richerianismum; Clemens XIII adversus Febronianismum; Alexander VIII et Innocentius XII adversus Gallicanismum; Pius VI adversus Jansenismum; Gregorius XVI et Pius IX adversus Liberalismum, et denique Leo XIII qui Ecclesiae gubernacula nunc tenet, adversus Rationalismum scientificum, Socialismum politicum et regium Caesarismum?

Nulli igitur, qui in scientia canonica aliquatenus versatus sit, ignorare licet, speciminis gratia, mirificam Alexandri VIII Constitutionem *Inter multiplices*, eruditissimam Benedicti XIV Bullam *Sollicita ac provida*, celeberrimam invictissimi Pii VI Constitutionem *Auctorem*

Fidei, strenuas Gregorii XVI Litteras *Mirari vos*, recentiores Pii IX Encyclicam *Quanta cura* et Bullam *Apostolicae Sedis*, sapientissimam tandem Leonis XIII Encyclicam *Immortale Dei*.

Omnes idcirco fateri tenentur necessarium esse pro jure novissimo addiscendo atque interpretando specialem curam impendere studio ac expositioni Constitutionum, quas Pontifices Maximi recentiori aetate edidere, tamquam pretioso et plenissimo legum ecclesiasticarum fonti.

124. Concilium Tridentinum die 22 Maii anni 1542 Bulla indictionis Pauli III *Initio nostri hujus Pontificatus* convocatum, ab anno 1545 die 13 Decembris usque ad annum 1563 sub tribus Romanis Pontificibus Paulo III, Julio III et Pio IV celebratum est. Nemini dubium esse potest, quin a Romano Pontifice coactum sit; etenim Bulla indictionis Pauli Papæ III ejusdem Concilii actis praefixa legitur. Certum quoque est eidem Concilio Romanos Pontifices praefuisse; singulis namque sessionibus fit mentio Legatorum, qui eorum locum tenuere.

Quatuor praecipuae causae extitere cogendi ac celebrandi Tridentinam Synodum, videlicèt: confirmatio fidei contra Lutheri, Zuwinglii, Calvini, ac plurium aliorum haereticorum errores; restitutio Ecclesiasticae Disciplinae, quam bella ac haereses plurimùm labefactaverant; unitas et concordia tam Principum, quam populorum inter sese valde dissentientium; denique depressio atque extinctio hostium Christiani nominis; ita eruitur ex ipsa bulla indictionis et decreto primae sessionis.

Acta Concilii Tridentini continentur viginti quinque sessionibus, quarum decem priores habitae sunt sub Paulo III (ab anno 1545 usque ad annum 1547), sex aliae sub Julio III (ab anno 1551 usque ad initium 1552), reliquae vero sub Pio IV (ab initio anni 1562 usque ad finem 1563). Unaquaeque sessio duplici parte constat,

altera in qua de doctrina ab haereticis controversa in capitibus agitur et dogma catholicum per canones definitur sub anathematis poena; altera in qua habetur decretum *de Reformatione* ad res disciplinares concernens.

Haec sacrosancta Synodus post duplicem interruptionem partim dissidiis Patrum et pesti Tridentinae in prima suspensionis epocha, partim vero bellis Germanicis, Protestantium insidiis et Mauritii Saxonici in Carolum V rebellioni in secunda suspensione tribuendam, decem et octo transactis annis ab ejus inauguratione, demum die 4 Decembris anni 1563 absoluta est cum benedictione Cardinalis Moroni, Primi Legati, et acclamationibus a Cardinali de Lotharingia lectis. Patres autem, sequentes vocem percelebris Antonii Augustini, tunc Illerdensis, postea Tarraconensis Praesulis, pro confirmatione clamarunt, quae sponte et summo cum gaudio data fuit á Pio IV in Bulla *Benedictus Deus* die 26 januarii anni 1564.

125. Concilium Tridentinum jure meritoque censeri debet veluti fons proprius et primarius Juris novissimi; plures enim rationes pro hac assertione constabilienda conspirant: 1.° haec Sancta Synodus in restauranda disciplina ex professo versata est, adeo ut magnae sessiones XXIV et XXV duplex decretum *de Reformatione* continent; sessio XXIV, postquam doctrinam dogmaticam de Matrimonio duodecim canonibus complexus est, tractatum edidit specialem de reformatione matrimonii in decem capita redactum; deinde vero aliam sectionem de reformatione in genere 21 capitibus conflatam: sessio etiam XXV, post decreta de Purgatorio et veneratione Sanctorum, bifariam dividitur: primò de reformatione Regularium 22 capitibus disserit, secundò de reformatione in genere aliis 21 capitibus pertractat. 2.° Ejusmodi Concilium non solum novam disciplinam, hoc est, jus Decretalium quoad plura capita immutavit, verum etiam optimo consilio prudentique judicio

plures alias hac de re dispositiones seu ordinationes statuit ac promulgavit. 3.° Sicut enim Novatorum systema et ortus Protestantismi ob perturbationes in populis christianis inductas novam distinguit periodum in studio Ecclesiasticae Historiae, ita etiam Oecumenicus Episcoporum coetus, Tridenti convocatus et habitus ad damnandum hoc perniciosum systema et exitialem haeresim, novam constituit epocham in jure canonico et ecclesiasticae legislationis historia. 4.° Patres Tridentini in suis legibus condendis proculdubio prae oculis habuerunt Constitutiones Pontificias et Conciliorum decreta post collectiones Decretalium edita et nondum in Codicem relata. 5.° Tridentina Synodus non solum ubivis gentium, vel ferè in omnibus regnis recepta fuit, sed etiam pluribus in catholicis nationibus veluti lex Status declarata est, unde ejusdem statuta et decreta *Nomocanones* et nominantur et habentur.

Quod ad Hispaniam attinet, Concilium Tridentinum integrum et nulla adhibita restrictione a Philippo II admissum fuit Regali Schedula die 12 Junii anni 1564 Matriti expedita, inserta in Codice Novissimae Recopilationis, leg. 13, tit. 1, lib. 1, atque iterum a Carolo IV nova vi ac vigore anno 1803 munita; qua de causa hodiè *Nomocanones Tridentini* tamquam leges vigentes in Tribunalibus a Magistratibus saecularibus adducuntur.

126. Decretis Conciliaribus, quae fontem Juris novissimi efficiunt, adjungendi sunt canones Concilii Vaticani, ad nostri temporis multiplices errores damnandos, necnon cleri disciplinam reformandam a S. Pontifice Pio IX gratae et felicis recordationis convocati. Ejusmodi postrema Oecumenica Synodus Ecclesiae catholicae in Basilica Vaticana solemniter incoepta est die 8 Decembris anni 1870. Sed post quatuor celebratas sessiones, Romam invadentibus sectariorum copiis, Summus Pontifex in luctuosam captivitatem rédactus, maximo cum populi christiani moerore, ejus celebratio-

nem ad tempus suspendere coactus est, quae quidem suspensio, majoribus malis ingruentibus, adhuc perdurat. Canones hujusmodi Concilii promulgati fuerunt duabus Constitutionibus dogmaticis a praelaudato Pontifice editis, altera de Fide, quae incipit *Dei Filius*, altera de Ecclesia Christi *Pastor Aeternus*, atque utraque in quatuor capita distributa.

127. Curia juxta vocis etymon, ortum habet a *curis*, quo nomine apud Latinos nuncupabantur aedificia publicis negotiis seu curis destinata; si autem rem vocabulo significatam spectemus, per curiam intelligitur complexio omnium officialium, qui curam principalem reipublicae negotiis impendunt, unde curiales dicti sunt.

Hoc verbum in Jure Canonico etiam usurpatur ad significanda officia illa sive *majora*, sive *minora*, quae quibusdam determinatis personis incumbunt in regenda atque administranda publica Ecclesiae re; hinc Curia Romana rectè definiri potest: *Complexus officiorum, tribunalium et congregationum, quibus Summus Pontifex in regimine atque totius Ecclesiae administratione juvatur.* Sed, cum officia ad *personas*, quae illa praestare debent, respiciant, tribunalia circa *causas* et *judicia* versentur, et congregationes expediendis *negotiis* atque solvendis *dubiis* maximè intendant, aliquid de triplici hoc Curiae Romanae constitutivo elemento distinctis paragraphis dicemus.

128. Personae Curiam Romanam constituentes, et quibus in Ecclesiae gubernatione et negotiorum expeditione majoris vel minoris momenti officia potestate apostolica committuntur, ad triplex genus revocari possunt: 1.° *Cardinales*, qui soli consistorium, et principaliter congregationes efficiunt. 2.° *Praelati Curiae Romanae*, qui vel in congregationibus romanis operam suam navant, vel singuli certa munia obeunt. Duplex autem distinguitur praelatura, *justitiae* et *gratiae:* prae-

latura *justitiae* cum actuali servitio et officio conjuncta est, et obtineri nequit, nisi servatis quibusdam conditionibus; hujusmodi praelaturam consequi valènt non solum *singuli* quamplures, uti Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi Romae residentes, aliique, sed etiam integra *collegia*, potissimùm vero *Auditores Rotae* et *Protonotarii apostolici:* praelatura *gratiae* ea dicitur, quae a Summo Pontifice conceditur, tum iis qui se Curiae romanae addicunt, tum etiam exteris bene meritis Episcopis aut aliis clericis, quos passim insignitos conspicimus titulo vel *Episcopi solio pontificio assistentis*, vel *Praelati domestici* sive *Camerarii secreti*, vel *Capellani Suae Sanctitatis.* 3.° *Curiales* communi denominatione vocantur ii omnes qui in minoribus officiis in Curia operam praestant vel stabiliter, vel ad instantiam partium, cujusmodi sunt *advocati*, *procuratores*, *expeditores*, *sollicitatores* et *agentes*.

129. Tribunalia Curiae romanae sunt: *Collegia facultatibus apostolicis munita ad causas ecclesiasticas dirimendas, gratias pontificias expediendas et multiplicia negotia moderanda atque solvenda.* Post ulteriores modificationes a Benedicto XIV inductas, tribunalia in duas sectiones distribui solent; altera illa collegia complectitur, quae Curiam *justitiae* constituunt; altera vero ea, quae Curiam *gratiae* efficiunt.

Curia *justitiae* tribus tribunalibus constat, nempè, *Sacra Rota* et *utraque Signatura,* tum *justitiae*, tum *gratiae:* Curia *gratiae* ex quinque tribunalibus coalescit, videlicèt, *Cancellaria apostolica*, *Camera*, *Sacra Poenitentiaria*, *Dataria*, et *Secretaria apostolica*.

Sacra Rota est supremum tribunal seu auditorium institutum ad dirimendas in forma judiciali causas contentiosas: ejusmodi nomen originem ducit ex eo quod *Auditores Rotae*, in orbem sedentes, controversias rotant atque examinant.

Signatura justitiae est quoddam supremum tribunal

erectum ad decidendas quaestiones et controversias, quae oriuntur circa res ecclesiasticas atque etiam profanas, saltem in patrimonio Ecclesiae temporali: ita dictum est, quia referendarii supplicationes sibi porrectas Summo Pontifici *signandas* tradebant, quando iisdem annuendum esse censebant.

Signatura gratiae est tribunal ipsius Romani Pontificis in iis causis, quarum decisio ex gratia Pontificis postulatur.

Cancellaria est tribunal omnium antiquissimum, in quo Bullae scribuntur; juxta veterem suam institutionem, suscipere debebat supplices libellos Romano Pontifice offerendos, illos expedire; hodie vero, tam *Cancellaria,* quam *Secretaria apostolica* non sunt propriè tribunalia, sed potius officia, quibus commissa est expeditio Litterarum Apostolicarum. Munus Cancellariae praecipuè versatur in expediendis tum negotiis consistorialibus, veluti episcopatuum erectione et provisione, tum quibusdam provisionibus et dispensationibus a Dataria concessis, quae tamen formam Bullarum requirunt. Ratio denominationis ab eo repetenda est, quod olim huic collegio praeficiebatur quidam officialis, qui *Cancellarius* dicebatur a cancellis, quibus claudebatur, quando supplicationes recipiebat vel reddebat, ne nimia populi frecuentia obrueretur.

Camera apostolica est tribunal fisco seu thesauro Ecclesiae Romanae administrando et litibus fiscalibus dirimendis praepositum: illi praeerat olim archidiaconus, hodie vero Cardinalis *Camerarius* aut *Camerlingus* appellatus.

Sacra Poenitentiaria instituta est pro expediendis gratiis pontificiis, quae interdum conscientiae forum attingunt, cujusmodi sunt absolutiones a peccatis vel censuris reservatis, commutationes vel relaxationes votorum ac juramentorum, dispensationes irregularitatum et impedimentorum, quae ex occultis criminibus

nascuntur, revalidationes titulorum beneficiorum, condonationes fructuum malè perceptorum, concessiones transitus ab una religione ad aliam, etc. *Poenitentiaria* est simul *tribunal fori interni*, in quo Summus Pontifex plenissimam ligandi atque absolvendi potestatem per poenitentiarios exercet, et *tribunal fori externi.*

Dataria est tribunal, in quo gratiae *pro foro externo* valiturae conceduntur et expediuntur, uti collationes beneficiorum, dispensationes super impedimentis publicis matrimonii, aliaque plura negotia extrajudicialia, quae extra consistorium a Romano Pontifice persolvuntur. Nomen accepit a vocabulo infimae latinitatis *data*, quia officialis huic muneri praefectus manu sua datam seu diem datae gratiae adnotabat.

Secretaria apostolica multiplex est: 1.° *Secretaria Memoralium*, cujus officium in supplicibus libellis excipiendis, eisque Romano Pontifici offerendis atque simul responsionibus extendendis et expediendis situm est; 2.° *Secretaria Brevium* instituta ad conficiendas litteras pontificias, quae expediuntur *in forma Brevis*; 3.° *Secretaria Status* seu Ministerium Status pontificii pro moderandis externis inter Ecclesiam atque diversas christiani orbis gentes relationibus, et solvendis quaestionibus inter sacerdotium et imperium; censetur tamquam organum quo Romanus Pontifex cum principibus saecularibus communicat; 4.° praeter memorata officia *Secretariae apostolicae* commissa, sunt duo alii ministri a secretis pro epistolis pontificiis conscribendis, nempè, Secretarius litterarum quae ad principes mittuntur, et Secretarius litterarum latinarum, quae ad privatos diriguntur.

130. Saeculo XVI, urgente gravitate et multitudine negotiorum quae ad Sedem Apostolicam afferebantur, cum his persolvendis consistorium minimè sufficeret, Pontifices Maximi, ne onere tantae administrationis opprimerentur, successivè statuere coeperunt distinctas

et stabiles Cardinalium congregationes, in quibus illi tamquam judices ordinarii tot causarum genera maturius perpenderent, ac propositis dubiis responderent; unde *Congregationes Romanae* aptè definiri possunt: *Coetus a Summis Pontificibus novissima aetate in urbe instituti, atque ex aliquot Cardinalibus aliisque praestantissimis viris coalescentes pro certis ecclesiasticis negotiis sua auctoritate curandis, discutiendis ac definiendis.*

Congregationes Romanae, de quibus in jure ecclesiastico disserendum est, in duas species distingui solent: 1.° ratione *negotiorum* in *ordinarias* et *extraordinarias* dividuntur; *ordinariae* dicuntur, quae stabiliter erectae sunt, ideoque de certis negotiis ad ordinariam et quotidianam Ecclesiae administrationem in perpetuum cognoscunt et judicant; *extraordinariae* vocantur, quae indicuntur pro aliquo negotio extraordinario, quo absoluto, per se cessant: 2.° ratione *jurisdictionis* in *generales* et *particulares* tribui solent, prout ad regimen Ecclesiae universalis vel tantum pro dioecesi romana institutae sint.

Congregationes multiplices fuerunt, et saltem XVII hodiedum perseverant memoratu dignae, scilicèt: *Sancti Officii, Concilii, Indicis, Consistorialis, Sacrorum Rituum, Episcoporum et Regularium, Examinis Episcoporum, Fabricae Sancti Petri, Propagandae fidei, Immunitatis Ecclesiasticae, Visitationis Apostolicae, Residentiae Episcoporum, Disciplinae Regularis, Indulgentiarum et SS. Reliquiarum, super Negotiis extraordinariis Ecclesiae, Studiorum,* ac postrema *de Statu Regularium.*

1.ª Congregatio *Sancti Officii* seu *universalis et supremae Romanae Inquisitionis* a Paulo III (1542) instituta fuit contra haereticam pravitatem, ut fides servaretur illaesa sive damnatione errorum, ut plerumque fit, sive poenitentiis impositis, nimirùm poenis moderatis, convenientibus tamen cuique delicto et societati.

2.ª Cong. *Concilii* a Pio IV (1564) pro observantia

et executione concilii Tridentini erecta; postea Sixtus V Constitutione *Immensa* illi contulit auctoritatem interpretandi, prius tamen consulto S. Pontifice, decreta de reformatione et disciplina, reservata sibi interpretatione decretorum dogmaticorum.

3.ª Cong. *Indicis* a S. Pio V (1566) creata ad prosequendum catalogum librorum prohibitorum jussu Pauli IV confectum, et Pio VI approbatum atque promulgatum, etiamque ad Sancto Officio subveniendum. Sixtus V hanc Congregationem confirmavit et auxit potestate libros examinandi, prohibendi et corrigendi.

4.ª Cong. *Consistorialis* a Sixto V (1588) Constitutione *Immensa* creata pro discutiendis illis causis consistorialibus controversiae subjectis, ut ita discussae et praeparatae in consistorium deferri possint, decreti et definitionis gratia.

5.ª Cong. *Sacrorum Rituum* ab eodem Sixto V (1588) erecta, ut, pro munere *ordinario*, sacrae liturgiae praesit moderando rectum cultus divini exercitium; atque, pro *extraordinario* officio, discutiat ac definiat controversias de beatificatione et canonizatione Sanctorum.

6.ª Cong. *Episcoporum* et *Regularium* ab ipso Sixto V (1588) velut una ex duabus constituta, ut negotiis, controversiis et dubitationibus, tum inter Episcopos et clericos, tum inter Regulares, tum inter utrumque ordinem saecularem et regularen contingentibus provideret, et extrajudicialiter finiret.

7.ª Cong. *Examinis Episcoporum* eo fine a Clemente VIII (1592) instituta, ut promovendi ad episcopatum in Italia, ab illa examinarentur, atque ita doctrina electi episcopi approbaretur.

8.ª Cong. *Fabricae Sancti Petri* a Clemente VIII (1592) definitive in congregationem cardinalitiam erecta et novis munita facultatibus. Juxta hodiernam praxim officium ordinarium hujus Congregationis versatur in cognoscendis et expediendis *via gratiosa* negotiis ad

legata pia et praesertim onera missarum spectantibus.

9.ª Cong. de *Propaganda Fide* a Gregorio XV (1622), post detecta Americae littora, instituta ad promovendam diffussionem fidei catholicae per universum orbem; hac de causa praeest omnibus missionibus in partes infidelium, et intuitu missionum praedita est amplissimis facultatibus, siquidem in se una officia plurium aliarum congregationum complectitur.

10.ª Cong. *Jurisdictionis* et *Immunitatis Ecclesiasticae* ab Urbano VIII (1624) erecta ad dirimendas controversias ortas cum magistratibus civilibus in materia jurisdictionis, atque tuendam ab iniquiis invasionibus immunitatem personalem, localem et realem.

11.ª Cong. *Visitationis Apostolicae* ab ipso Urbano VIII (1624) statuta, cujus officium est peragendi visitationem Dioecesis Romanae; ejus proinde facultates minimè universam ecclesiam afficiunt, sed tantum ad dioecesim romanam spectant.

12.ª Cong. *Residentiae Episcoporum* ab eodem Urbano VIII (1624) creata ad omnes causas cum episcopali residentia connexas discutiendas, dubia hac super re solvenda, et dispensationes necessarias elargiendas.

13.ª Cong. *Disciplinae Regularis* ab Innocentio XII (1698) erecta, vel potius in novam formam redacta, quippe jamdiu Innocentius X (1644) hanccongregationem sub titulo *Reformationis Regularium* instituerat; ad ipsam spectat invigilare custodiendae regulari disciplinae et institutionem novitiorum promovere.

14.ª Cong. *Indulgentiarum et SS. Reliquiarum* a Clemente IX (1669) instituta, ut indulgentias dispensandas vel reliquias venerandas ritè expendat aut recognoscat, omnes reprimendo abusus circa indulgentias et cultum reliquiarum, et dubia super his proposita solvendo.

15.ª Cong. *Super Negotiis extraordinariis Ecclesiae* a Pio VII (1814) erecta pro gravioribus Status negotiis,

Concordatis, aliisque id genus capitibus tractandis persolvendisque.

16.ª Cong. *Studiorum* a Leone XII (1824) Constitutione *Quod divina Sapientia* erecta, gratiâ dirigendi in ditionibus pontificiis ecclesistica studia, atque protegendi per orbem Universitates catholicas.

17.ª Cong. de *Statu Regularium* a Pio IX (1847) instituta pro discutiendis ac definiendis quamplurimis quaestionibus circa ingressum, examen et vota novitiorum, aliaque capita ad religiosas familias spectantia.

131. Ad vim et auctoritatem decretorum Sacrarum Congregationum definiendam inprimis inquirendum est, utrum ejusmodi decreta sint *decisiones* ad privatam quaestionem, sive litem dirimendam editae, an vero sint *declarationes* ad legem dubiam generatim interpretandam latae. Age jam,Decisiones non habere videntur vim generalem judices inferiores cogendi ad idem judicandum in similibus causis, tum quia Cardinales non interpretum, sed judicum personam agunt, et judices inter solos litigantes jus faciunt, tum quia in privatis quaestionibus, cum de casibus particularibus agatur, peculiaria facti adjuncta, uti animadvertit Cardinalis De Luca (1), ita diversimodè habentur, ut sententia similibus casibus applicari nequeat.

Quoad Declarationes non una eademque sententia est inter canonistas: ad hanc quaestionem verè complexam claritate et ordine solvendam, ante omnia in memoriam revocare oportet diversas interpretationis species.

Interpretatio, juxta aliàs dicta, potest esse: 1.° *authentica, doctrinalis, usualis et judicialis;* 2.° *declarativa, extensiva et restrictiva;* 3.° *approbata* vel *non approbata;* 4.° *promulgata* aut *non promulgata.*

---

(1) *Annotationes* ad SS. Conc. Trid., Dioc. I, num. 11.

His praejactis sequentes regulas tamquam certa et generalia principia statuimus:

1.ª Declarationes *extensivae* vel *restrictivae promulgatae* vi generali pollent atque authenticae et obligatoriae putandae sunt; siquidem ampliare vel restringere legem ad ipsum legislatorem pertinet, et cum promulgatae supponantur, auctoritatem legalem obtinent.

2.ª Declarationes merè *comprehensivae*, seu *declarativae, consulto Papa* vel *consentiente Romano Pontifice* editae, licèt non publicentur, etiam authenticae et legitimae sunt, atque vigorem legis generalis sortiuntur, eo quod ad legislatorem spectat legem interpretari. Notandum vero est quod decreta Congregationis Concilii semper feruntur consentiente Romano Pontifice, etenim Sixtus V, cum Const. *Immensa* huic Congregationi facultatem contulerit interpretandi Concilium Tridentinum in re disciplinari, ejusmodi clausulam apposuit: *Nobis tamen consultis.*

3.ª Declarationes *comprehensivae*, *non consulto Papa* latae nec auctoritate generali gaudent, nec robur legis assequuntur, quia sunt *merè doctrinales;* tamen magno in pretio habendae ob singularem Cardinalium S. R. E. prudentiam atque doctrinam.

132. Diximus in regula 2.ª Declarationes *comprehensivas et authenticas*, hoc est, *consulto Romano Pontifice* editas, vi generali et obligatoria esse praeditas, licèt non promulgentur; et quidem pro nostra assertione corroboranda quamplurimae rationes suppetunt: 1.ª ipsa mens et voluntas Summorum Pontificum, qui praedictis declarationibus vim cogendi generalem tribuunt absque hujusmodi promulgatione; 2.ª magna difficultas, ferè imposibilitas promulgationem in omnibus casibus faciendi; nam aliae declarationes, uti S. Congregationis Episcoporum et Regularium, nunquam evulgantur, aliae vero non nisi post longum tempus publicantur, nempè, cum in aliquam collectionem inseruntur; 3.ª praxis le-

gislationis civilis et sententiae jurisperitorum qui auctoritatem juridicam harum declarationum agnoscunt atque tuentur; 4.ª ratio denique naturalis rem nostram mirificè confirmat; etenim, cum Sacrae Congregationes ob materialem imposibilitatem nequeant vulgare omnes interpretationes seu *responsa* ad propè innumera dubia et consultationes, quae ex toto orbe catholico circa verum et genuinum legum sensum fiunt, magnum sequeretur incommodum, immo vero gravissimum absurdum, scilicèt, quod in his dubitationis vel obscuritatis casibus adeo frecuentisimis ipsae leges minimè obstringerent.

133. Quartus et postremus Juris Novissimi generalis et scripti fons in Regulis Cancellariae reperitur, de quibus perpauca loquemur.

Ad tollendos abusus, qui ab officialibus Cancellariae patrari possent, Romani Pontifices eis quasdam praescriptiones seu regulas servandas tradidere. Ab initio paucae erant, sed paulatim excreverunt numero, donec Joannes XXII illas scripsit atque congessit, ac demum Nicolaus V anno 1450 ad septuaginta duas stabiliter redegit. Versantur praesertim circa beneficiorum collationem, reservationem et tasationem, renuntiationum et appellationum admissionem, juraque seu emolumenta pro negotiis expediendis perceptura.

Hoc habent peculiare et proprium Regulae Cancellariae, nimirùm, ut sint temporales et perpetuae; *temporales,* morte enim cujuscumque Pontificis omnino cessant et vim suam amittunt, ideoque *Sede Apostolica vacante,* quoad beneficiorum reservationes, rursùm vigent jura ordinaria Episcoporum, nisi in Concordatis aliud sancitum sit; *perpetuae,* quandoquidem omnes Romani Pontifices electi, simul ac coronantur, memoratas Regulas denuò confirmant, eisdemque vigorem suum reddunt.

ARTICULUS VIII

SUMMARIUM.

134. Hucusque de fontibus propriis Juris *Scripti* disseruimus; loquendum nunc venit de fonte Juris *non Scripti:* de *fonte* data opera dicimus, non vero de fontibus in numero plurali, quia, licèt nonnulli canonistae, quorum sententiam reveremur, contendant jus non scriptum ex traditione et consuetudine confici, nos tantum agnoscimus veluti fontem hujusmodi Juris, Consuetudinem; attendentes ad originem, non ad promulgationem, pro determinanda et finienda legis scriptae vel non scriptae notione.

135. Vox ***consuetudo*** originem ducit a ***consueto*** participio verbi consuesco, quod significat "operari simul atque scienter cum aliis multis„, sive "concursum voluntarium et collectivum multorum ad aliquid„.

Spectata autem reali seu logica hujus vocabuli significatione, duplex distinguitur consuetudo, videlicèt, *facti* et *juris*. Consuetudo *facti* est: *frecuens usus seu actus frecuentati et soliti fieri ab aliqua Communitate, ejusve majori parte.* Consuetudo *juris*, de qua hic agitur, definitur: *Jus inductum diuturnis populi moribus cum aliquo legislatoris consensu:* dicitur in definitione *Jus*, quia consuetudo, si debitis gaudeat conditionibus, pro lege seu jure accipitur; *populi*, quia consuetudo a populo seu communitate provenit; *moribus*, quia ex fre-

cuentia actuum uniformium oritur; ***diuturnis***, quia nonnisi post tempus diuturnum repetitio actuum in consuetudinem transit; et postremò ***cum aliquo legislatoris consensu***, quia si non accedat, sub una vel altera forma, personali aut legali, expressa aut tacita vel praesumpta, legislatoris consensus, non habetur vera consuetudo, hoc est, repetitio actuum nunquam in consuetudinem juris deveniret.

In hac quoque definitione quatuor inveniuntur conditiones, quae communi juristarum et theologorum calculo ad introducendam consuetudinem vim legis habentem requiruntur, nempè: 1.ª ut sit rationabilis, id est, utilis et honesta, sicut quaelibet lex, quod denotatur per verbum *jus;* 2.ª ut duraverit tempore requisito, quod voce ***diuturnis*** significatur; 3.ª ut intercesserit debita actuum frecuentia, et hoc exprimitur vocabulo ***moribus;*** 4.ª ut adsit consensus Legislatoris, uti declarant ***cum aliquo***, etc.

136. Haec quatuor verba ***habitus, usus, mos*** et ***consuetudo*** vulgari loquendi sermone confundi solent, et tamen valdè inter se discriminantur, si genuinam vocum notionem inquiramus. Ejusmodi vocabula conveniunt in hoc communi conceptu, videlicèt, quod tam ***habitus*** et ***usus***, quam *mos* et ***consuetudo*** ex repetitione vel frecuentia actuum oriantur; sed differunt in eo quod ***habitus*** est: "facultas expedita agendi repetitione actuum ab agente singulari adquisita„: ***usus*** est: "praxis seu modus agendi repetitione actuum inductus a pluribus vel paucis agentibus absque determinatione numeri„: *mos* est: "repetitio actuum totius vel majoris partis societatis, communitatis aut populi, sed absque conditionibus necessariis ad constituendum jus, vel ex defectu scientiae voluntariae, vel ex defectu objecti proprii, vel ex defectu tempóris„: ***consuetudo*** propriè dicta est: "frecuentia actuum totius vel majoris partis communitatis cum omnibus requisitis, quae desiderantur ad effórmandam ve-

ram consuetudinem legalem, seu quae dicitur consuetudo *juris*.

137. Dividitur Consuetudo: 1.° ratione *relationis ad leges scriptas* in Consuetudinem *secundum jus, praeter jus* et *contra jus; secundum jus* est illa, quae legem antea conditam diuturno uso firmat et interpretatur, et proindè nihil aliud est quam practica legi obtemperatio, unde tritum axioma: *Optima est legum interpres consuetudo; praeter jus* dicitur, quae juri non adversatur sed jus novum antea non existens constituit vel inducit, et ideò pro lege suscipitur, ubi deficit lex; demum *contra jus* vocatur, quae jus legi praeexistenti contrarium introducit, vel eam non recipiendo, vel contrariis actibus totaliter eam abrogando, aut partialiter ei derogando.

2.° Ratione *extensionis* in *universalem*, quae viget in tota Ecclesia; *generalem*, quae in aliqua natione vel provincia ecclesiastica: et *particularem*, quae in aliqua dioecesi, ecclesia aut communitate.

3.° Ratione *actuum* in *positivam* et *negativam*, prout inducit positionem vel omissionem actuum.

4.° Ratione *efectus* in *conservativam, abrogativam, prohibitivam* et *reprobativam*, quae explicatione non egent, cum ipsae denominationes sensum ostendant.

138. Opportunum etiam ducimus consuetudinem a *lege scripta, praescriptione* et *traditione* secernere. Consuetudo a *lege scripta* differt: 1.° quia haec immediatè a legislatore oritur, illa directè a populo, indirectè ab auctore legis; 2.° lex scripta promulgatur, consuetudo non indiget promulgatione, etenim, cum a populo procedat, eam cognoscit; 3.° lex scripta non probatur, consuetudo debet probari.

A *praescriptione* differt: 1.° quia haec respicit individuum vel personas privatas, consuetudo vero societatem vel communitatem; 2.° in praescriptione error non nocet, sed favet, in consuetudine nocet, quia opponitur cognitioni et voluntati ad efficiendam consuetudinem

juris necessariis; 3.° in praescriptione aliquid amittitur, in consuetudine autem non ita contingit, quoniam, si aliqua lex abrogatur, consuetudo novam legem facit; 4.° consuetudo parit legem, praescriptio dominium; 5.° consuetudo requirit consensum Principis saltem tacitum, praescriptio non indiget consensu ejus, contra quem praescribitur; 6.° in praescriptione requiritur bona fides et titulus, non in consuetudine, sed tacitus populi ac Principis consensus huic pro titulo est.

Differt denique a *traditione* in eo, quòd consuetudo ab usu populi ortum habeat, traditio autem ab institutione alicujus potestatem habentis, ab eoque per modum regulae data sit et promulgata tunc praesentibus, et deinceps veluti per manus posterorum ac sucessorum tradita usque nunc perseveret.

139. Ad valorem legalem consuetudinis seu ad constituendam consuetudinem juris, variae requiruntur conditiones, tum ex parte *societatis* eam inducere intendentis, tum ex parte *facti*, quod est objectum consuetudinis, tum demum ex parte *legislatoris* ipsam approbantis vel consentientis, quas quidem conditiones recensebimus atque obiter exponemus.

140. Ex parte *societatis* consuetudinem statuentis quinque requiruntur conditiones: 1.ª ut sit perfecta; societates enim esse possunt vel *merè amicabiles* seu *inchoatae*, vel *juridicae*, sed imperfectae, vel *juridicae* atque *perfectae:* in primis vinculum exstat morale, mero afectu amicitiae aut benevolentiae fulcitum, sed non sunt jura neque officia mutua propriè dicta; in secundis existit vinculum juridicum, aliqua obligatione ex jure praevalente aut pacto proveniente innixum, et sunt jura atque officia mutua inter socios, sed non adest potestas suprema cogens ad eorum observantiam; in societatibus perfectis omnia simul reperiuntur, nimirùm, vinculum juridicum, jura et officia mutua, et potestas principalis cunctos associatos obligans ad eorumdem executionem.

ram consuet...

t...

Nunc vero, cum consuetudo legis vices obtineat, eidemque suppleat, illam inducere tantummodo poterit ea societas, quae jure condendi leges polleat, cujusmodi est societas perfecta, imperio vero et sibi proprio in subditos praedita.

2.ª *Necesse est ut tota* vel major pars communitatis operetur; etenim si non agat universa societas, vel saltem major pars populi, censeri nequit populum consentire.

3.ª Opus etiam est, ut actus positi debitis gaudeant conditionibus, scilicet, debent esse repetiti [a]), non interrupti [b]), publici [c]), et liberi [d]); lex siquidem est regula publica et stabilis, ex proposito intimata; alioquin si non ponerentur acti uniformes, continui, publici ac liberi, consensus societatis minimè praesumi posset.

4.ª Requiritur insuper intentio statuendi obligationem, si consuetudo sit *praeter* vel *secundum jus;* actus enim agentium, quos legislator approbat, et in jus convertit, non operantur ultra intentionem eorum.

5.ª Exigitur denique communis persuasio de cessatione legis, quae sensim obtinere potest, etiamsi auctores consuetudinis formaliter peccaverint, cum consuetudo sit *contra jus;* quia, si non adsit ejusmodi persuasio, nunquam lex, juxta populi existimationem, cessaret aut in desuetudinem deveniret.

141. Quoad *factum* seu *objectum* consuetudinis, hoc est, quod ad consuetudinem *facti* spectat, duo postulantur requisita, videlicèt: ut sit *rationabilis* et *legitimè praescripta.*

Primùm quidem *rationabilis* esse debet, quia consuetudo pro lege suscipitur, et sicut materia legis honesta et utilis esse debet, ita etiam consuetudo rectae rationi et Ecclesiae spiritui repugnare nequit; lex enim, ut ait Divus Thomas, est *ordinatio rationis ad bonum commune ab eo, qui curam habet communitatis, promulgata.* Solùm inquirendum superest, quandonam ra-

tionabilis dicenda sit consuetudo: juxta alios rationabilis vocatur illa consuetudo, quae objectum legis esse potest; alii vero asserunt rationabilem appellari posse consuetudinem, quae juri divino-positivo seu legi Dei esset conformis. Hoc speculativè absque ulla difficultate admittitur; sed res ardua et valdè complexa est practicè investigare atque definire consonantiam consuetudinis juri divino-positivo: hinc, in concreto, quoad casus *hic* et *nunc* obvenientes, explorandum est an consuetudo praescripta sit necne; si praescripserit, consuetudo habenda est veluti rationabilis; si autem non fuerit praescripta, tum praesumptio favet legi.

Verùm irrationabilis existimatur consuetudo triplici in casu: 1.° quando opponitur juri naturali, divino-positivo et humano-fundamentali, uti publico ecclesiastico; 2.° quando adversatur bono communi; 3.° quando *specialiter* a jure canonico reprobatur.

Debet etiam esse *legitimè praescripta,* hoc est, perdurare debet tempore requisito, ut vim legis obtineat. Quoad consuetudinem *secundum* vel *praeter jus* omnes consentiunt in *decennio,* quia jus romanum habet decem annos ut tempus longaevum, et canonibus ecclesiasticis longaevitatem non determinantibus, standum est juri romano ex usu probato. Ubi vero de consuetudine *contra jus* agatur, *saltem decennium* requiritur; certo quadraginta anni sufficiunt, quos jus romanum exposcit ad praescribendum cum praejudicio tertii. Exinde eruitur ante quadraginta annos hujusmodi consuetudinem in dubium revocari posse, atque possesionem legi favere, nisi societas eam ut abrogatam habeat.

142. Ratione *legislatoris,* ad valorem legalem consuetudinis requiritur aliquis consensus; nam sicut lex ejus voluntate statuitur, ita consuetudo vim legis nullatenus sortietur sine ipsius consensu aliquo modo praestito. Dupliciter potest legislator consensum praebe-

re, vel *personaliter* seu via *conniventiae*, vel *legaliter* seu via *praescriptionis*.

Consentit *personaliter*, quando consuetudinem ipse cognoscit, eamque approbat *expressè* vel *tacitè*; *expressè*, cum ipse legislator explicitis verbis declarat consuetudinem servari posse; *tacitè*, si non contradicat, cum facilè reclamare posset, juxta regulam juris: *qui tacet, consentire videtur*.

Consentit *legaliter*, quando per legem generalem consuetudines *rationabiles* et *legitimè praescriptas* agnoscit, suaque auctoritate et suprema sanctione approbat. Ejusmodi *legalis* consensus denominari etiam solet *generalis* et *praesumptus*.

143. Consuetudo juris vi propria et juridica efficatia potitur, habita ratione legum, quibus vel conformari, vel adversari, vel superaddi potest juxta toties repetitam ejusdem divisionem. Quatuor autem recensentur consuetudinis effectus, videlicèt: legis interpretatio, supplementum, abrogatio atque derogatio. 1.° Legem *interpretatur*, exploratum namque apud omnes est dari quamdam legis interpretationem, quae *usualis* dicitur; hinc vulgatissimum axioma: *consuetudo optima legum interpres*. 2.° Legem deindè *supplest*, consuetudo enim *praeter jus* debitis munita requisitis, tamquam vera lex habetur, ac proindè pro lege suscipi valet, ubi deficit lex. 3.° Legem *abrogat*, quia, cum consuetudo juris sit lex propriè dicta, et omnis lex posterior anteriorem abrogare possit, idem etiam efectus consuetudini adscribendus est. 4.° Legi demum *derogat*, quippe si totam legem tollere valeat, multo magis ex parte abolere poterit, quod certè minus est totali abrogatione.

Quaeritur autem an possit consuetudo derogare culpae, conservando poenam: hujus quaestionis solutio in promptu est; si poena propter culpam inflicta sit, ut in censuris evenit, consuetudo vi omnino caret ad ejusmodi partialem effectum producendum; potest ta-

men poenae derogare, quin culpa tollatur vel imminuatur.

144. Consuedo abrogatur per legem anteriorem, per posteriorem et per consuetudinem etiam posteriorem.

1.° *Per legem anteriorem:* haec loquutio videtur contradictionem implicare in terminis, quia nulla lex abrogare potest praxim nondum inductam, aut vim tollere vel praeripere facto, quod in ordine rerum existentiam haud habet; obstare tamen poterit quominùs consuetudo efformetur atque in jus deveniat; et ita accidit, cum objectum consuetudinis, nempè, actus, ex quorum frecuentia mores exsurgunt, specialiter reprobantur, nam in hoc casu nullus unquam usus vigorem legalem seu vim juridicam assequetur; in caeteris vero casibus, pro quibus specialis reprobatio in jure non continetur, certum est consuetudinem semper praevalere, unica exceptione quoad leges tridentinas facta, etenim Pius IV statuit decreta hujus sacrosanctae Synodi valitura esse contra consuetudines, quae in posterum inducerentur; sed etiam ejusmodi exceptio valori consuetudinis contraria successu temporis aliquando abolita vel temperata est, siquidem in plurimis regionibus absque concursu praevio conferuntur beneficia curata, et ipse Pius VII (1803) firma declaravit matrimonia clandestina in locis Germaniae, ubi decretum Tridentinum, receptum et observatum, postea in desuetudinem transierat.

2.° *Per legem posteriorem*: nam quemadmodum consuetudo consensu legislatoris vim obtinet, ita etiam per consensum contrarium revocari potest; lex igitur generalis consuetudinem universalem abrogat, alioquin careret effectu certè intento; particularem vero numquam abrogat, nisi id exprimatur, quia supponitur legislatorem eam ignorare: sic apertè decernit Bonifacius VIII: *speciales consuetudines et statuta rationabi-*

lia locorum per novas Constitutiones non tolli, nisi id apertis verbis exprimatur (1).

Formula vel clausula generalis *Non obstante quacumque consuetudine in contrarium* abrogat consuetudinem particularem non privilegiatam, id est, nondum quadragenariam; consuetudo autem particularis privilegiata, praesertim *immemorialis*, aboletur tantum per specialem mentionem: *Non obstante quacumque consuetudine, etiam immemoriali;* et ratio est, quia possesio valdè diuturna, nempè saltem quadragenaria, habetur in jure veluti titulus, quo melior allegari nequit.

3.° *Per consuetudinem posteriorem:* consuetudo enim posterior, si veram *juris* denominationem meretur, eo quod sit *rationabilis* et legitimè *praescripta*, valore legali indubitanter pollet, ac proindè consuetudinem anteriorem abolere potest. Sed de tempore ad abrogandum requisitum hoc videtur statuendum: si consuetudo anterior esset *praeter* vel *secundum jus*, posterior eam non abrogabit nisi post decennium; si vero anterior fuerit *contra jus*, posterior ante decennium eam abolere poterit, quia supponenda est voluntas legislatoris eamdem abrogandi, maximè quando posterior generalis efficitur.

---

(1) Cap. I *de Constit.* in Sexto.

ARTICULUS IX

SUMMARIUM.

145.—Juris Canonici Fontes *subsidiarii* vel *suppletivi.*—146. Varia Juris Naturalis praecepta.—147. Errores in usu Juris naturae.—148. Auctoritas hujus Juris in Jurisprudentia canonica.—149. Sancti Ecclesiae Patres —150. Utrum eorum sententiae vim habeant in Iure Canonico.—151. Regulae practicae ad finiendam SS. Patrum auctoritatem in rebus fidei ac disciplinae — 152. Jus Civile, ejusque utilitas in ecclesiasticis causis.—153. Quaenam a canonistis in Jure Romano distinguenda sint.—154. Regulae servandae in usu Juris Civilis.

145. Fontibus propriis Juris Canonici sat enucleatis, reliquum nobis est aliquid summatim dicere de fontibus *impropriis,* quae *subsidiarii* vel *suppletivi* passim nuncupantur, eo quod Juri tam antiquo, quam novo et novissimo subsidio vel supplemento esse possint, cum leges positivae deficiant. Tres sunt ejusmodi secundarii fontes, scilicèt: *Jus Naturale, Sanctorum Patrum Sententiae* et *Jus Civile*. Sed, cum facilè esset hisce fontibus praeposterè aut minus rectè uti, operae pretium ducimus apertè definire quanam vi et auctoritate in jurisprudentia canonica haec loca subsidiaria gaudeant.

146. Praecepta Juris naturae triplicis generis sunt, videlicèt: *Primaria, Secundaria* et *Terciaria*. Praecepta *primaria* dicuntur, quae ita evidentia immediata patent ut ab omnibus mera enuntiatione percipiantur, veluti *Bonum est faciendum, malum est fugiendum; Deus est colendus; Quod tibi non vis fieri, alteri ne facias. Secundaria* appellantur, quae facili et perspicua argumentatione ex primis principiis eruuntur, et quasi naturaliter fluunt, ideoque nobis innotescunt evidentia mediata, uti Decalogi praecepta. Denique Praecepta *terciaria* nominantur, quae a primis principiis sunt valdè remota, et quorum cognitio ardua prorsus est et dificillima; hinc, cum non sint ex veritatibus axiomaticis immediatè vel mediatè

elicita, sed tantum conclusiones post longam argumentationem remotè deductae, subtili ratiocinatione opus est ad eorum evidentiam percipiendam, ideoque rudibus et ignorantibus, immo etiam saepenumero ipsis doctis et sapientibus non semper liquido patent. Cujus rei vades damus tum veteres, tum recentiores philosophos, qui, etsi ingenio ac studio plurimùm pollerent, tamen rejecta divina revelatione et sola ratione duce, ita in gravissimos errores lapsi sunt, ut fundamenta morum, ipsiusque societatis humanae penitus labefactarint.

147. Duplex error vitandus est in usu Juris naturalis: primus eorum est, qui argumenta ex Jure naturae desumpta in ecclesiastica jurisprudentia omnino rejiciunt, ac si jus naturale et jus canonicum sibi invicem adversarentur. In alterum et quidem perniciossisimum delapsi sunt Protestantes, qui omnia in jurisprudentia canonica primùm et potissimùm explicare conantur jure naturali, eo sanè consilio, ut sacrum Ecclesiae regimen et hierarchiam divinitus institutam funditus everterent.

148. Ad ejusmodi errores vitandos, nefariosque novatorum conatus planè disjiciendos, viam mediam ineuntes sequentes statuimus regulas:

1.ª *Cum agitur de natura juridica, constitutione fundamentali ac divina Ecclesiae potestate, nulla auctoritate gaudet jus naturale, sed omnia explicanda, judicanda atque solvenda secundum jus divinum positivum.* Et ratio hujus regulae evidens est; etenim, cum ea, quae ad Ecclesiae regimen ac constitutionem pertinent, a divina pendeant voluntate, et Christus Dominus haec omnia jam praeceperit, instituerit, atque ordinaverit, non ex juris naturalis principiis, sed ex Sacris Litteris et Traditione definienda sunt.

2.ª *Salva origine et divina natura cujuslibet Ordinis, Gradus vel Institutionis, potest rectè ex ratione et*

jure naturali colligi vis atque extensio potestatis eisdem convenientis, quando non omnia jura seu attributiones in jure divino positivo vel ecclesiastico continentur. Ita posita institutione et fine Primatus servandi unitatem, rectè infertur ex Christi institutione et jure divino Pontifici tributam fuisse eam omnem potestatem, quae ad unitatem efficaciter conservandam necessaria erat.

3.ª *In iis omnibus, quae ad mores et justitiam naturalem spectant, si leges positivae deficiant, jus naturale erit lex, cui judicia et negotia attemperari debent.* Ratio obvia est; jus enim naturale normam tutam, perpetuam atque immutabilem nobis exhibet, quoties agitur de informandis moribus et officiis adimplendis.

4.ª *In jure canonico sedulò distinguendae sunt leges naturales a merè positivis; naturales namque sunt omnino immutabiles; positivae vero derogationi, immutationi et dispensationi obnoxiae esse possunt.* Ratio est, quia, cum Ecclesia nihil possit in divinis et naturalibus legibus derogare, mutare vel dispensare, interest quam maximè nosse, an leges in jure canonico relatae ex ipso jure naturae descendant, an vero ex sola auctoritate ecclesiastica.

149. Vocantur Patres Ecclesiae, juxta Vincentium Lirinensem in suo Commonitorio, insignes illi Scriptores Ecclesiastici, qui *in fide et communione catholica sanctè, sapienter, et constanter viventes, docentes, et permanentes vel mori in Christo fideliter, vel occidi pro Christo feliciter meruerunt.*

150. Absolutè loquendo Sanctorum Patrum sententiae nullam vim obtinent in jure canonico; nam ipsi reapse sunt Sacrarum Scripturarum interpretes, Traditionis testes atque custodes, Fidei praedicatores, Morum praeceptores, non vero legislatores; quippe ad ferendas leges, aut latis legibus derogandum doctrina et sanctitas non sufficiunt, sed, cum de jure condendo vel abrogando agatur, necessaria omnino est potestas, qua Sancti Patres destituebantur.

151. Tamen, eo quod ex eorum scriptis, tamquam ex quodam puriori fonte, doctrinam, disciplinamque Ecclesiae haurire possumus, ejusmodi praeclaris Magistris nonnulla auctoritas in rebus canonicis tribuenda est, quam triplici regula stabiliemus:

1.ª *In rebus fidei et morum auctoritas unius, alteriusve Patris magna est; plurium Patrum major est; et omnium Patrum maxima atque irrefragabilis est.* Sic apertè docet Concilium Lateranense sub Innocentio III, cujus verba jubat proferre: *Quae omnes consentientes Ecclesiae Patres respuunt, ea catholica et apostolica Ecclesia respuere dicit; et quae credunt, credit* (1). Professioni Lateranensi consona est doctrina Tridentinae Synodi, quae in Decreto de editione et Sacrorum Librorum usu sub poena anathematis sancivit: *ne quis Scripturam Sacram contra unanimem Sanctorum Patrum sensum interpretari audeat* (2).

2.ª *In iis omnibus, quae ad disciplinam spectant, legibus ab Ecclesia constitutis standum est, non scriptis Sanctorum Patrum.* Ratio ex dictis patet; Sancti enim Patres, quamvis plurimi habendi sunt, veluti legislatores censeri nequeunt.

3.ª *In rebus, quae ad disciplinam pertinent, si Pontifices Summi vel Concilia nihil statuerint, Sanctorum Patrum Sententiae pro lege habendae sunt.* Haec regula a S. Leone IV tradita fuit, qui in Epistola ad Episcopos Britanniae, cum Summorum Pontificum decreta, Conciliorumque canones enumerasset, *per quos,* ut ait, *judicant Episcopi, et per quos Episcopi simul et Clerici judicantur,* ita subdit: *Si tale emerserit, vel contigerit inusitatum negotium, quod minimè possit per istos finiri, tunc si illorum quorum meministis dicta, Hieronymi, Augustini, Isidori, vel caeterorum similiter Sanctorum Doc-*

(1) Can. 13.
(2) Sess. IV.

torum reperta fuerint, magnanimiter sunt retinenda ac promulganda.

Ex praejactis hanc conclusionem practicam colligimus: Sanctorum Patrum sententiae in rebus disciplinae jure haberi merentur uti Juris Canonici fons suppletivus, quatenus ubicumque sacri canones silent, scripta Sanctorum Patrum subsidio veniunt, et locum auctoritatemque legis ecclesiasticae obtinent.

152. Denique Jus civile Romanorum apud omnes existimatur tamquam tertius et postremus Juris Ecclesiastici fons subsidiarius; et hoc quidem validis rationum momentis: 1.° quia multa ex romanis legibus, et praecipuè ex Codicibus Theodosiano et Justinianeo deprompta fuerunt, atque in Jus Canonicum translata; 2.° quia in negotiis et causis ecclesiasticis, de quibus in ipso Jure Canonico nihil proditum aut statutum est, perscrutari Juris civilis regulas easque sequi debemus; 3.° quia ejusmodi cogitandi agendique ratio praxi Summorum Pontificum mirificè confirmatur; Sanctus enim Gregorius Magnus non solum civilibus Romanorum legibus saepiùs usus est, verùm etiam easdem civiles leges Episcopis aliisque judicibus ecclesiasticis crebrò proposuit, ut in exercendis judiciis prae oculis haberent; satis esset pro hac assertione corroboranda legere ejusdem Pontificis Epistolam ad Joannem Defensorem in Hispaniam venientem conscriptam, in qua omnes instructiones et regulae huic judici delegato traditae et in ecclesiasticis controversiis servandae a Gregorio Magno ex civili Romanorum Jure sumptae fuerunt.

Hujusmodi praxim sequuti sunt tractu saeculorum alii Romani Pontifices, qui in cognoscendis, judicandis dirimendisque causis ecclesiasticis, de quibus nihil a Jure Canonico sancitum erat, ad Jus civile confugere non dubitarunt. Ita Lucius III, cujus aliàs meminimus, occasione controversiae inter duas Ecclesias exortae

ob capellae baptismalis aedificationem, ad Episcopum Patavinum rescripsit rem esse definiendam juxta leges civiles, illam toties laudatam sententiam tradens: "Sicut humanae leges non dedignantur sacros canones imitari, ita et sacrorum statuta canonum Principum constitutionibus adjuvantur."

153. Antequam regulas pro debito usu Juris Romani in jurisprudentia canonica statuamus, animadvertere oportet leges civiles Romanorum sub hoc aspectu spectatas, quatenus nempè ad usum judiciorum et Juris Ecclesiastici interpretationem applicari queant, triplicis generis esse possent: ab Ecclesia *probatas, correctas* seu *reprobatas*, ac denique silentio *praetermissas*.

1.° Et re quidem vera, quamplurimae sunt leges civiles ab Ecclesia approbatae et in Corpus Juris Canonici relatae, uti quae ad cognationem legalem, impedimentum cognationis spiritualis, experimentum triennale in causa impotentiae spectant; quae de judiciis ecclesiasticis disserunt, siquidem major libri secundi Decretalium pars ex jure civili descriptus esse videtur; quae statum hominum distinguunt in liberos et servos, legitimos et illegitimos, puberes et impuberes, minores et majores; aliaeque multae Romanorum leges ecclesiastica approbatione et canonica sanctione pollentes.

2.° Exstant deindè aliae leges in Jure Romano, quas Ecclesia correxit reprobavitque, veluti quae concubinatum, divortium, infidelitatem in sponsalibus, consobrinorum nuptias, usuras propriè dictas, praescriptiones cum mala fide, occisionem adulteri a marito vel patre factam probaverunt. Praeter has leges omnino reprobatas, Ecclesia etiam mitigavit emendavitque alias multas aliquid minùs pium et religiosum statuentes: itaque infamiam viduae intra annum-luctus iterùm nubentis sustulit; filiisfamilias et servis, etiam invitis parentibus et dominis matrimonium permisit; declaravit alimenta deberi a patribus illegitimis quoque filiis; jusju-

randum adjectum contractibus, quos sola humana lex irritat, servari jussit, aliaque id genus temperavit prudentissimis canonibus.

3.° Sunt denique in Jure Romano plures leges, quas Ecclesia nec approbavit, nec improbavit, neque recepit, neque rejecit, sed eas silentio praeterivit. Hujusmodi leges *praetermissae* seu *omissae* nuncupatae, juxta Benedictum XIV (1), "si rem spectent merè profanam, nec ulla ex parte sacris canonibus adversentur, tacitè approbatae videntur in cap. 1 *de novi oper. nunciat.*"

154. Praeposita hac distinctione, tres regulas trademus ad rectum Juris Romani usum in canonica jurisprudentia:

1.ª *Si quaestio sit de legibus ex Jure civili ab Ecclesia susceptis et approbatis, causa supplendi vel interpretandi, ad Jus Romanum recurrere fas est.*

2.ª *Si controversia versetur circa leges correctas vel reprobatas, Jure Romano uti non licet.*

3.ª *Si denique applicandae sint leges silentio praetermissae, aut agitur de re merè profana, et tunc Jus civile consulendum erit; aut de re ecclesiastica, et tunc ad Sanctorum Patrum scripta confugiendum erit; si vero Sancti Patres nihil statuant aut obscurè loquantur, ad Jus Naturale recurrendum est.*

---

(1) *De Synod. Dioec.*, Lib. IX, cap. 14.

ARTICULUS X

SUMMARIUM.

155. Juris *Particularis* **Fontes.**—156. Constitutiones Pontificiae et Concilia Particularia.—157 Notiones generales circa Conventiones —158. Quaestio *historica* de Concordatis.—159. Quaestio *critica* vel *philosophica* —160. Quaestio *juridica*.—161. Quid sint Concordata. —162. Eorumdem natura.—163. An censeri valeant veluti *Pacta synallagmatica*.—164. Regalistarum objectiones solvantur.

155. Quatuor passim recensentur Juris *Particularis* fontes, videlicèt: Constitutiones Pontificiae pro unaquaque natione expeditae; Concilia Particularia ubivis gentium celebrata; Concordata inter Sedem Apostolicam et Principes saeculares inita; et Leges Civiles collatis consiliis in singulis regnis editae.

156. Collectiones Constitutionum Summorum Pontificum *Bullaria* vulgo nuncupantur, quae triplicis generis esse possunt: *generalia*, *particularia* et *privativa*; *generalia*, cum Decreta omnium vel plurium Romanorum Pontificum serie chronologica aut ordine doctrinali digesta complectuntur; *particularia*, quando Bullas unius alteriusve Pontificis tantùm continent, uti Bullaria Benedicti XIV, Clementis XIII, Pii VI, aliorumque Pontificum; *privativa* vero, si Constitutiones speciales pro quolibet regno, regione vel Ecclesia conditas solummodo habeant. Haec postrema equidem sunt quae veluti Fontes Juris particularis spectari possunt, et de quibus relativè ad Ecclesiam Hispanicam sequenti articulo nobis agendum erit.

Conciliorum collectiones etiam distribui valent in *generales, particulares* et *privativas,* prout Canones Conciliorum generalium, quae in universa Ecclesia habita sunt, congerant, vel Canones Conciliorum particularium, quae diversis in locis congregata fuere, in unum colligant, vel denique Canones Synodorum peculiarium

quae in singulari natione, provincia aut dioecesi coactae fuerunt, tantùm contineant. In hisce igitur privativis compilationibus facilè est invenire Concilia, quorum decreta et statuta putantur tamquam Juris particularis in unaquaque regione vigentis fons authenticus atque uberrimus (1).

157. Antequam gravissimam de *Concordatis* disputationem aggrediamur, ad meliorem rei intelligentiam aliquas notiones generales circa conventiones praemittere debemus.

Apud omnes notum compertumque est non modo societates pares, verum etiam dispares, pacisci inter se posse. Licet autem ejusmodi acta in utroque casu generali *conventionis* nomine appellentur, tamen, spectata natura juridica societatum paciscentium et vi seu extensione obligationum quibus devinciuntur, diversa nomina accipiunt. Pacta enim inter duas nationes aequè independentes seu societates compares inita dicuntur *foedera publica;* quae vero inter societatem civilem et aliquod collegium eidem subjectum, hoc est, inter Principem ejusque subditos celebrantur, *concessionis* vel *privilegii* nomine designantur.

Iterùm foedera publica in duplicem speciem distinguuntur: quae enim mutuam stipulantur pascicentium obligationem, *pacta synallagmatica* rectè vocantur a *synallagmate,* quod est contractus ultro citroque obligationem pariens; quae vero unius tantùm partis obli-

---

(1) Praeter Collectiones generales, de quibus in cap. III, art. IX, disserturi sumus, memoratu atque studio dignae sunt Collectiones particulares; qui vero simplici obtutu censum Conciliorum particularium cognoscere velit, consulat inter veteres Joannem Cabassutium.—*Notitia Ecclesiastica Conciliorum*, edit. 8 a, Venetiis, 1773; Laurentium Selvagium.—*Institutionum Canonicarum Libri Tres*, Matriti, 1778: inter recentiores, Joannem Devoti.—*Institutionum Canonicarum* Libri IV, edit. Matritens., 1885 in appendice 2.°; Joannem Petrum Morales.—*Tratado Isagógico ó Prolegómenos de la Ciencia Canónica*, apéndice numero 2.o

gationem inducunt, communi et generali nomine *conventiones* nuncupantur.

Privilegia quoque in triplicem speciem dividuntur, scilicèt: in *gratuita, onerosa* atque *remuneratoria: gratuita,* quae ex mera Principis liberalitate dimanant; *onerosa,* quae conceduntur in commutationem seu compensationem operis praestandi vel juris cedendi a subdito privilegiato; *remuneratoria* demùm, quae per modum remunerationis alicujus meriti erogantur.

158. In Concordatis generatim spectatis tres quaestiones distinguere oportet, nimirum, *historicam, criticam* seu *philosophicam,* et *juridicam.*

Quaestio *historica* in definienda epocha, qua ejusmodi pactiones iniri coeperunt et earumdem serie recensenda versatur. Circa tempus, a quo incipiunt Concordata triplicem apud historicos et canonistas reperimus sententiam: alii enim asserunt saeculo XII celebrari coepisse et primum esse celeberrimam Concordiam anno 1122 inter Callixtum II et Henricum V Wormatiae factam, ad dirimendam quaestionem de investituris sub Henrico IV ejus patre habitam, praesertim cum Sancto Gregorio VII; alii vero, existimantes in pacto inter Callixtum II et Henricum V nihil alicujus momenti Ecclesiam de suis juribus concessise Imperio, sed tantùm sua jura vindicasse, autumant pristinum Concordatum censendum esse, quod inter Episcopos Portugalliae et Dionysium regem habitum est anno 1288 sub Nicolao IV; plerique autem considerantes hanc pactionem potius quam Concordatum fuisse sententiam Pontificis, qui auditis Episcopis et Procuratoribus Regis missis cum plenitudine potestatis, statuit quid regi concedendum esset, et quid negandum ex iis, quae privilegiis vel consuetudine asserebat sibi competere, contendunt primam conventionem, quae nomen Concordati propriè dicti meretur, esse pactum anno 1448 inter Nicolaum V et Fridericum III, Imperatorem Germaniae.

Quoad numerum et seriem chronologicam Concordatorum, supervacaneum nobis videtur terere tempus in catalogo texendo harum conventionum. Satis sit innuere a Saeculo XVI quamplurima Concordata habita esse cum omnibus ferè christianis nationibus, etiam acatholicis, ita ut, incipiendo a Wormatiensi anno 1122 et desinendo ad publicatum pro Republica Aequatoris anno 1882, 50 recensentur, et quamvis ex hoc numero expungerentur Wormatiense et primum Portugalliae, adhuc remanent 48 concordata (1).

519 Quaestio *critica* duo capita complectitur, nempè: investigare causas remotas et generales quae in ordine historico ortum dedere hujusmodi pactionibus, novo equidem factori in controversiis ecclesiasticis et juridico fonti magni momenti ab antiquis prorsùs ignoto; simulque definire causas immediatas et speciales, quae in ordine practico hasce conventiones generarunt.

Origo ac celebratio ejusmodi pactorum, tamquam efectus necessarius, unicae causae universali, efficaci et generatrici tribui debet, scilicèt, imminutioni atque depressioni potestatis Pontificiae in Europa Christiana labentibus saeculis mediae aetatis, et vicissim praepotentiae ac superioritati auctoritatis regiae eodem fermè tempore: sed rursùs inquirendum superest, quare adeo decrevit auctoritas sacra Summorum Pontificum, simulque tantùm invaluit potestas saecularis Regum?

Ad rectam hujusmodi generalis et perniciossisimi effectus explicationem quatuor facta notissima in memoriam revocare satis est: 1.° magnum *schisma Occidenti* quod ab anno 1378 ad 1417 perduravit et auctoritatem Pontificum summoperè labefactavit; 2.° extinctio *feudalismi*, cujus vi aucta et roborata fuit suprematia

(1) Qui notitiam Concordatorum atque eorum censum perlegere cupiat, adeat *Institutiones Juris Publici* a Cavagnis traditas, et opus praeclarum D. Nuzi, in quo duplici ordine, chronologico ac doctrinali, controversia de Concordatis lucidè exponitur.

Regum; 3.° *Protestantium* haeresis, qui, ut animum et benevolentiam Principum sibi captarent, eis blanditi sunt in altum extollentes jura, ut ajunt, majestatica vel regalia; 4.° systema *regalismi* valdè affine febronianismo et jansenismo et Apostolicae Sedi maximè injuriosum, quo exitiali systemate Principes et saeculares Magistratus superbia elati supremam Ecclesiae auctoritatem et sacrum Romanorum Pontificum imperium detrectarunt, sibi arrogantes potestatem in rebus ecclesiasticis, quasi essent jura et praerogativae majestati vel principatui inhaerentes.

Si vero agatur de exquirendis causis immediatis, peculiaribus atque determinantibus, quae practicè singulis Concordatis originem dederunt, omnes etiam ad quatuor genera revocari possunt: exactiones seu indebitas Principum petitiones; differentias seu dissidia inter utramque potestatem; perturbationes politicas seu revolutiones statuum; et violentias regum seu summorum imperantium persecutiones.

Haec quatuor causae adeo frecuentiores, uti luctuosa experientia testatur, per se sufficerent ad vindicandam diversam agendi rationem Romanorum Pontificum, quando conventiones cum potestatibus saecularibus paciscuntur.

Et sanè, ambitioni vel intrusioni Principum respondent concessiones a Summis Pontificibus in Concordatis factae; dissidiis ac contentionibus inter ecclesiasticam et civilem potestatem respondent transacciones in Concordatis consignatae; relaxationi disciplinae, morum corruptioni et in negotiis ecclesiasticis confusioni ex publicis perturbationibus ortis respondent sapientes ordinationes ad restabiliendam disciplinam, corrigendos mores et negotia ecclesiastica moderanda in Concordatis latae; denique violentiis Principum et Guberniorum, quae Nuntios Apostolicos dimittere, relationes cum Aula Pontificia disrumpere et Episcopos apprehen-

dere, judicare et exulare verita non sunt, respondent prudentissimae conciliationes, actus magnanimitatis, temperamenta verè miranda benignitatis et indulgentiae, quae in omnibus Concordatis emicant ex parte Summorum Pontificum.

160. Quaestio *juridica* in re de qua agimus, est quidem omnium praestantissima, siquidem tota sita est in discutienda atque solvenda magna et gravissima controversia, quae apud jurisperitos et canonistas tum catholicos tum labe janseniana vel regalista infectos agitatur circa indolem genuinam, vim propriam, mutuam observantiam et veram Concordatorum durationem.

Sed, cum ex recta hujus controversiae solutione pendeat doctrina communis et certa hisce super conventionibus a Juris Ecclesiastici tyronibus tenenda, et pro conclusione practica stabilienda necesse sit principia juris naturalis, positivi atque internationalis proferre atque explanare, exponendi ergo perspicuitate et ordine quaestionem *juridicam*, modò a nobis inquirendum est: quid sub Concordatis veniat; quaenam sit eorum natura; quo valore gaudeant; quosnam efectus producant; an revocari possint; cuinam denique competat interpretatio ac rescissio ejusmodi pactionum.

Haec maximi momenti disputatio ad nostram provinciam attinet, ideoque praedicta capita, praeclaris ac sapientibus canonistis ducibus, breviter et dilucidè enucleabimus.

161. Occasione opusculi a vicecomite Mauritio de Bonald judice Ruthenorum (Rodez) in Gallia anno 1871 editi sub titulo *Deux questions sur le Concordat du 1801,* atque a canonico Labis professore Tornacensi impugnati, celeberrima penes canonistas controversia orta est super indole propria et peculiari charactere Concordatorum; ex tunc enim tam scriptores, quam professores Juris in duplicem sententiam abierunt.

Alii cum canonico Philippo de Angelis contendunt Concordata esse *pacta synallagmatica,* alii vero cum Emmo. Camillo Tarquini defendunt inter *privilegia* accensenda esse.

Qui primam sententiam tenent, cum De Angelis (1) Concordata definiunt: *Pactiones inter Ecclesiam et Statum, quibus Ecclesia de exercitio suorum jurium aliquid remittit favore Status, eique nonnulla concedit, ut ab eo protecta Deo suo secura possit servire libertate.*

Qui autem alteram tuentur sententiam, quibus libenter assentimur, cum Tarquini (2) Concordata ita definiunt: *Lex particularis ecclesiastica pro aliquo regno, Summi Pontificis auctoritate edita ad instantiam Principis ejus loci, speciali ejusdem Principis obligatione confirmata se eam perpetuò servaturum.* Sensus et utriusque definitionis explicatio ex dicendis patebit.

162. Ut status quaestionis melius internoscatur, animadvetere oportet, in Concordatis duo esse distinguenda, videlicet, *naturam* seu essentiam, et *formam extrinsecam.* Quoad *formam* extrinsecam, certum est et absque ulla dubitatione apud omnes receptum illa speciem *conventionum* habere: id enim apertè liquet ex actibus, quibus inter utramque potestatem Concordata praeparantur, contrahuntur et promulgantur; nam in his exhibetur solemnis contractus promissionis utrinque factae et acceptatae.

Quoad *naturam,* uti supra indicavimus, non una eademque est canonistarum sententia. De Angelis, Card. Soglia, Brabandere, Turinaz aliique benè multi affirmant Concordata veluti vera pacta synallagmatica seu contractus bilaterales strictam obligationem justitiae in utroque contrahente inducentes esse censenda, ex eo quòd revera sunt solemnes pactiones inter su-

---

(1) *Praelectiones Juris Canonici,* vol. I.
(2) *Juris Ecclesiastici Publici Institutiones,* lib. I, cap. 2, art. 1.

premos societatum perfectarum moderatores, in forma conventionis publicatae, cum subscriptione Summi Pontificis et Principis, aut delegatorum ab eis, et expressa assertione mutuae obligationis.

Sed e contra laudatus Card. Tarquini, Palmieri, Emmus. Satolli hodiedum S. Congregationis Studiorum Praefectus, Dominus Antonius Ortiz Urruela, pius Sacerdos, Concilii Vaticani Theologus, atque eminens scriptor, qui praeclarum et eruditissimum opus hac de re elucubravit (1), aliique quamplurimi memoratam opinionem rejiciunt, quia, juxta istorum sententiam, in Concordatis agitur de rebus ecclesiasticis, in quibus Principes subditi sunt Ecclesiae, quae proindè erga inferiorem strictè ligari non potest; aliundè vero pactum bilaterale mutuam paciscentium obligationem producit, quod equidem in Concordatis fieri nequit, tum quia Principes nihil juris Ecclesiae conferunt, tum etiam, quia, propriè loquendo, nullam obligationem contrahunt; quae enim pro libertate et defensione Ecclesiae spondent, sunt certè officia ipsis imposita a Deo, Rege regum et Domino dominantium.

Non desunt aliqui, qui, viam mediam sequentes, asserunt Concordata tamquam pacta synallagmatica esse habenda, non quidem stricto sensu, qualia fiunt inter pares, sed quodam latiori sensu, hoc est, praescindendo a quaestione an contrahentes sint jure pares vel non, et tantummodo considerando reciprocam obligationem ex mutuo consensu ortam.

Nos igitur vestigiis Tarquini, Palmieri, Satolli, Urruela aliorumque clarissimorum virorum inhaerentes affirmamus atque propugnamus *Concordata cum nationibus catholicis inita, generaliter loquendo, esse privilegia*

---

(1) *Observaciones sobre la Revisión y Reforma del Concordato.* Sevilla. Imprenta del Oriente. Cartas dirigidas á D. Cristóbal Martín Herrera con ocasión de un proyecto de ley presentado á las Cortes Constituyentes en 28 de Junio de 1869.

merè gratuita; quia nec *materia,* circa quam versantur, nec *personae contrahentes* aliud patiuntur: non materia, quoniam res, de quibus agunt, vel sunt spirituales, vel temporales spiritualibus adnexae; non personae, quippe Romanus Pontifex superior est potestatibus saecularibus.

Diximus *cum nationibus catholicis inita,* quia ipse Tarquini fatetur Ecclesiam, si aliquando ob populorum salutem opportunum duceret Concordata pacisci cum infidelibus atque haereticis, qui Ecclesiae catholicae praerogativas et auctoritatem non agnoscunt, ita se gerere oportere, ut pacti speciem in iisdem retineat, eaque perindè ac caeteras pactiones servet: quod si observari absque salutis aeternae detrimento nequeant, rem mutuo consensu componendam curet; sin vero id nullo modo obtineri posset, tunc à fide data merito recedat, nam eo in casu vera etiam pacta vim suam amittunt.

Subjungimus *generaliter loquendo,* etenim fieri potest ut Concordata interdum sine doctrinae orthodoxae jactura sint strictè pacta synallagmatica, quod equidem duplici in casu praesertim eveniet: 1.° cum Ecclesia de rebus quibusdam temporalibus, quibus spiritualis ratio adnexa sit, ita cum societate civili stipuletur, ut primum rationem spiritualem ab iis separet, deindè circa eas contractum ineat; 2.° quando status vel princeps rem aliquam temporalem in Ecclesiam transferat, quod quidem per contractum propriè dictum perfici potest; nam ratio spiritualis, nonnisi consummato contractu, supervenit, hoc est, cum jam per ipsius Ecclesiae acceptationem res Dei fit, et in finem spiritualem dicatur.

163. Sed quamvis opiniones in scholis catholicis sustentari possint, et juxta D. Augustini effatum *in dubiis libertas,* unicuique sit liberum suam prae aliis sententiam tueri, tamen impugnare cogimur placitum regalistarum asserentium Concordata esse pacta syna-

llagmatica sensu juridicè stricto, quasi nempè inter societates *omnino aequales et independentes* celebrarentur, absoluta utriusque societatis civilis et religiosae aequalitate proclamata, et omni etiam indirecta subordinatione Status ad Ecclesiam sublata. Pro ejusmodi regalistarum commento rejiciendo, praetermissis rationibus, quas ex spiritualitate materiae atque ex superioritate Pontificis desumptas nuper attulimus, hac sola argumentatione utimur: erronea aulicorum et caesaristarum doctrina semel admissa, imminueretur aut saltem jacturam vel detrimentum pateretur divina Primatus Pontificii institutio, quae quidem coarctaretur et mutilaretur hisce contractibus strictè et juridicè bilateralibus.

Et sanè, in hac damnabili hypothesi haec gravissima sequerentur incommoda: 1.° Summi Pontifices jura Primatui vinculata alienare possent, ita ut ea amplius exercere nequirent absque consensu Principum, cum quibus Concordatum iniverint; 2.° quilibet Pontifex suos successores propriis actibus ligare, eorumque potestatem restringere valeret; hinc cum a S. Petro usque ad Leonem XIII 163 Pontifices Sedem Apostolicam occupaverint, attributa Primatus adeo imminui potuissent, ut ad nihilum ferè redigerentur; 3.° singuli Pontifices Primatus potestatem acciperent *non immediatè a Christo in persona Petri,* uti fides catholica docet, sed a suo Decessore; reapse enim dicitur aliquid recipi ab illo, penes quem et arbitrium et facultas est concedere, necne; sed cum juxta hanc erroneam doctrinam, Pontifices Summi Principibus relinquere vel cedere possent jura in Concordatis concessa, sequeretur Succesorem in Cathedra Pontificia non a Petro, sed a Praedecessore susciperet majorem vel minorem summam, complexum et extensionem jurium, quo nihil absurdius; 4.° cum praescribi *per se* possint omnia, quae alienantur, lapsu temporis jura etiam Primatus praescriberentur contra

Romanos Pontifices et quidem pro Principibus laicis, quae omnia quam erronea esse atque sanae doctrinae et Christi voluntati absona nemo est qui non videat.

164. Nihil proficiunt regalistae capciosa argumenta adducendo pro sua de natura juridica Concordatorum sententia, omnes siquidem objectiones ab ipsis adinventae ita futiles et nullius ponderis sunt, ut ferè confutatione non indigeant. En quomodo arguant.

Objectio 1.ª Concordata sunt vera pacta et non privilegia, quia in his de gravissimis quaestionibus inter Romanos Pontifices et Principes agitur, ad quas componendas vel solvendas praecedunt negotiationes, concessiones fiunt, transactiones intercedunt, aliaeque solemnitates habentur, quae in conventionibus propriè dictis observari solent. Resp. In hac controversia tria discriminanda sunt: *gratia apostolica, concordia* et *concordatum;* gratia apostolica est privilegium Principi concessum, quod juri communi non derogat; concordia sita est in quadam conciliatione aut mutua inter utramque potestatem intelligentia, cum Ecclesia et Status inter se dissentiantur et pro servanda pace lites vel conflictus ex aequo et bono componantur; concordatum vero ex dictis est gratia vel privilegium juri communi derogans in natione vel regione illius Principis, cum quo initur, quod satis explicat requisita et solemnitates in ejusmodi pactionibus servata ad perficiendam rem adeo trascendentalem, qualis est derogatio juris communis et constitutio legis particularis pro singulari loco vel ecclesia.

Objectio 2.ª In documentis publicis, concordata, si inspiciantur inscriptio, nomen ac verba, pacta vocantur. Resp. Hoc tantum significat concordata, quoad formam extrinsecam, pacta censeri et eadem fidelitate, qua caeterae conventiones, exequi vel observari debere; minimè vero quod sint pacta verè synallagmatica inter duas societates aequales.

Objectio 3.ª Pacta sunt perpetua; concordata perpertuitati subjacent; concordata igitur tamquam pacta existimari debent. Resp. Quod enim quidpiam diu atque etiam perpetuò observetur, id veri pacti exclusivè non est proprium, perpetuitas namque in quocumque beneficio vel gratia inesse potest, juxta notissimam regulam juris: *Beneficium Principis decet esse mansurum.*

Objectio 4.ª Princeps cum Romano Pontifice contrahit uti supremus moderator suae nationis, hoc est, tamquam auctoritas independens et suprema; ergo conventio, quam cum Summo Pontifice init, est veri nominis pactum bilaterale inter duas societates aequales et supremos utriusque imperantes habitum. Resp. Princeps, etiam ut Princeps, Rex vel Imperator, filius est Ecclesiae et Pontificis Maximi, Christi in terris Vicarii verus subditus; ergo pacta propriè synallagmatica cum Supremo totius Ecclesiae Capite stipulare non valet, nisi in casibus supra expositis. Praeterea sequens propositio damnata est in Syllabo: "Reges et principes, non solùm ab Ecclesiae jurisdictione eximuntur, verum etiam in quaestionibus jurisdictionis dirimendis superiores sunt Ecclesia (1)."

ARTICULUS XI

SUMMARIUM.

165. Valor et effectus Concordatorum.—166. An et quando revocari possint.—167. Cuinam competat Concordatorum interpretatio et rescissio.—168. Quaenam principia hac super re servari debeant.—169. Regulae juridico-ecclesiasticae.—170. Leges civiles.—171. Natura et vis *protectionis* Principum saecularium.—172. An titulo etiam *gratiae* et *concordiae* leges ferre queant Summi Magistratus.—173. Quandonam leges civiles putari possint tamquam Juris Ecclesiastici fontes.

165. Confutata regalistarum theoria circa naturam Concordatorum, ad determinandam vim atque efficaciam hujusmodi pactionum deveniamus.

(1) Prop. LIV damnata in Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 junii 1851.

Quod ad *valorem* attinet, Concordata sunt simul *leges ecclesiasticae* et *civiles*, si debitis gaudeant requisitis; *ecclesiasticae*, quia Summi Pontifices per ea disciplinam vel jus ecclesiarum particularium ordinant; *civiles*, quoniam a potestate civili promulgantur et civibus imponuntur, sicut et caeterae leges civiles. Sub utroque respectu juri communi derogant, quatenus illorum dispositiones cum sacris canonibus aut jure civili antea vigenti in tali regione conciliari nequeunt.

Ad *effectus* Concordatorum quod spectat, tres recensentur, nempe: observantia, mutua fidelitas et perpetuitas, non vero *irrevocabilitas* (nota benè).

Quaecumque sit sententia de eorum natura, omnes tamen consentiunt in eo quòd Concordata mutuam et perpetuam pariant obligationem, nimirùm officium servandi ea, quae promissa sunt; nam contrahentes solemniter suam fidem obligant proprio atque sucessorum et subditorum suorum nomine. Societas civilis seu status tenetur obligatione praeexistenti *aucta vi pacti*: Ecclesia vero tenetur certò ratione sapientiae, benignitatis et fidelitatis sui Capitis, atque etiam probabiliùs *vi pacti* seu promissionis ab altera parte acceptatae cum repromissione, subaudita tamen necessaria conditione *nisi aliud postulet bonum animarum vel salus aeterna populorum*, finis supremus et supernaturalis, ad quem omnia subordinari debent.

Ex his consequitur neutram partem posse a Concordato resilire vel ei derogare, invita altera; alterutra vero fidem frangente, posse alteram vel resilire, vel executionem urgere.

166. Quaeritur nunc, an ejusmodi fidelitas atque perpetuitas supponat vel includat in sua notione *irrevocabilitatem* ex parte Ecclesiae, uti contendunt aulici et pseudo-politici ingenti disciplinae atque Ecclesiae libertatis jactura. Ad hanc quaestionem planè respondemus irrevocabilitatem minimè inter effectus Concor-

datorum accensendam; nam licèt daremus (quod nullatenus concedi potest) hujusmodi conventiones esse pacta synallagmatica propriè dicta, etiam in hac hypothesi vim et valorem amitterent, statim ac essentialia requisita deessent, quemadmodum in omnibus contractibus accidit.

Enimvero, exploratum compertumque est pacta inter societates sicuti inter privatos inita revocari posse ac debere, sive cum desit liber consensus, sive cum materia illicita sit.

Deest libertas in consensu, cum hic dolo vel errore versante circa rei substantiam, extortus fuerit, vel metu gravi injustè incusso praestitus, quia aut consensus non est liber, aut saltem ea libertate caret, quae necessaria est ad firmiter contrahendum; ideoque potest, si pars laesa ita velit, revocari. Sic a Paschali II in Concilio Lateranensi II irritum declaratum fuit Concordatum inter ipsum et Henricum V imperatorem factum: similiter a Pio VII revocatum est Concordatum cogente Napoleone celebratum et subscriptum anno 1813.

Materia illicita dicitur, quae adversatur alicui officio propriè dicto, seu verae obligationi, qua contrahentes *actu* tenentur; hinc nota distinctio inter jura *alienabilia* et *inalienabilia:* illa delegari possunt, haec vero nunquam. Romani igitur Pontifices nihil concedere possunt, quod naturae Primatus divinitus instituti et officio a Christo Domino iisdem commisso oves ejus pascendi adversetur; unde jure meritoque Sanctus Pius V negavit se posse Principibus concedere perpetuam et absolutam facultatem admittendi vel rejiciendi Constitutiones Apostolicas, quamvis merè disciplinares essent.

167. Quaeritur etiam, si quando concesiones factae vel promissiones in Concordatis stipulatae revocatione, derogatione aut explanatione egeant, cuinam competat ejusmodi interpretatio et rescissio. Ad hujus

quaestionis solutionem praemonendum est interpretationem et rescissionem conventionum, quae inter duas societates initae sunt, fieri non secùs ac in pactionibus privatorum, vel *mutuo partium consensu*, vel *judicio legitimo*.

Si societates, inter quas conventio facta est, sint omnino inter se independentes, non nisi *mutuo consensu* authentica ejusdem conventionis interpretatio, aut rescissio fieri debet, etenim nulla est superior altera. Si alterutra ab altera dependeat sive *ratione sui*, sive *ratione rei*, de qua agitur, quando mutuus consensus haberi nequit, *judicio societatis superioris standum est:* quo in judicio, si de rescissione agatur, videndum est, utrum de privilegio *oneroso* res sit; enim hoc in casu ita rescissio decernenda erit, ut id quod a societate vel persona subdita collatum fuerat, restituatur, aut ad aequitatis normam compensetur; nisi fortè aliud omnino bonum publicum expostulet.

168. Hac super re servari debent sequentia principia seu regulae ex jure internationali desumptae et ab omnibus indiscriminatim admissae.

1.ª Si quis Princeps concessionem aliquam fecerit societati vel personae *nullatenus subditae*, neque *ratione sui* (quia ad nationem liberam atque independentem pertineat), neque *ratione rei*, de qua agitur (quia res concessa jam sita sit extra territorium), apud omnes nationes certum habetur eumdem non posse ampliùs concessionem a se factam suo arbitrio ac judicio revocare, aut interpretando moderari. Ratio est, quia judicium sua auctoritate ferre est actus jurisdictionis, qua equidem caret in personam non subditam.

2.º Si Princeps societati vel personae *sibi subditae* privilegia concesserit, revocare et interpretari ipsi Principi competit, praesertim cum privilegia sint *gratuita;* interveniente vero causa publica, non solùm potest, sed etiam debet illa revocare, et ita non raró factum est.

3.ª Principibus etiam competit jus interpretandi vel revocandi privilegia *onerosa* subditis concessa, sed, quando de *rescissione* agatur, compensare tenentur, nisi necessitas publica aliud suadeat, vel bonum generale societatis principis aut superioris aliter exigat.

169. Age jam, cum omnes, etiam regalistae, ejusmodi principia agnoscant et propugnent, necesse est, ut sequentes regulas juridico-ecclesiasticas, quae inde dimanant, admittant quoque nisi logicae et rectae rationi valedicere velint.

1.ª Societas civilis vel Princeps, si quid Ecclesiae concesserit, id non potest arbitrio suo vel interpretando moderari, vel, quod gravius est, revocare. Ratio est, quia Ecclesia societatis vel Principis non est subdita; neque Status seu Princeps in iis, quae fini spirituali sunt addicta, ullam habet jurisdictionem.

2.ª Ecclesiae competit de vera Concordatorum interpretatione judicium ferre, concessionesque a se factas, si ratio sui finis ita exigeret, revocare; nisi fortè agatur de rebus temporalibus, a quibus ante consummationem contractus ratio spiritualis iisdem adnexa ab ipsa Ecclesia legitimè sejuncta fuerit. Ratio hujus principii in eo sita est, quòd ad Principes pertineat interpretari, et si justa interveniat causa, revocare privilegia; Ecclesia autem in hac re Princeps est: ratio verò exceptionis appositae ab eo sumitur, quòd in rebus merè temporalibus deficiat fundamentum principatus Ecclesiae in societatem civilem.

3.ª Ecclesia in rescindendis Concordatis, si aliquando hoc contigerit, stricto jure et generaliter loquendo, non tenetur ad compensationem societati civili praestandam; quia compensatio stricto jure tantùm debetur, quando revocantur onerosa privilegia; Concordata autem inter Ecclesiam et Societatem civilem inita, ut plurimùm, quememadmodum jam demonstratum est, privilegia gratuita, non onerosa, censentur.

170. Memorantur tandem inter Juris particularis fontes Leges civiles: extraneum equidem cuicumque videbitur vim ecclesiasticae legis tribuere statutis vel ordinationibus a potestate saeculari editis, sed animadvertere oportet nos de legibus *concordatis* hic loqui, id est, de dispositionibus tuitivo fine, mutuo consensu aut auctoritate delegata a Principibus in materia disciplinari latis.

Et sanè, Principes saeculares vel Supremi societatis civilis Magistratus leges ferre possunt circa res ecclesiasticas triplici titulo, videlicèt, *protectionis*, *gratiae* seu *concessionis* et *concordiae.*

171. 1.° Possunt Reges et Principes leges ferre titulo *protectionis*, hoc est, Ecclesiam tuendi gratia. Hac piissima mente et nobilissimo consilio a Constantino Magno Imperatores Christiani primùm et postea tractu saeculorum catholici Principes plures leges condere atque in publicos Codices inserere festinarunt pro juribus Ecclesiae et sacris ejus immunitatibus sanciendis vindicandisque, cujus quidem rei nobis ineluctabilia testimonia praebent Codices Theodosianus et Justinianeus, Novellae Leonis cognomento *Philosophi,* et Capitularia Caroli Magni. Sed ut hujusmodi protectio Principum ritè intelligatur et quod potissimum est, rectiùs Ecclesiae praestetur, tria in eadem inspicere ac determinare debemus, scilicet, *naturam*, *extensionem* atque *exercitium.*

Quoad *naturam* Janseniani et Regalistae, ad ecclesiasticam disciplinam, et externam politiam potestati saeculari subjiciendam, contendunt Regibus et summis societatis Imperantibus esse jus, non vero officium Ecclesiam tuendi; nos autem asserimus et propugnamus hanc Praesidum et Magistratuum praerogativam potius quam jus officium esse, et quidem sacratissimum et praestantissimum. Si de principibus catholicis agatur ejusmodi obligatio ipsis incumbit: 1.° quia sunt Eccle-

siae filii; 2.° quia defensores constituti sunt jurium naturalium suorum subditorum; 3.° quia pacem et publicam tranquillitatem, finem proprium et immediatum civilis societatis procurare tenentur, et nihil magis ad bonum temporale et felicitatem etiam naturalem confert, quam religionis praxis et legis ecclesiasticae observantia; 4.° quia ita ex universali ac perpetuo sensu traditionali eruitur: prae omnibus testimoniis quae in medium adduci possint, luculenta S. Isidori Hispalensis verba in Gratiani Decreto inserta (1) proferimus: *Cognoscant Principes saeculi Deo debere se rationem reddere propter Ecclesiam, quam a Christo tuendam susceperunt* (2). Si vero agatur de Principibus acatholicis, quamvis non teneantur Ecclesiae praesidium ferre ratione filiationis, quam non habent, obstringuntur tamen: 1.° quia sunt defensores jurium naturalium hominis, inter quae praecipuum habetur Deum colere et veram religionem exercere; 2.° quia felicitati temporali subditorum et pacis conservationi intendere pro munere suo debent.

Quoad *vim* protectionis, tria capita complectitur: 1.° defensionem libertatis Ecclesiae adversus hostes, tam internos, quam externos; 2.° sanctionem et executionem canonum ecclesiasticorum; 3.° punitionem delinquentium jure gladii, hoc est, poenis temporalibus adhibitis: quamquam enim hoc inficiati sunt Regalistae, sed evidenter demonstratur apertissimis laudati nostri Doctoris Hispalensis verbis: *Intra Ecclesiam potestates civiles non essent necessariae, nisi, ut quod non praevalet sacerdos efficere per doctrinae sermonem, potestas hoc impleat per disciplinae terrorem* (3).

Quoad *exercitium*, hoc munere functi sunt *rectè* Constantinus Magnus, Valentinianus, Marcianus aliique imperatores christiani pristini temporis, qui Ecclesiae

(1) Can. *Principes* 20, caus. 23, q. 5.
(2) Lib. III seu de *Summo Bono*, cap. 55.
(3) Loc. cit.

defensioni strenuam et assiduam curam impenderunt; *minus rectè* propter nimium zelum imperatores mediae aetatis, uti Justinianus, Carolus Magnus, Ildephonsus X aliiqui non pauci, qui in rebus ecclesiasticis, plus quam par erat, sese immiscuerunt; *illicitè* vero imperatores et reges recentioris aetatis, velut Joannes II Portugalliae, Ludovicus XIV Galliae, Carolus III Hispaniae, Josephus II Austriae, Leopoldus dux Etruriae et quamplures alii Principes, qui ementito protectionis nomine tyrannicae et injustae oppressioni Christi Ecclesiam nostris diebus subjicere ausi sunt, ejus libertatem laedendo, et omnia penè jura atque supremam potestatem sibi vindicando in iis, quae ad externam politiam et res disciplinares pertinent.

172. 2.° Insuper possunt Principes saeculares titulo *gratiae* seu *concessionis* leges ferre in materia ecclesiastica, quando jure patronatus ab Ecclesia concesso aut recognito vel quolibet alio apostolico privilegio muniti, personam Pontificis gerunt et facultate delegata agunt: ita in Hispania aliisque regnis seu ditionibus Reges vel Praesides vi regii patronatus aut gratiae apostolicae jure gaudent nominandi ad ecclesiastica beneficia aliisque pluribus prerogativis ipsis a Sancta Sede generosè concessis.

3.° Denique interdùm Reges et Supremi societatis civilis Magistratus titulo *concordiae* leges edunt, cum decreta a Guberniis saecularibus de rebus ad Ecclesiae regimen et administrationem spectantibus feruntur collatis consiliis cum Nuntiis Apostolicis, aut praevio consensu, approbatione vel Romanorum Pontificum annuentia, prouti in omnibus catholicis nationibus frecuentissimè contingit.

173. Ut autem totam hanc de legibus civilibus controversiam paucis verbis absolvamus, sequentes adstruimus regulas, quae omnem confusionem et dubium e medio tollunt:

1.ª Leges civiles circa materias ecclesiasticas versantes, quae, approbante Ecclesia vel consentiente Romano Pontifice promulgantur, vim ecclesiasticam obtinent, et tamquam fontes Juris ecclesiastici pro respectivo regno aut regione haberi debent.

2.ª Leges civiles de rebus ecclesiasticis agentes, quae absque approbatione vel Ecclesiae consensu, maximè vero reluctante Sede Apostolica, feruntur, nec vigore legali pro effectibus ecclesiasticis juridicè pollent, neque veluti fontes Juris particularis in natione aut loco determinato valituri censeri possunt, nisi ad summum sensu latissimo, quatenus nempè ad historiam juris externi meliùs internoscendam conferant, relationesque inter Ecclesiam et Statum pro diversis rerum adjunctis et Principum agendi ratione vigentes apertiùs ostendant.

ARTICULUS XII

SUMMARIUM.

174. Fontes Juris Ecclesiastici *Hispanici*.—175. Constitutiones Pontificiae ad nostram Ecclesiam spectantes.—176. Brevis enumeratio.—177. Concilia Hispanica.—178. An celeberrima Concilia Toletana Coetus ecclesiastici vel Comitia extiterint.—179. Praecipua Concordata inter Romanos Pontifices et ditionis Hispanae Reges celebrata.—180. Concordia nuncupata *Fachenetti*; Origo, negotiatio et scopus hujusmodi Conventionis.

174. Quatuor recensentur Fontes Juris Ecclesistici *Hispanici:* 1.° Constitutiones Pontificiae ad nostram Ecclesiam spectantes; 2.° Concilia Hispanica; 3.° praecipua Concordata inter Romanos Pontifices et Hispaniae Reges celebrata; 4.° denique Leges civiles, quae *concordatae* appellantur.

175. Constitutiones in *antesiricianas* et *postsiricianas* dividuntur: *antesiricianae* dicuntur quae a Romanis Pontificibus pro Ecclesia Hispana usque ad pontifica-

tum S. Siricii anno 385 expeditae sunt; *postsiricianae* verò vocantur quae a Sancto Siricio ad haec usque tempora editae fuerunt. Haec iterùm subdividuntur in Decretales ad Jus vetus vel ad Jus novum pertinentes.

176. Septem enumerantur Decretales antesiricianae; sed postrema tantummodo ùt authentica habetur: scripta fuit (353) a Pontifice Liberio ad Hosium Cordubensem gratia consulendi hunc celeberrimum fidei nicaenae assertorem de nominatione Vincentii et Marcelli, quos legatos miserat ad Concilium Arelatense pro doctrinae catholicae defensione. S. Hieronymus mentionem de ea facit et ab omnibus veluti genuina recipitur.

Decretales postsiricianas ad veterem disciplinam concernentes summatim subjungimus sequenti censu:

Prima et potissima, prae omnibus memoratu digna, est Decretalis Sancti Siricii ad Hicmerium Tarraconensem (385). Tam magni momenti existimatur, ut, licèt ad Hispaniam tantùm directa, universaliter admissa est tamquam lex totius Ecclesiae. Constat 16 capitibus circa doctrinam et disciplinam versantibus.

2.ª Epistola Innocentii I (402) ad Episcopos Concilii Toletani I, consulentis Praesulibus Boeticae, ut suam schismaticam agendi rationem deponerent, et abjicerent denominationem *luciferianam* adversus reliquos Concilii Episcopos impactam, eo quòd in communionem Priscilianistas recepissent post publicam errorum abjurationem.

3.ª Sancti Leonis Magni ad Divum Thuribium Asturicensem (447), in qua agitur de necessitate concilium indicendi ad extirpandam haeresim priscilianistarum: continet 17 capita, quibus haereticorum errores plenissimè refutantur. Aliam etiam Hispaniae et Galliarum Episcopis dedit epistolam (454) pro praefigendo die, in qua anno sequenti Pascha foret celebrandum.

4.ª Sancti Hilarii ad Ascanium Tarraconensem

(461) circa validitatem ordinationum a Silvano Episcopo Calagurritano collatarum, et nullitatem electionis a Nundinario Barcinonensi factae in favorem Irenaei Episcopi Egarae (hodie Tarassae in Catalaunia).

5.ª Sancti Simplicii ad Zenonem Episcopum Hispalensem (circa annum 470) ob praeclarissima ipsius merita suum in Hispania Vicarium apostolicum constituentis.

6.ª Sancti Felicis III ad eumdem Zenonem (484), in qua eum maximis laudibus extulit, eo quòd tot inter turbulentissimas illius temporis tempestates et fluctus optima pace administrasset ecclesiam.

7.ª, 8.ª, 9.ª, 10.ª et 11.ª seu quinque Epistolae a Sancto Hormisda ab anno 514, in quo Pontifex electus fuit ad annum usque 523 scriptae: prima ad Joannem Illicensem (Helche) eum vicarii apostolici dignitate decorando; secunda ad Salustium Hispalensem eodem fine; tertia ad Episcopos Hispaniae, ut abusus sacris ordinibus introducti funditus extirparentur; quarta omnibus etiam Hispaniae Episcopis denuntians Constantinopolim fuisse ad fidem conversam; postrema continens formulam fidei professionis ab Episcopis Orientalibus emittendam.

12.ª Vigilii ad Profuturum Bracharensem circa res disciplinares: septem capitibus constat.

Praeter laudatas Decretales habentur in Jure veteri nonnullae aliae Epistolae Pontificiae ad Hispaniam missae et levi saltem enunciatione memorandae, nempè:

Sancti Gregorii Magni tres ad Recaredum, quatuor ad S. Leandrum, una ad ducem Claudium, tres ad Joannem Defensorem.

Sancti Leonis II (683) quatuor: una ad Ervigium regem, altera ad Episcopum Toletanum, tertia ad omnes Ecclesiae praesules, et quarta ad omnes Regni Praefectos.

Benedicti II una ad Petrum Notarium tunc in Hispania commorantem.

Adriani I tres: duae ad Egilam Illiberitanum episcopum, tertia ad Hispaniae episcopos contra Megetii errores.

Benedicti VIII una scripta ad instantiam abbatis Ripullensis.

Joannis XIX alia ad Petrum Gerundensem episcopum.

Nicolai II altera ad Comitem Mironium in Catalaunia.

Demum quatuor Alexandri II et undecim S. Gregorii VII, aliaeque non tam magni momenti.

Praecipuas vero Romanorum Pontificum Constitutiones ad novam disciplinam attinentes ordine chronologico brevissimè subdimus:

Sixti IV Bulla *Creditam nobis* (1474) creando praebendas Magistralem et Doctoralem pro Ecclesiis Castellae et Legionis.

Gregorii XV Constitutio *Supremae dispositionis* (1622) permittens ut eligi posset canonicus Poenitentiarius oppositor qui triginta annis major esset, dummodo *eruditionis et doctrinae aliorumque meritorum praestantia caeteros omnes concurrentes arbitrio eorumdem ordinarii et capituli longè antecellat.*

Alexandri VII Bulla *Romanus Pontifex* (1656) praecipiens quod in casu paritatis votorum sola aetatis concurrentium ratio haberetur, minimè vero qualitas majoris nobilitatis.

Innocentii XIII Bulla omnium celebratissima *Apostolici Ministerii* die 13 Maii anni 1723 expedita, rogantibus Philippo V et Cardinali Belluga post lapsum Julii Alberoni. Constat triginta capitibus, quorum viginti septem de reformatione agunt, et tria postrema de forma seu exequutione ejusdem Bullae.

Clementis XII Bulla *Cum in exercitibus* (1736) ad

Vicariatum generalem Castrensem instituendum edita.

Ejusdem Pontificis Breve *Singulari Fide* simul cum Concordato 1737 evulgatum, in quo jubetur observantia et applicatio Bullae *Supremo justitiae solio* jus asyli ad casus expressè determinatos restringentis.

Clementis XIV Bulla *Jam semper* immunitatem Ecclesiarum quoad praefatum jus asyli novis limitationibus coarctans, declaransque in posterum hoc jure potitum ire in unaquaque civitate unam tantùm vel ad summum duas Ecclesias.

Ipsius Clementis XIV Bulla *Clementis* (1771) pro erectione Tribunalis Rotae.

Leonis XII Bulla *Relatis* (1826) adversus Capitulum Ecclesiae Malacitanae, eo quòd, Sede vacante, unum provisorem cum jurisdictione contentiosa et quatuor gubernatores cum jurisdictione voluntaria eligeret.

Pii IX tres praestantissimae Bullae: prima *Quo gravius* (14 Julii 1873) territoria exempta dioecesibus proximioribus aggregando; altera *Quae diversa* eodem die expedita jurisdictiones exemptas supprimendo; tertia *Ad Apostolicam Beati Petri* (18 Novembris 1875) prioratum Ordinum Militarum creando.

177. Perdifficile est definire numerum Conciliorum, quae in Hispania habita sunt; nam quoad Toletana solùm, non desunt critici qui triginta quatuor recensent, aliisque in civitatibus plura celebrata fuere, quorum memoria nulla extat, eo quòd eorum acta perierint. Certum tamen est atque extra omnem dubitationis aleam positum celebrationem ejusmodi ecclesiasticorum conventuum apud nostrates ad remotissima tempora assurgere; quandoquidem anno 301 vel 302 coactum fuit primum et notissimum Illiberitanum Concilium.

Sed, si ferè imposibile videtur in censum referre omnia Ecclesiae Hispanicae Concilia ob documentorum defectum, injuriae temporum, frecuentibus inva-

sionibus, expoliationibus atque incendiis adscribendum, nihilominus facillimum est horum coetuum praestantiam, existimationem, auctoritatemque colligere: 1.° ex monumentis quae ad nos usque pervenerunt, et conflata reperiuntur in pretiosis Collectionibus Cardinalis Aguirre, Villanuño et Tejada Ramiro, qui in linguam vernaculam vertit collectionem canonico-gothicam Sancto Isidoro Hispalensi tributam, uti opportuno loco ostendemus; 2.° ex salutari et universali influxu quem Hispanica Concilia tum in Ecclesiam, tum in Jus commune exercuere; exploratum enim est canones Concilii Illiberitani a Patribus Nicaenis fermè excerptos esse, cum de caelibatu, cohabitatione et familiaritate cum mulieribus, aliisque capitibus egerunt, atque decreta Toletana, praecipue II et IV Synodi canones ad erigenda Seminaria normam praebuisse; 3.° ex magna celebritate meritaque fama Patrum qui hujusmodi Conciliis adfuere, inter quos recensentur Sanctissimi et egregii Episcopi Leander, Isidorus, Ildephonsus, Braulius, Julianus, Thuribius, Licinianus, aliique quamplurimi insignes viri, pietate non minus quam scientia praeclari, qui a posteris summis laudibus praedicati sunt tamquam gloria Ecclesiae, decus Patriae et ornamentum Episcopatus; 4.° ex ipsa confessione scriptorum omni exceptione majorum, quippe suspecti haberi nequeunt; legantur et iterum relegantur luculenta Gibbonii et Guizot testimonia, qui in suis Historiis *Decadentiae Imperii Romani* et *Civilizationis* maximis praeconiis extollunt sapientiam, activitatem et zelum Episcoporum Hispaniae, exitus felicissimos Conciliorum nostrae Ecclesiae ponderantes, dum e contra crimini vertunt Episcopis Galliarum, quòd, muneribus neglectis, venationi aliisque nugis sese dedebant.

178. Quod ad naturam spectat Conciliorum Hispanorum, magno animorum aestu disputatum est, utrùm haberi debeant tamquam Comitia, an fuerint

vera Concilia, num denique utrumque simul extiterint.

Alii cum Thomassino (1), historiam patriam parum aut nihil cognoscentes et futili argumentatione suffulti, contendunt Hispanica praesertim vero Toletana Concilia fuisse vera *Comitia;* alii cum DD. Joachim Francisco Pacheco (2) et Josephus M. Antequera (3) existimant septem prima Toletana Concilia talia censenda esse, ab VIII vero in coetus politicos devenisse; nonnulli cum Illmo. Gomez Salazar Episcopo Legionensi et Domino Vincentio de la Fuente (4) autumant celebratissimos Conventus Toletanos propriùs putandos esse veluti *Concilia Regia,* hoc est, coetus simul ecclesiasticos et civiles; nos vero cum eruditissimo P. Magistro Henrico Florez (5) asserimus has celebres Episcoporum associationes apud *Urbem regiam* habitas *Concilia verè ecclesiastica* extitisse.

Et sanè omnes res, de quibus in hisce coetibus actum est, fuerunt vel *ecclesiasticae,* vel *civiles,* vel *mixtae;* de *sacris* et *spiritualibus* disseruerunt Patres Toletani tamquam Episcopi optimo, proprio et exclusivo jure, quia ipsorum judicio, decissioni et auctoritati obnoxia erant: *rebus civilibus* ad vitam regum, poenarum inflixionem maximè ob crimen rebellionis, nominationem judicum, ut plurimùm spectantibus veluti Episcopi et Regni Magnates sua scientia, potentia et interventu certò totis viribus incumbere studuerunt; sed hoc peragerunt, ita volentibus et nitentibus ipsis Monarchis, et pro tuenda persona Regum, publica pace asservanda et natione constituenda, atque cum libenti

---

(1) *Vetus et Nova Ecclesiae Disciplina.*

(2) Ejusmodi scriptor in praeambulo *Commentariorum,* quae in Forum Judicum edidit, praejudiciis abreptus et vestigia Marina et Sempere sequens de Conciliis Toletanis judicium erroneum et egregiis tunc temporis Episcopis injuriosum emittit.

(3) *Historia de la Legislación Española.*

(4) *Lecciones de Disciplina Eclesiástica General y Particular de España.*

(5) *España Sagrada,* tom. 6, pag. 37.

et crebro testimonio animi grati tum ex parte Principùm, quos defendebant, tum ex parte populi, cujus prosperitati consulebant; de rebus tandem *mixtis* pertractarunt, uti de juramentis, de poenis et sanctionibus contra judaeos eorumque fautores, etc., sub aspectu religioso, quatenus nempè cum religione connectebantur, ad finem spiritualem ducebant vel potestati ecclesiasticae quoquo modo subjecta erant.

Nihil obstat asistentia Regum atque tam istorum quam Optimatum subscriptio, quoniam haec aliaque similia argumenta quae passim objici solent, tantùm ostendunt mirabilem et optatam concordiam inter sacerdotium et imperium, pleniorem canonum sanctione, et majorem magistratuum saecularium instructionem pro habendis judiciis et republica gerenda, prout ab ipso rege decretum erat in Concilio Toletano III ad ignorantiam Administrorum et Judicum populorum depellendam.

Patet igitur Coetus Toletanos totiès laudatos verè *ecclesiasticos* fuisse et proprii nominis Concilia, eorumque sanctiones in his quae ad religionem spectant *Nomocanones* censeri debere, saltem temporibus, in quibus conditi sunt.

179. Inter fontes Juris Hispanici tertium locum Concordata obtinent: praecipua vero, quae speciali recensione et diligenti studio digna existimantur, sunt Concordia dicta Fachenetti et Concordata annis 1737, 1753 et 1851 inita; memorantur equidem aliae conventiones anteriores et posteriores praefatis, sed nulla nomine concordati usuvenit.

De hujusmodi pactionibus ad nostram Ecclesiam spectantibus singillatim dicturi praemonere debemus, quòd in unaquaque earum quatuor capita secernere oporteat, ut ritè et dilucidè exponantur, scilicèt, *originem, negotiationes, objectum* atque *ratificationem;* per *originem* minimè intelligimus *criticam* investigationem

de causa generali et remota, cui istae conventiones adscribendae sunt, multoque minus disquisitionem *historicam* circa tempus, quo pacisci coeperunt, de quibus proprio loco jam egimus, sed tantùm inquirere intendimus principium immediatum seu causas peculiares et determinantes, quae ocasionem dederunt celebrationi uniuscujusque Concordati; *negotiationes* complectuntur collationes, discussiones, communicationes, bases generales, caeteraque praevia acta ex utraque parte paciscente habenda ut ad mutuam intelligentiam deveniatur; *objectum* vero respicit materiam aut res disciplinares, in quibus componendis, moderandis aut derogandis saepenumero Concordata versantur; demùm *ratificatio* indicat solemnem conclusionem et authenticam pacti confirmationem ab utraque parte per se vel per plenipotentiarios subscriptam.

180. *Origo.* Conventioni *Concordia Fachenetti* nuncupatae, eo quòd a D. Caesare Fachenetti Nuntio in Hispania confecta sit, triplex causa assignari potest: dissidia et contentiones ex reservationibus pontificiis exortae, quae a gubernio et aulicis aegrè ferebantur; reclamationes adversus jura et emolumenta pro expeditione gratiarum et negotiorum compositione Curiae Romanae solvenda; ac denique imperfecta Nuntiaturae Apostolicae organizatio tunc temporis valdè deficiens.

Negotiatio. Ex parte Hispaniae coeptae sunt negotiationes Romae anno 1634 occasione reservationum pontificiarum: memorata epocha Philippus IV supplicem libellum *memoriale* dictum subscripsit, quem ejus legati apud Sanctam Sedem D. Joannes Chumacero et D. Dominicus Pimentel Summo Pontifici Urbano VIII obtulerunt.

Hujusmodi libellus decem capita complectebatur, quorum revocatio aut saltem reformatio ab Aula Pontificia expostulabatur; en elenchus querimoniarum et incusationum, quae in celeberrrimo memoriali

continebantur: 1.° Impositio pensionum beneficiis in favorem exterorum; 2.° quantitas excesiva earumdem; 3.° idem abusus plus detestabilis et necessariò corrigendus quoad beneficia parochialia; 4.° nominatio coadjutorum cum jure futurae successionis; 5.° resignatio beneficiorum curatorum cum reservatione partis fructuum; 6.° nimia stipendia pro expeditione dispensationum aliarumque gratiarum; 7.° reservatio beneficiorum in favorem praesertim exterorum; 8.° magnus rigor et exactio in spoliis Episcoporum, quorum Dioeceses Sedi Apostolicae erant reservatae; 9.° eadem reservatio quoad fructus Episcopatuum vacantium, quorum provissio nimis differebatur; 10.° mala Nuntiaturae organizatio, nam judices exteri erant, stipendia copiosa et abusus in dispensatione legis sat frecuentes.

Ad hunc supplicem libellum vel potius accusationum capitulum nomine Summi Pontificis responsum dedit Illmus. D. Esmeraldi, replicantibus legatis Regis Catholici. Hujusmodi negotiationes tunc exitum immediatum non obtinuere; sed denuò instauratis gestionibus, tandem inita fuit Concordia anno 1640 et per decretum Consilii pleni editum (auto acordado) promulgata speciali denominatione *Ordenanzas de la Nunciatura*.

Scopus hujus conventionis praecipuè fuit: 1.° novum personarum ordinem statuere; 2.° jura seu stipendia moderari tam pro negotiis judicialibus, quam pro gratiosis vel administrativis; 3.° potestatem Nuntiorum restringere, ut ita promoveretur observantia juris communis.

Laudata Concordia triginta quinque capita continet, quorum viginti duo in Novissimam Recopilationem, leg. 2.ª, tit. 4.°, lib. 2.° inserta fuere; reliqua vero de emolumentorum taxatione pertractant.

ARTICULUS XIII

SUMMARIUM.

181.—Principium, negotiationes, objectum atque terminus Concordati 1737.—182.—Exponantur causae, vicissitudines, materia et consummatio Concordati 1753.—183.—Causa, dispositiones et ratificatio Concordati inter Pium IX et Reginam Elisabeth initi anno 1851.—184.—Leges civiles de rebus ecclesiasticis et disciplinaribus pertractantes.—185.—Adjumenta seu Scientiae Subsidiariae Juris Ecclesiastici, tam *Generalis*, quam *Hispanici*.

181. Concordatum 1737. *Principium*. Mortuo Carolo II, in Hispania ortum est bellum successionis inter Philippum V et archiducem Carolum Austriae. Romanus Pontifex Clemens XI in partem Archiducis abire ejusque causam tueri non haesitavit, quod quidem Aulam Regiam Matritensem summoperè adeo exacerbavit, ut illa ejusmodi Pontificis agendi ratione offensa relationes cum Sede Apostolica anno 1709 penitus abruperit, usque ad pacem Ultrajectensem 1713, quo tempore Summus Pontifex Litteras ad Ludovicum Galliarum regem misit, ejus mediationem implorans apud suum nepotem pro restabiliendo cum Sede Romana commercio.

Negotiationes. Quatuor longae et difficiles gestiones hujusmodi pacti conclusioni praecesserunt.

1.ª Fine relationes instaurandi et res ecclesiasticas collatis consiliis componendi, Dominus Josephus Rodrigo Villalpando, Marchio a Compuesta, ad Lutetiam Parisiorum profectus est, ubi coepit de concordia agere cum Illmo. Domino Pompeyo Aldrobandi, Nuntio Pontificio Parisiensi. Fermè eodem tempore Rex vocare jussit Dominum Melchiorem a Macanaz, regium administrum in Aragonia, atque ei praecepit, ut sedulo perpenderet documenta ex archiviis deprompta, et habita eorum ratione, instructionem conficeret ad Villal-

pando mittendam uti incoeptae negotiationis basim. Sed cum tot conatus et Gubernii Hispanici inquisitiones coelum terramque moventis pro inveniendis privilegiis ac documentis, quae jura Coronae *regalias* nuncupata confirmarent, cum displicentia et praeventione Romae visae essent, ejusmodi primae negotiationes frustratae sunt.

2.ª Tunc Philippus rex, gratia tum novam relationum abruptionem vitandi, tum etiam suum propositum sanctione Consilii muniendi, Fiscali generali Monarchiae, qui tunc temporis erat laudatus Macanaz, praecepit ut praecipuorum capitum, de quibus in Concordato agebatur synopsim efformaret. Haec summaria relatio ad Consilium missa fuit, ut, audito Fiscalis dictamine, suum sensum aperiret; sed antequam Regius Senatus suffragium pro sententia Fiscalis approbanda emitteret, praefatum dictamen in manus incidit Cardinalis Judice, Legati extraordinarii regis Parisiis et generalis Inquisitoris, qui per edictum ad valvas ecclesiarum Matriti die 15 Augusti anni 1714 affixum omnino vetavit lecturam informationis ad Consilium transmissae.

Hac de causa Rex ira succensus Cardinali Judice aditum in Hispaniam interdixit, eum cogens munera Legati et Inquisitoris dimittere et ad suum episcopatum Montis-regalis in Sicilia cito abire.

3.ª Quae cum ita se haberent, Gubernium Matritense duos Plenipotentiarios in Aula regia Ludovici XIV residentes vocavit, ut sub directione Julii Alberoni gestiones iterùm renovarentur. Et re quidem vera negotium ad felicem exitum perductum est; nam anno 1717 absolutum fuit Concordatum, initis conditionibus Sedi Apostolicae faventibus, si ipsius Alberoni testimonio in sua Apologia standum sit; tamen confirmationem non obtinuit propter immoderatam Alberoni ambitionem superbamque ejus agendi rationem. Cum enim Episcopus Malacitanus esset, nominationem regiam ad Sedem His-

palensem accepit, quam occupare minimè potuit, quoniam Romanus Pontifex aviditatem et audatiam hujus Praesulis primi Coronae Consiliarii, apertè agnoscens, Bullas Confirmationis expedire noluit, donec prius Sedi, quam possidebat, renuntiaret. Tunc Alberoni violentia ductus decretum edidit anno 1718, in quo Nuntius dimittebatur, commercium cum Aula Romana interdicebatur, praecipiebatur etiam ut omnes Hispani absque ulla exceptione Romae commorantes ab Urbe Aeterna exirent; et desiderio suppositam injuriam ulciscendi flagrans eo usque pervenit, ut Theologorum Coetum consuleret utrum Episcopi possent, juxta veterem disciplinam, in Hispania confirmari, quin recursus ad Romam haberetur.

4.ª Ejusmodi violentiarum et coactionum cumulus Cardinalem Alberoni e cuspide gloriae et praepotentiae in generalem contemptionem atque totalem ruinam deturbarunt; sed tamen post lapsum hujus elati Aulici negotiationes Matriti prosequutae sunt, et quamvis anno 1736 relationes iterum disruptae fuerint propter exageratas Aulae Hispanicae praetensiones quoad regaliam Juris patronatus, cito tandem ad mutuam inter utramque potestatem intelligentiam perventum est.

Objectum. Hoc Concordatum 26 articulis constat: in eo restitutae fuerunt relationes cum Sede Apostolica; Nuntio et Tribunali Nuntiaturae redditi sunt omnes honores, jurisdictiones et praerogativae, quibus antea potiebantur; plura capita ad jura realia et episcopalia, ad jus asyli, ad bona ecclesiastica, beneficia parochialia disciplinamque generalem pertinentia immutata vel moderata fuere.

Controversia de Regio Patronatu licèt non definita, sed tantùm prorogata fuerit, jam in hoc Concordato tractari coepit, etenim personis a Romano Pontifice et Catholica Majestate deputatis commissum est articulo 25, ut fundamentis utrinque allatis diligenti et maturo exa-

mine perpensis, in posterùm prae manibus documenta certa haberentur pro recta queestionis adeo complexae solutione.

Terminus. Denique Concordatum tot negotiationibus praeparatum et per longum tempus exoptatum initum fuit Romae in Palatio Apostolico Quirinalis dicto, et die 26 Septembris anni 1737 subscriptum a Cardinali Firrao, nomine Clementis XII, et a Cardinali Troyano Aquaviva, nomine Philippi V.

182. Concordatum 1753. *Causae.* Inter praecipuas causas quae celebrationi hujus Concordati ortum dedere, recenseri merentur: 1.° assidui conatus Regum Hispaniae maximè sub Philippo III et Philippo IV pro obtinendo Regio Patronatu, aliàs per supplicationes nimium vehementes, aliàs vero per gravissimas contentiones, atque etiam saevitias et insectationes revelati; 2.° firmum et irrevocabile propositum adimplendi articulum 25 Concordati 1737 rem totam ad novum examen differentem et quaestionem adeo agitatam in eodem statu reliquentem; 3.° sincera Summorum Pontificum Clementis XII et Benedicti XIV voluntas bonam amicitiam colendi regularesque relationes cum Hispania et ejus Principibus asservandi.

Vicissitudines. Tres negotiationes pro absòlvendo hoc Concordato habitae sunt:

1.ª Gestiones incoeperunt tempore Clementis XII et Ferdinandi VI. Ad exequenda ea quae in anteriori Concordato (art 25) statuta erant pro dirimenda tranquilla discussione et juridico examine controversia jamdiù exorta de Regio Patronatu, Romanus Pontifex Cardinalem Valenti, Nuntium in Hispania designavit, et Rex Catholicus Cardinalem a Molina Praefectum Consilii et Dominum Petrum Ontalva, ejusdem Tribunalis Ministrum, deputavit, qui huic operi recto animo et totis viribus incubuerunt tribus annis; sed frustra, nam quaestio indecissa remansit.

2.ª Mortuo Clemente XII ad Solium Pontificium Benedictus XIV evectus est, qui statim ad regem Hispaniarum epistolam misit, eum certiorem faciens, quod maximè exoptabat interruptas negotiationes prosequi, dummodo Cardinalibus Aquaviva et Belluga facultates ad rem competentes tribueret.

Rex Fiscali Regiae Camerae Domino Gabrieli Olmeda Marchioni de los Llanos praecepit, ut quamdam instructionem aut synopsim redigeret, quae Cardinalibus veluti norma et dux esset in suis cum Romano Pontifice collationibus. Ejusmodi instructio per Cardinalem Aquaviva Pontifici tradita fuit, qui opusculo a se ipso conscripto ad omnia argumenta in praelaudato libello allata plenè respondit: Marchio de los Llanos alio novo scripto vicissim replicavit, cui titulus "Satisfacción histórico-canónico-legal al manifiesto ó demostración que la Santidad del Smo. Padre Benedicto XIV dió en respuesta, etc.," in quo jus ad Regium Patronatum vindicare sategit Bullis Pontificiis in medium adductis. At cum Benedictus XIV nequidem vestigium horum documentorum, quae basim et fulcrum, ut ita dicam, totius argumentationis constituebant, in codicibus vaticanis invenisset, fundamentum praedicti juris prorsùs negavit.

3.ª Denique, pluribus annis transactis et quamplurimis diplomaticis documentis hinc et illic cursantibus, videns Summus Pontifex quod discussio juridico-scientifica nihil proficeret, atque idcirco sub hoc aspectu controversia nunquam dirimeretur, magnanimitate et prudentia ductus, pro bono pacis et amicitiae conservatione, Regibus Hispaniae titulum Patronorum uti privilegium benignè concessit, additis specialibus et egregiis praerogativis.

Materia. In hoc Concordato agnitum et Hispanicis Regibus collatum est jus nominandi et praesentandi ad omnes Archiepiscopatus, Episcopatus, Dignitates,

canonicatus, personatus, officia, praebendas, caeteraque beneficia majora vel minora, exceptis 52 Sanctae Sedi reservatis; sancita est quoad praebendas officiales seu *de officio* appellatas et beneficia curata provisio in forma *concursus;* abolita est facultas pensiones imponendi, ne quidem etiam 52 beneficiis Pontifici reservatis; spolia Episcoporum et fructus vacantium ad necessitates Ecclesiae Hispanicae subveniendas reliquosque pios usus a Sacris Canonibus praescriptos dicata sunt.

Consummatio. Absolutum fuit Romae die 11 Januarii anni 1753, subscribentibus eum nomine Pontificis Cardinali Valenti Secretario Status, et Domino Emmanuel Ventura Figueroa, Sacrae Rotae Auditore pro Corona Aragoniae, uti legato plena Regis Catholici facultate instructo.

183. Concordatum 1851. *Causa.* Statim ac Ferdinandus VII supremum diem obiit, ejus filia Elisabeth et infans Carolus de jure ad thronum vel regiam dignitatem magno aestu inter se contenderunt; illa codice Partitarum innixa, hic lege Salica munitus. Sed cum non solum apud Hispaniam, verum etiam per totam Europam opiniones penitus dissiderent in hac celeberrima de legitimitate ad Coronae successionem quaestione, et conciliationem vel pacificam partium contendentium intelligentiam tentare inutile prorsus videretur, hora equidem infausta decretum est litem armis dirimere. Bello civili indicto cum omnibus consectariis, quae hanc luctuosam rerum conditionem comitari solent, exercitium Regii Patronatus ferè imposibile evasit; quamobrem Romanus Pontifex Gregorius XVI consentaneum, imo necessarium arbitratus est suspendere Bullarum expeditionem et confirmationem denegare Episcopis ab utraque parte propositis.

Ejusmodi Summi Pontificis prudentissimam agendi rationem adeo aegrè tulit Reginae Elisabeth Guber-

nium, ut relationes cum Aula Pontificia disrumpere et Nuntium Apostolicum ejicere ausum est cum maximo populi christiani schandalo et boni spiritualis detrimento. Relationum abruptio, perturbatio in negotiis ecclesiasticis et potestatis saecularis intrusio in politiam et regimen Ecclesiae duodecim annis perduravit, donec ipsum Gubernium de concordia pro rebus ecclesiasticis componendis ineunda agere coepit, quam quidem tum Ecclesiae, tum Status commodum postulabat. Ad restabiliendum cum Sancta Sede commercium et faciliorem inter utramque potestatem intelligentiam reddendam, die 30 Maii anni 1847 ad Matritum pervenit Illmus. Dominus Joannes Brunelli plenis facultatibus praeditus.

Dispositiones. Gubernium Hispanicum negotiationem quoque instituere curavit, et post longam discussionem promulgatae sunt tamquam lex die 8 Maii anni 1849 quinque sequentes bases:

1.ª Circumscriptio Dioecesium, spectata Ecclesiae et Status utilitate, et debita inter ecclesias metropolitanas et suffraganeas proportione servata.

2.ª Uniformis organizatio cleri, sive cathedralis, sive collegialis, sive parochialis.

3.ª Cleri instructio, recta Seminariorum institutio, erectio domorum pro missionibus, exercitiis et ecclesiastica correptione.

4.ª Regularizatio jurisdictionis ecclesiasticae, ordinariam Episcoporum confirmando et exemptorum privilegiatam, quantum fas esset, supprimendo.

5.ª Reformatio Monialium vel Sororum, quae ad vitam contemplativam vitam etiam activam addere deberent, institutioni puellarum vel operibus charitatis sese dedendo.

Ratificatio. Concordatum tandem perfectum et sancitum est Matriti die 16 Martii anni 1851, facta subscribendi potestate, ex parte Pontificis Pii IX, Archi-

episcopo Thessalonicensi Illmo. D. Joanni Brunelli, atque ex parte Reginae Elisabeth II, Ministro Status, Domino Emmanuel Bertran de Lis. Deindè promulgata fuit conventio velut *Hispaniae Lex* die 17 Octobris ejusdem anni.

Novissimum Concordatum hodiedum vigens quadraginta sex articulis constat sat notis et qui videri possunt ad calcem hujus libri in Appendice V.

184. Alio in loco animadvertimus reges leges civiles de rebus ecclesiasticis et disciplinaribus pertractantes triplici conceptu edere posse, scilicèt titulo protectionis seu tuitionis, vi gratiae seu concessionis et ratione concordiae.

Quod ad Hispaniam attinet, non solum memoratu, sed etiam peculiari studio digna sunt monumenta juridica quae in antiquissima collectione Fori-Júdicum *(Fuero-Juzgo)* et immortali Septem Partitarum codice continentur, ex Decretalibus Gregorii IX et Sexto Bonifacii VIII magna ex parte excerpto. Solùm in Partita septima duo inveniuntur tituli, quorum alius de haereticis, alter de blasphemis agit.

Quoad leges titulo concessionis aut privilegii Pontificii latas, quamplurimae habentur in Novissima Recopilatione, ita ut duo primi libri hujus Codicis circa res ad disciplinam et Ecclesiae jurisdictionem spectantes exclusivè versantur.

Quod postremum legum genus respicit, nempè, ad statuta et ordinationes virtute concordiae editas, non desunt crebra exempla, uti Lex-conventio super Capellaniis collativis aliisque piis fundationibus die 24 Junii anni 1867 promulgata, et Decreta collatis consiliis die 6 Decembris 1888 et 23 Novembris 1891 edita praescribendo formam in provisione praebendarum ecclesiasticarum servandam.

185. Coronidis gratia Adjumenta seu Scientias Subsidiarias Juris Ecclesiastici, tam Generalis, quam Hispanici recensebimus:

Pro Jure Ecclesiastico Generali illustrando rectèque interpretando summoperè adjutorium praestant octo sequentes Scientiae: Sacra Theologia, Historia Ecclesiastica, Historia universalis, Historia Juris Ecclesiastici, Historia Collectionum canonicarum, Archaeologia seu Antiquitates Christianae, Chronologia et Geographia sacrae.

Ad pleniorem Juris Ecclesiastici Hispani intelligentiam maximè juvant haec quatuor Disciplinae: Historia Ecclesiastica Hispaniae, Studium Juris Patrii (praecipuè Codicis Partitarum et priorum librorum Novissimae Recopilationis), Historia Collectionum ad Ecclesiam Hispanam concernentium, et denique Historia profana Hispaniae.

CAPUT III

COLLECTIONES CANONICAE



ARTICULUS I

SUMMARIUM.

186.—Historia externa Fontium Juris Ecclesiastici.—187.—Collectiones Canonicae.—188.—Earum origo, utilitas et methodus.—189.—Variae Collectionum species.—190.—Regulae circa vim et usum Collectionum.—191.—Collectiones Juris *Antiqui.*—192.—*Constitutiones Apostolicae.*—193.—Ipsarum origo, auctor et usus.—194.—*Canones Apostolorum.*—195.—An sint authentici.—196.—Eorum origo, numerus et auctoritas.

186. Praemissis notionibus atque explicatis fontibus Juris Ecclesiastici, nobis superest aliquid, etsi leviter, delibare de Historia externa Fontium Juris.

Historia externa Fontium Juris Ecclesiastici rectè definiri potest: *Investigatio critica, philosophica atque juridica de Collectionibus Canonicis, quae diversis temporibus et locis in Ecclesia conflatae sunt.* Licèt scriptores, cum de Jure Canonico agunt, communiter in triplicem periodum jus universale distinguant, scilicèt vetus, novum ac novissimum, de qua divisione postea loquemur, nobis tamen videtur perutilis ad melius introspiciendam legislationis ecclesiasticae naturam collectionumque vim et evolutionem partitio Historiae externae juris in sex epochas: 1.ª, quae incipit a saeculo I et ad IV usque pervenit, jure optimo appellari posset epocha *persequutionis*, saeculum *aureum* seu infantia Ecclesiae; 2.ª a IV ad VIII epocha *organizationis*, saeculum *argenteum* sive virilitas Ecclesiae; 3.ª a VIII

ad XII epocha *corruptionis*, saeculum *ferreum* vel senectus Ecclesiae; 4.ª a XII ad XVI, epocha *restaurationis*, saeculum *splendidum* aut Ecclesiae renovatio; 5.ª a XVI ad XVIII epocha *reformationis*, saeculum *luctuosum*, viror atque robur Ecclesiae; 6.ª a fine saeculi XVIII ad nostra usque tempora epocha *perturbationis*, saeculum *iniquum*, in quo equidem luce clarissima et mirabili fortitudine emicat atque fulget *magnanimitas* Ecclesiae in tot aerumnis tantisque vexationibus.

187. Collectiones Canonicae, in quibus enucleandis specialiter versatur Historia Juris, aptè dici possunt: *Fontes generales Juris Ecclesiastici ex quibus canonista sua depromit argumenta pro politia externa et disciplina ecclesiastica vindicanda, pro legibus variis temporibus vigentibus corroborandis atque pro recta jurisprudentia efformanda.* Ex hac definitione luculenter patet disquisitionem, quam nunc aggredimur, esse magni momenti, quandoquidem accurata Collectionum investigatio nobis prae se fert triplicem scopum, cui tamquam nobilissimo muneri incumbere debet canonista catholicus, videlicèt, propugnationem ordinis atque regiminis ab Ecclesia longo saeculorum decursu servati, confirmationem omnium decretorum ac ordinationum, quas auctoritas sacra Pontificum juxta temporum adjunta condidit, demum rectam interpretationem et genuinum sensum legum in multiplici casu et conditione rerum, locorum vel personarum.

188. Collectiones canonicae ad saeculum IV tantùm assurgunt; nequit assignari major antiquitas codicibus ecclesiasticis; tribus enim prioribus saeculis apud omnes notum est Ecclesiam in suo regimine traditionem, consuetudinem et Sacram Scripturam sequutam esse, eique legibus scriptis minimè opus fuisse, tum propter recentem suae institutionis originem atque propinquiorem Jesuchristi Apostolorumque praedicationem, tum quoque ob statum persequutionis et po-

puli christiani mirabilem sanctitatem: et quamvis aliqua concilia hac remotissima aetate coacta sunt, non solùm in Oriente, verùm etiam in Occidente, nihilominùs eorum celebratio causis oeconomicis et adjunctis peculiaribus tribuenda est; hinc canones ab ejusmodi Synodis editi tamquam statuta particularia habenda sunt, quippe iidem vel ad haereses tunc gliscentes damnandas spectabant, vel ad dirimendas controversias de *quartodecimanis, rebaptizantibus, lapsis,* etc. respiciebant.

Sed, postquam Constantinus Magnus pacem Ecclesiae contulit, incipit nova epocha *organizationis,* in qua, dum alia ex parte et quoad ordinem exteriorem legibus civilibus recipitur *religio catholica* in Imperio Romano, agnoscitur *existentia legalis* Ecclesiae, ejusque *jura* sanciuntur, ex alia et quoad ordinem interiorem evolvitur *dogma* christianum, praescribitur sacra *liturgia,* exercetur cultus publicus solemni ritu et maximo splendore, atque denique consolidatur regimen ac constitutio Ecclesiae sanctissimis legibus, consentaneis institutis, multisque disciplinaribus regulis.

Hoc mirum tamque magnum organizationis opus inchoatur, promovetur et perficitur per Episcopos Apostolorum successores, praesertim verò per Romanos Pontifices B. Petri legitimos successores et Christi vicarios in Conciliis generalibus et particularibus ubi promulgantur sapientissimi Canones et saluberrima Decreta, quorum praestantia, multitudo atque varietas confectionem Codicum necessariò postulant. En *origo* Collectionum leviter adumbrata.

Quod spectat ad *utilitatem,* duplicem praecipuè commodum jurisperitis afferunt haec ingentes Collectiones, nempè: 1.° facillitatem cognoscendi simplici obtutu atque habendi conflatam in uno Codice ecclesiasticam legislationem, absque rudo et improbo labore adeundi et perscrutandi singulos juris fontes; 2.°

securitatem secernendi ope criticae collationis spureos vel falsos a genuinis et sinceris canonibus.

Ad *methodum* quod attinet, duplicem sequuti sunt collectores, *chronologicam* ac *doctrinalem;* illa ordinem temporum servat, prouti videre est ferè in omnibus collectionibus antiquitatis; haec logicè et utilitèr procedendo ordinem rerum praefert, ut passim observatur in posterioribus codicibus.

189. Ut aliquid de diversis Collectionum speciebus attingamus, praecipuas divisiones innuemus. Dispertiri solent: ratione *originis* in *authenticas* et *privatas;* authenticae quae auctoritate publica gaudent et vim legis obtinent, vel quia a legislatore prociscuntur vel ab ipso receptae et editae sunt; privatae quae particularium industria et studio confictae nullam vim cogendi habent, nisi postea auctoritatem publicam ac legitimam nactae sint, sive acceptatione Ecclesiarum veluti Codex Dionysianus, sive usu et consuetudine ut Extravagantes que nuncupantur Communes et Joannis XXII: ratione *extensionis* in *perfectas, concisas* et *compendiosas,* prout integros canones complectuntur aut tantùm partem vel summam canonum inserunt: ratione *materiae* in *merè canonicas* et *mixtas* seu *nomocanonicas;* merè canonicae quae legibus ecclesiasticis solummodo constant; nomocanonicae, ut ipsum nomen significat, quae leges ecclesiasticas atque civiles simul continent: ratione *temporis* in collectiones *Juris antiqui, novi* ac *novissimi,* juxta tritam et notissimam divisionem Juris in triplicem epocham; prima ad saeculum XII attingit; secunda desinit ad Tridentinam Synodum; tertia ad haec usque tempora pervenit.

190. Circa vim et usum collectionum haec tamquam regulae generales in mente retinenda sunt, uti scitè animadvertit Card. Soglia:

1.ª *In causis fidei nulla esse potest inter Ecclesias differentia,* juxta vulgatissimum effatum Tertulliani:

Regula fidei una omnino est, sola, immobilis et irreformabilis (1).

2.ª *Communione ecclesiastica manente, varia potest esse Disciplina Ecclesiarum,* juxta auream sententiam S. Augustini: *Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores injungitur, indifferenter habendum est* (2). Hinc peculiares quaedam Ecclesiae, veluti Orientalis, Africana, Hispanica, Gallica, Germanica, collectionibus canonicis usae fuerunt, in quibus canones tum generales tum speciales cujuslibet Ecclesiae continebantur.

3.ª *Sola canonum in unum Codicem dispositio vel collectio nullam eisdem canonibus auctoritatem addit;* atque inde canones in unum Codicem privata auctoritate collecti, non aliam auctoritatem obtinent, praeter eam, quam acceperunt ex fontibus, unde desumpti sunt. Itaque ut canones ratione collectionis vim aliquam consequantur, oportet collectionem ipsam publica auctoritate aliqua aut confectam, aut saltem probatam esse.

4.ª *Collectiones canones apocryphos vel corruptos complectentes, ex defectu authenticitatis aut integritatis argumenta certa suppeditare nequeunt.*

191. Age jam, tractationem nostram de historia externa fontium a prima epocha juridica incipientes, nempè, ab Ecclesia condita ad saeculum usque XII, quo Gratianus suum compilavit Decretum seu *Concordantiam discordantium canonum,* et vestigia insequentes ferè omnium auctorum, qui de institutionibus juris canonici scripsere, perspicuitatis gratia et propter magnam difficultatem reperiendi pro hac periodo uniformem generalemque sacrorum canonum codicem, hujus aetatis collectiones in duas clases partiemur, *Graecas* scilicèt et *Latinas.*

---

(1) Lib. *de velandis virginibus.*
(2) Dist. 12 c. 11.

Sed antequam de collectionibus in specie disseramus, prout mos est canonistis, perpendere debemus collectionem *apostolicam* nuncupatam, quia *Constitutiones* et *Canones Apostolorum* complectitur.

192. Vetustissimum juris ecclesiastici monumentum quod nobis ocurrit memoratu dignum illud est, quod sub nomine *Constitutionum Apostolicarum* usuvenit, opus quidem celeberrimum VIII libris distinctum. Primi sex libri brevem synopsim exhibent vitae christianae juri seu legi ecclesiasticae consentaneae; reliqui duo, septimus videlicèt et octavus, varias praescriptiones liturgicas et morales continent.

193. *Origo*. Etsi de ejusmodi Constitutionum origine et vicissitudine res parùm comperta sit, probabiliùs sentire videntur qui has Constitutiones III aut IV saeculo vulgatas fuisse existimant, eo quòd primus inter Patres qui de praefato opere mentionem faciunt, fuit S. Epiphanius citans commendansque hanc collectionem non tamquam opus apostolorum, sed veluti primaevas juris canonici institutiones atque totius ecclesiasticae disciplinae compendium, nihil equidem habens a fide et moribus tunc vigentibus alienum. En verba hujus S. Episcopi quae IV saeculo exeunte floruit: *Qui liber, tametsi dubiae apud multos fidei sit, non est tamen improbandus. Nam in eo, quae ad Ecclesiae disciplinam attinent, omnia comprehenduntur, neque quidquam aut in fide ac catholica professione depravatum, aut Ecclesiae administrationi ac decretis contrarium continet* (1). Ex hoc Epiphanii loco fas est colligere: 1.° ejusdem aetate librum aliquem nomine Constitutionum Apostolicarum exstitisse, in quo nihil a fide catholica aut ab Ecclesiae disciplina alienum inveniebatur; 2.° praedictas Constitutiones aut injuria temporum periisse, aut eas, quas habemus, diversas ab iis esse et ex

(1) *Haer. 70 contra Audianos.*

integro confectas, aut saltem, si unae et eaedem sunt, atque illae quarum testimonia S. Epiphanius refert, post ipsius Epiphanii tempora ab haereticis corruptas interpolatasque fuisse, prouti constat ex locis ab eodem Epiphanio laudatis, qui aut in illis Constitutionibus non exstant, aut aliam sententiam exhibent.

Auctor. Constitutiones Apostolicae, quales ad nos pervenerunt, nec Apostolis, nec S. Clementi Romano adscribi possunt, et hoc duplici potissimum ex capite, propter *errores* qui in ipsis inveniuntur et propter *silentium* remotissimae antiquitatis. Ratione *errorum*, quandoquidem hujusmodi Constitutiones continent: 1.° errores *dogmaticos*, nam de Filii et Spiritus Sancti, divinitate malè sentiunt, baptismum ab haereticis collatum iterari jubent, aliaque id genus proferunt; errores *morales*, quia quartas et ulteriores nuptias damnant, ancillis permittunt ut libidini dominorum infidelium indulgeant, etc.; errores *disciplinares*, quoniam jejunium praescribunt tam die dominica, quam sabbato, quod quidem Schisma judaizantium sapit; errores *chronologicos*, inter alios enim praebent Jacobum Zebedaei tamquam praesentem concilio Jerosolymitano, qui juxta Acta Apostolorum (1) jam Herodis gladio interfectus fuerat.

Ratione *silentii*, etenim Patres priorum saeculorum et in primis S. Justinus Martyr, S. Irenaeus, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Origines, aliique hisce Constitutionibus, data licèt occasione, nunquam usi sunt, quas certè protulissent, si verè exstitissent, nisi fateri velimus illarum nunquam meminisse, quia tamquam apocryphae censebantur.

Usus. Ex praejactis circa usum et auctoritatem ejusmodi Constitutionum sequentem possumus statuere regulam: Constitutiones Apostolicae in his locis, in quibus non constat haereticorum aut schismaticorum frau-

(1) *Act. cap.* XII.

de vel amanuensium errore aut ignorantia fuisse vitiatas, argumentum praebere possunt dogmatis atque disciplinae primis Ecclesiae temporibus vigentis, veluti quaelibet alia monumenta III vel IV saeculi.

194. *Canones Apostolorum.* Postremo capiti libri VIII Apostolicarum Constitutionum subjicitur quidam catalogus complectens secundum alios codices quinquaginta, secundum alios octoginta quinque breves sententias quae sequentem exhibent titulum: *Canones SS. Apostolorum per Clementem Romanum, a B. Petro ordinatum Episcopum, editi.* De hisce verò canonibus rectum judicium proferre perdifficile sanè est, cum magna exstat inter eruditos controversia de eorumdem authenticitate, origine atque auctoritate. Hac de re nonnihil dicemus.

195. *An sint authentici.* De authenticitate Canonum Apostolorum quatuor praecipuas sententias apud criticos invenimus: alii hanc collectionem Apostolis tribuunt vindicantes eidem Apostolicam auctoritatem; alii omnes canones Apostolorum apocryphos censent; aliqui cum Joanne Dallaeo calviniano contendunt ejusmodi catalogum sub fine V saeculi a quodam Graeco haeretico fuisse omnes confictos et nomine Apostolorum vulgatos; plures denique cum Bellarmino, Soglia et Fratribus Ballerinii viam mediam insequentes partim Apostolis adscribunt, partim iisdem abjudicant. Unamquamque sententiam absque praejudiciis in examen vocemus.

1.ª Hosce vetustissimos canones Apostolicos vocant et tamquam genuinos sincerosque defendunt apud antiquos Constantinus Imperator, Synodus Constantinopolitana sub Nectario, Concilium Ephesinum, Teodosius, Justinianus ac praesertim S. Joannes Damascenus, qui eo usque progressus est, ut canones Apostolicos inter Sacras Scripturas recensere non dubitaverit, ita scribens: *Jam verò novi Testamenti libri isti sunt. Quatuor*

Evangelia... Canones denique Sanctorum Apostolorum per Clementem concinnati (1); apud recentiores Panvinius et omnium maximè P. Franciscus Turrianus (Torres) e Societate Jesu qui singulari libro adversus Magdeburgenses Centuriatores totis viribus dimicavit pro tuenda origine et Apostolica auctoritate hujus celeberrimae collectionis.

Plures viri eruditione et doctrina praestantes extremam hanc sententiam respuunt, tribus maximè argumentis suffulti, nempè, *doctrina* canonum, *anachronismo* contextus et *nescientia* veterum scriptorum. Aliquid de singulis perstringamus. In primis enim doctrina harum regularum fidei Apostolorum planè adversatur, nam canones 45 et 46 (seu juxta alios codices, 46 et 47) jubent: *deponendum esse clericum qui verè Baptizatum rebaptizaverit, vel pollutum ab impiis non Baptizaverit, utpote non distinguentem inter sacerdotes veros et impostores, inter Christum et Belial,* qui proculdubio haeresim rebaptizantium redolent; canon 84 (vel 85) catalogum Divinarum Scripturarum proponit, in quo expunguntur vet omittuntur libri Sapientiae, Tobiae, et Judith, et eorum vice recensentur ut canonici quidam libri quos Ecclesia nunquam ut inspiratos habuit, quales sunt liber tertius Machabaeorum, duae Epistolae Clementis, et Constitutiones Apostolicae de quibus jam disseruimus.

Deindè doctrina hujus collectionis a disciplina Apostolica valdè absona est, siquidem canon (65 vel 66) praescribit: *deponendum esse clericum vel excomunicandum laicum qui vel die sabbati, vel dominica jejunaverit,* in quo quidem cultus sabbati et error judaizantium apertè continetur contra sententiam Constitutionum Apostolicarum et Ecclesiae Romanae traditionem: canon 17 vocat dumtaxat bigamum illum, qui post bap-

---

(1) Lib. IV *de fide orth.* cap. 17.

tismum duas uxores duxerit, at haec notio bigamiae opponitur testimonio et doctrinae S. Pauli in sua Epistola I ad Timoteum (1). Ergo disciplina quae proponitur minimè consona est principiis quae nobis Apostoli tradiderunt.

Praeterea in hisce canonibus tanta reperiuntur evidenter anachronica, res, facta, institutiones, nomina, etc., ut haec sola ratio sufficeret ad penitus tollendam isti collectioni omnem vim et auctoritatem apostolicam.

Et re quidem vera vel nobis exhibent definitas quamplurimas quaestiones, quae nonnisi post apostolorum tempora ortae sunt, vel plura alia docent, quae aetati apostolorum non conveniunt. Quoad primum, canon 7 (vel 8) decernit festum Paschae non esse celebrandum cum Judaeis, ante scilicèt aequinoxium vernum, quod proculdubio statutum videtur ad dirimendam quaestionem Quartodecimanorum, II Ecclesiae saeculo obortam; canon 22 vel 23 prohibet ne ad sacros ordines promoveatur ille qui se mutilaverit, cui canoni manifestè occasionem praebuit factum Originis saeculo III patratum; canon 49 vel 50 statuit ut baptisma per trinam immersionem sub distincta significatione trium personarum S. Trinitatis conferatur, et non simpliciter in morte Domini, in quo continetur aperta allusio ad haeresim Eunomianorum, et sic de aliis.

Quoad secundum, canon 29 vel 30 prohibet ne episcopi familiaritatem habeant cum magistratibus saecularibus, quod prorsus ridiculum videtur tempore persequutionis; canon 36 vel 37 decernit ut bis in anno habeantur synodi episcoporum, res equidem impossibile aetate apostolica, et ita recensere possemus multa alia quae nulla ratione componi queunt illis remotissimis temporibus, veluti mentionem de Cantoribus,

(1) Cap. III, 2.

Ostiariis et Lectoribus, de Conciliis Metropolitanis, de divisione Parochiarum, de bonorum Ecclesiae a bonis Episcopi distinctione, de oleo in candelabro, de thure ad oblationem in sacrificio offerendo, aliisque id genus, quae certè Apostolorum ac S. Clementis aetate recentiora sunt.

Postremò ejusmodi congeriem canonicam nec Apostolis nec S. Clementi tribuere possumus, quia nobis vetat totius antiquitatis christianae silentium; neque enim Eusebius Caesariensis, S. Hieronymus ceterique, qui in conservanda ecclesiasticorum scriptorum memoria diligentissimè versati sunt, ullam eorum canonum mentionem fecerunt, neque Victor Pontifex in controversia de Paschate celebrando, aut S. Cyprianus in controversia de baptismate haereticorum his canonibus uspiam usi fuere: si autem Apostolorum fuissent, nec eos ignorare poterant, nec in medium proferre omisissent, quandoquidem illa controversiarum capita eisdem canonibus perspicuè definiebantur. Liceat igitur nobis hisce rationibus permotis colligere sententiam, quae hanc collectionem completam Apostolis auctoribus vel Clementi editori adscribit, solido fundamento esse destitutam.

2.ª S. Gelasius vel meliùs S. Hormisdas Pontifex, juxta animadversionem Fratrum Ballerinii, atque S. Isidorus Hispalensis genuinitatem hujus compilationis apostolicae absolutè in dubium revocarunt, proindeque omnes canones Apostolorum apocryphos vocarunt, prouti videre est apud Gratianum (1). Ab ejusmodi sententia cum debita reverentia discedimus, quia scientiae provectiori et sacrae critices progressibus planè repugnat. A saeculo VIII usu generali et Ecclesiae Latinae suffragio saltem quinquaginta primi canones Apostolorum recepti sunt; etenim in Concilio Romano,

(1) *Can.* 3, *dist.* 15, et *can.* 1, *dist.* 16.

quod habitum est anno 769, sub Stephano III Pontifice, actione IV, ita legimus: *Non amplius suscipiantur Apostolorum canonum prolata per S. Clementem, nisi quinquaginta capita, quae suscipit Sancta Dei Catholica, Romana Ecclesia* (1); et in Codice Dionysiano ab Ecclesia Romana probato et sanctione Pontificia munito, cum Adrianus I Carolo Magno, Francorum regi, Romae commoranti illum tradidit, habentur etiam quinquaginta canones Apostolorum, quos deinde ceteri compilatores apud Latinos, exemplum Dionysii Exigui sequuti in suas collectiones retulere.

3.ª Joannes Dallaeus e calvinianorum secta, cum probè intelligeret quantum horum canonum antiquitas calvinianae causae obesset, eos V saeculo exeunte in lucem prodiisse, atque a quodam haeretico graeco evulgatos fuisse autumavit; huic singulari opinioni, nescio quo fine et proposito, assentitus est Natalis Alexander (2). Ab hac Dallaei sententia refellenda supersedemus, quippe quae a Guillelmo Beveregio viro anglicano refutata est, qui canones apostolicos aut labente II Ecclesiae saeculo aut III ineunte conditos fuisse apertissimè demonstravit, ostendendo contra Dallaeum antiqua Ecclesiae concilia habita III vel IV saeculo hujusmodi canones attulisse, non quidem nomine *canonum apostolorum* sed frecuenti denominatione *canonum Ecclesiae, Patrum, Antiquorum, Vetustissimorum,* etc.

4.ª Sententia denique simillima vero, hodiedum communiter acepta et quae nobis magis arridet, ea est quam proponunt eruditissimi Ballerini (3): exploratum compertumque omnibus esse debet Apostolos quasdam regulas seu canones nascenti Ecclesiae tradidisse; ejusmodi canones successu temporum tum traditione ser-

(1) *Collect. Labbei, tom.* 8, *collect.* 485, *edit. Venet.*
(2) *Hist. Eccles. saec.* I, *dissert.* 18.
(3) *Append. ad tom. III, Op. S. Leonis Magni.*

vati, tum scripto traditi fuere; postea vero aucti sunt, quia successores Apostolorum pro temporum opportunitate novos canones addiderunt, retento tamen titulo primitivo *Canonum Apostolorum: solent quippe*, prouti concludunt praefati Ballerini, *hujusmodi opera, licet variis incrementis augeantur, ejus nomen in epigraphe retinere, quo primum auctore caepta et constituta fuerunt.* Unde hodie omnibus persuasum est canones Apostolicos partim ex sanctissimis regulis, quas Apostoli Ecclesiis tradiderunt, partim ex consuetudine Ecclesiarum, partim ex decretis Synodorum, quae primis saeculis in Oriente celebratae fuerunt, conflatos esse. Cui quidem sententiae valdè favet diversa ipsorum canonum partitio, cum modò plures, et modò pautiores, alibi quinquaginta, alibi octoginta quinque apud Collectores veteres legantur, quod luculenter evincit eam collectionem nec totam simul uno tempore, neque ab uno auctore esse confectam, sed diversis temporibus et locis plures recepisse additiones.

Quod si quaedam haeretica et falsa in illis canonibus inveniantur, hoc videtur tribuendum vel amanuensium ignorantiae vel fraudi aut malitiae collectorum, qui non secernentes concilia legitima ac orthodoxa ab haereticorum vel schismaticorum conventibus, quaedam canones ab iis confictos in censu apostolicorum canonum inseruerunt.

196. *Origo, numerus et auctoritas.* Quod ad *originem* spectat, fatemur cum Petro De Marca difficile esse in tan alto veterum scriptorum silentio tempus hujus collectionis indagare, quam tamen certum est Concilii Nicaeni tempora antecessisse (1). Sed ex disquisitionibus criticis a viris eruditis editis jure inferri potest plures canones apostolicos jam a I vel II Ecclesiae saeculo traditione acceptos fuisse, etsi omnes in unum corpus

(1) *Concord. Sacerd. et Imp. lib. III, cap. 2.*

seu collectionem non videantur relati, nisi III aut fortè etiam IV saeculo, prae oculis habitis Synodis, Disciplina et Legibus, quibus per tria priora saecula Orientales Ecclesiae regebantur.

Ad *numerum* quod attinet, Ecclesia Graeca, saltem post Trullanam Synodum, canones 85 omnes et integros accepit; eosque tamquam ab Apostolis conditos eximia quadam veneratione prosequuta est. Latina autem Ecclesia 50 priores canones tantum recepit, eisque in judiciis usa est, quin tamen quaestionem de origine per suam acceptationem praejudicaverit, rem totam discussioni Sapientum tradendo.

De *auctoritate* et vi juridica horum Canonum conclusio practicè eruenda in sequenti regula sita est: canones Apostolorum historicè inspecti usu et generali acceptatione gaudent 50 priores in Occidentali Ecclesia, omnes 85 in Orientali Ecclesia; *scientificè* spectati, ubi non constat ignorantia vel fraude fuisse corruptos, disciplinam IV, III vel II saeculi, aliquando etiam apostolicam ostendunt; *juridicè* vero canones in Collectione Dionysiana inserti vi legali apud Latinos potiuntur propter Ecclesiae Romanae approbationem, reliqui autem in Codicibus graecis comprehensi, quamvis penes Orientales magnam auctoritatem habeant, nobis omni valore juridico privantur, eo quòd Romani Pontifices nunquam sua suprema sanctione agnoverunt.

ARTICULUS II

SUMMARIUM.

197. Collectiones Graecae.—198. Collectio *Primaeva.*—199 —Collectio *Theodoreti Cyrenensis.*—200. Collectio et Nomocanon Joannis Antiochensis cognomento *Scholastici.*—201.—Collectio *Trullana.*—202. — Collectio *Photii,* ejusque Nomocanon.— 203.—Auctoritas Graecarum Collectionum.—204.—Canones atque Codices Poenitentiales.—205.—Praecipui Expositores et Compilatores Ecclesiae Orientalis post Schisma Photianum.—206.—Jus Novissimum Graecorum.

197. Quinque Collectiones Graecae memorari merentur, videlicèt: ***Primaeva, Theodoreti Cyrenensis, Joannis Antiocheni, Trullana*** et ***Photiana;*** sed cum de re obscura et aliquatenus complexa agatur, ut disquisitio, quam exordimur, recto ordine exponatur, in unaquaque collectione quinque spectari debent: *Nomen* et ***Auctor*** (operis titulus atque collectoris notitia biographica); ***Causa*** et ***Epocha*** (ratio, occasio, origo et tempus quo edita est); ***Monumenta*** ex quibus constat (Canones conciliorum, RR. Pontificum decreta, leges civiles aliaque documenta); ***Methodus*** et ***Extensio*** (an ordine doctrinali vel chronologico scripta sit, quanam structura et divisione, utrum perfecta, concisa vel compendiata fuerit); ***Valor*** et ***Auctoritas*** (Triplex valor: ***historicus*** seu usus atque accèptatio in Ecclesiis; ***scientificus,*** hoc est, praestantia, meritum et veritas compilationis ratione authenticitatis, integritatis vel antiquitatis documentorum quae in illa congesta sunt; ***juridicus,*** num sanctione pontificia gaudeat, vim legalem habeat et in codicem publicum relata sit).

198. Collectio Primaeva. *Nomen* et *Auctor*. Prima Ecclesiae Orientalis collectio sub diversis denominationibus a criticis nuncupatur; vocatur enim ***primaeva,*** quia omnes alios codices antiquitate superat,

chalcedonensis eo quod in Concilio Chalcedonensi de ea expressa fit mentio, *Codex canonum Ecclesiae universalis,* quia sine solido fundamento prout ostendit clarissimus Berardi, aliqui opinati sunt eam pro Ecclesia universa in Synodo Chalcedoniae fuisse approbatam.

Incertum est quo auctore et tempore prodierit iste Codex. Christophorus Justellus veteri manuscripto Bibliothecae Palatinae fultus contendit antiquissimam hanc Collectionem a Stephano Episcopo Ephesino esse conflatam; Petrus Pithaeus in Synopsi Historica Collectorum autumat verum auctorem exstitisse quemdam Sabinum Heracleae in Tracia Episcopum, quem Socrates (1) testatur *diversarum Synodorum acta unum in corpus collegisse.* Sed, uti scitè animadvertit Devoti (2) ejusmodi commentum omnino est rejiciendum, quandoquidem, teste ipso Socrate, Sabinus Episcopus sectam Macedonianam amplexatus est, ejusque collectio inter codices sacros catholicae Ecclesiae locum habere nequit.

Causa et *Epocha.* Qua occasione vel quonam tempore hujusmodi collectio concinnata fuerit, penitus ignoratur; unum tantum certum exploratumque ex Concilii Chalcedonensis actis apparet, nempè, ante hanc Oecumenicam Synodum peculiarem collectionem canonum Orientali Ecclesiae fuisse; nam actione IV legitur: *Sancta Synodus dixit: Sacri Canones legantur, et commentariis inserantur: sumptoque libro Actius Archidiaconus et Primicerius magnae Ecclesiae legit canonem 83 «Si quis Episcopus etc.», item alium canonem 84 «Si quis Presbyter aut Diaconus etc.»* Similiter actione XI Patres dixerunt: *Canones relegantur: Leontius Reverendissimus Episcopus Magnesiae e Codice relegit regulam 95 «Si quis Episcopus etc.»* Idem ex eodem Codice legit regulam 96 «*Si quis Episcopus etc.*» Porro autem ipsa series numerorum quam Patres Chalcedonenses sequuti sunt

(1) *Lib.* 1, *cap.* 8, pag. 21, *edit. Valesii*
(2) *Proleg. cap.* V, *num.* LIV, *not.* 1.

atque verba *Libro, Codice,* quae in Synodo usurpantur apertissimè ostendunt eo tempore in Ecclesia Orientali certam specialemque canonum collectionem fuisse.

Monumenta. Magna viget inter eruditos discrepantia in decernenda indole et varietate documentorum, quae in antiquissimo Graecorum Codice a Concilio Chalcedonensi laudato includebantur; probabilior sententia cum Devoti, Fratribus Ballerini multisque aliis criticis tenet initio hanc primaevam collectionem tantum canones Nicaenos, Ancyranos, Neocaesareenses, atque Gangrenses complexam esse; seriùs adjuncti sunt canones Antiocheni, Laodiceni et Constantinopolitani ita, ut 166 (juxta Codicem Dionysianum 165) compleret; denique arbitrio et voluntate eorum qui additiones primo exemplari faciebant, novas accessiones accepit ejusmodi Codex, praesertim canones Ephesinos et Chalcedonenses, quibus locupletatus 207 canones retulit (1).

Methodus, Extensio atque *Auctoritas.* Summo in pretio et honore semper habita est penes Orientales antiquissima Collectio, de qua sermo est, magnamque sortita fuit auctoritatem in ordine scientifico atque juridico propter generalem in Ecclesiis graecis acceptationem, monumentorum integritatem et IV Oecumenici Concilii vim et sanctionem; hinc Collectio *primaeva* appellata inter *chronologicas* et *perfectas* principem locum obtinet.

199. Collectio *Theodoreti Cyrenaei.* Nonnulli viri in re canonica valdè periti inter quos Joannes Doujat (2), arbitrantur Theodoretum Episcopum Cyrenensem, cujus scripta in V Concilio generali, cum celebris causa *Trium Capitulorum* judicata fuit, damnata sunt, pecu-

(1) Christophorus Justellus anno 1610 Parisiis edidit collectionem sub titulo *Codicis canonum Ecclesiae universae,* illum esse putans antiquum codicem, cujus meminit Chalcedonense Concilium, et quo ante ipsum Concilium utebatur tum Orientalis, tum Occidentalis Ecclesia. Sed hanc inscriptionem nimis speciosam improbarunt Fr. Florens et Petrus Constantius, rejicientes tamquam apocrypham et suo arbitrio ex pluribus aliis collectionibus excerptam.

(2) Praelect. Canon.

liarem collectionem confecisse suo studio atque diligenti industriae jure tribuendam.

Causa, Epocha, Monumenta, Methodus et *Extensio*. Ejusmodi collectio ordinem temporum servans et documenta integra continens circa finem saeculi V edita fuit: comprehendebat primùm eadem monumenta, atque Codex Chalcedonensis auctus novis additionibus, videlicèt, 207 canones deprromptos ex Conciliis Nicaeno (325), Ancyrano (314), Neocaesareensi (314 vel 315), Gangrensi (324), Anthiocheno (341), Laodiceno (360), Constantinopolitano (381), Ephesino (431) et Chalcedonensi (451).

Deindè ipse Theodoretus hisce canonibus adjecit canones Apostolorum et canones concilii Sardicensis; nam licèt hoc concilium in Orientis partibus celebratum sit paulo post Nicaenam Synodum, attamen cum potissimùm ab episcopis Occidentis fuerit absolutum, habitum semper fuit ab Ecclesia Latina tamquam ipsius Nicaeni concilii appendix.

Causa et occasio hujus collectionis videtur fuisse vulgare apud Orientales canones Sardicenses in testimonium animi grati erga Romanos Pontifices et Ecclesiam Occidentalem, quibus officio speciali tenebatur Episcopus Cyrenensis. Vexatus in Synodo Ephesina II a Dioscoro Alexandrino, suaque sede ab ipso dejectus, Theodoretus invocans canones Sardicenses qui admittebant ad Romanum Pontificem appellationes, suam causam ad Leonem Pontificem detulit; cumque ab eo fuisset et in communionem receptus et in sedem restitutus et demùm imperiali decreto et irreformabili Concilii Chalcedonensis judicio in proprio munere et honore confirmatus, propagare voluit penes Orientales canones Sardicenses, ut, ita publicum gratitudinis testimonium praeberet ob tantum beneficium acceptum.

De valore et vi legali hujus ceterarumque collectionum graecarum deinceps communi judicio loquemur.

200. Collectio *Joannis Antiocheni.* Joannes cognomento *Scholasticus* quia in ordinem vel scholam advocatorum cooptatus erat, tunc enim causarum patroni scholastici nominabantur, primùm Presbyter Ecclesiae Antiochensis, postea imperatoris Justiniani opera in Sedem Constantinopolitanam intrusus, novam canonum collectionem confecit, alio ordine et methodo distributam.

Cuusa et *Epocha.* Circa finem saeculi VI, anno, ut fertur, 560 suum codicem elaboravit vel scopo studium juris sacri inter advocatos evulgandi, eisdemque pleniorem legum ecclesiasticarum intelligentiam praebendi, vel, prouti alii non immeritò censent, gratiâ benevolentiam et amicitiam imperialem sibi captandi intuitu facilius capessendi Patriarchatum Constantinopolitanum, quod equidem eventus comprobavit; nam, rejecto Eutychio antiste religiossisimo anno 564 in hanc Sedem invasit.

Monumenta. Collectio Joannis Antiocheni eadem documenta continet quae in compilatione Theodoreti Cyrenensis comprehendebantur, levissima additione excepta, scilicèt: 85 canones Apostolorum, 20 Nicaenos, 25 Ancyranos, 14 Neocaesareenses, 21 Sardicenses, 20 Gangrenses, 25 Antiochenos, 59 Laodicenos, 6 Constantinopolitanos, 8 Ephesinos, 27 Chalcedonenses, denique alios 68 canones ex Epistolis S. Basilii eductos.

Methodus et *Extensio.* Haec collectio veluti *perfecta* et *doctrinalis* habenda est, etenim Joannes Scholasticus, ad exemplum Triboniani, Juris Romani periti, qui jussu Justiniani imperatoris *Pandectas* concinnavit, eas in 50 titulos distribuens, suam canonum collectionem adornavit, non temporum aut numerorum serie retenta, sed cunctis per materias in 50 titulos tributis; agens primò de Episcopis, postea de Presbyteris, Diaconis, Hypodiaconis, ac reliquis inferioribus Clericis, postmodùm de Monachis, et postremò de Laicis.

Paulo post evectus Joannes ope Imperatoris ad Episcopatum Constantinopolitanum imperiales etiam leges praesertim ex Codice ac Novellis Justiniani depromptas, servato tamen eodem ordine rerum, codici a se composito de jure ecclesiastico adjecit, unde ortum habuit primus *Nomocanon* seu collectio, in qua canones ecclesiastici cum legibus civilibus conjunguntur.

Animadvertere oportet Nomocanonem Joannis Antiochensis leges et decreta Justiniani integra complecti, canones vero et regulas ecclesiasticae disciplinae tantum in compendium, quod evidenter demonstrat collectorem in mente habuisse Imperatori adblandiri ejusque gratiam assequi vel jam acceptam retinere ad servandam sedem usurpatam.

201. Collectio *Trullana*. Collectio *Trullana* dicta ea est, quae a Graecis vel confecta vel approbata fuit in concilio Trullano: ejusmodi Synodus, quae Latinis conciliabulum est, hoc nomine appellatur a Trullo, secretario palatii Constantinopolitani, ubi habitum fuit; dicitur etiam *Quinisexta*, quod ejus Praesules editis de disciplina canonibus supplere voluerunt defectus generalium Conciliorum V et VI de dogmate tantum agentium.

Causa et *Epocha*. Haec collectio saeculo VII exeunte (692) a Patribus Trullanis elaborata est animo viam sternendi ad chisma orientale, quod jam saeculo V imminebat inter Romanum Pontificem et Patriarcham Constantinopolitanum, uti apertè colligitur ex eo quòd expuncti sunt *canones Sardicenses*, in quibus admittebantur appellationes ad Romanum Pontificem, atque eorum loco recensiti fuere *canones Africani*, inter quos comprehendebantur etiam canones S. Cypriani, qui in controversia de baptismate ab haereticis collato a Stephano Papa dissentiebat.

Monumenta. Collectio, de qua loquimur, juxta pro-

babiliorem canonistarum sententiam, inter quos Berhardius, Donosus, Camillis cum aliis multis, iisdem fere documentis constat, quibus anteriores collectiones, rejectis tamen canonibus Sardicensibus, ut paulo antea innuimus, additisque 102 canonibus Trullani Concilii, 133 vel 132 Africanis de latino in graecum translatis, actis Concilii Constantinopolitani sub Nectario atque Theophilo Alexandrinis anno 394 habiti et in praecedentibus codicibus omissi, ac demùm 161 Epistolis canonicis a praecipuis Patribus et Episcopis Graecis conscriptis.

Methodus et *Extensio*. Hujusmodi collectio quae rectè appellari possit *Codex generalis Ecclesiae Orientalis*, quoniam summo in pretio semper habuit magnaque veneratione coluit, eam locupletans novis atque posterioribus canonibus, *chronologica* atque *perfecta* putanda est, tum quia ordinem temporum servat, tum etiam quòd documentis integrè descriptis coalescit (1).

Collectio *Photii*. Quinta et postrema collectio, celebratissima apud Graecos, *Photiana* nuncupatur, quia eam concinnavit Photius, homo quidem vercipellis et nequissimus, qui, scientia non minus quam execrabili astutia praeditus, omnes superbiae atque ambitionis artes adhibuit, ut tandem in Sedem Constantinopolitanam invaderet gratia et ope Michaelis imperatoris, bellum perpetuum Ecclesiae Romanae indicens et luctuosum schisma orientale consummans ingenti religionis, fidei orthodoxae, verae culturae et animarum pernicie. Rejecto enim Ignatio viro sanctissimo atque legitimo Patriarcha, hic homo exitialis aeterno stigmate damnandus semel et iterum in Episcopatu Constantinopolitano intrusus est et innumeras Orientis gentes a Cathedra Petri et unitatis centro disjunxit.

(1) Integram hanc collectionem cum scholiis Zonarae et Balsamonis hominum schismaticorum Oxinii edidit anno 1672 Guillelmus Beveregius.

Causa et *Epocha*. Suam fecit collectionem saeculo IX pervicaci animo et iniquissimo conatu schisma in perpetuum sanctiendi legibus, moribus et disciplina planè Ecclesiae Occidentali adversantibus, veluti ostendunt conciliabula ipso duce habita.

Monumenta. Collectio Photii plus minusve documenta Trullana complectitur, locupletata tamen nonnullis accessionibus, videlicèt, 22 canonibus in Synodo VII generali (Nicaena II) promulgatis, et 17 canonibus desumptis ex duobus Conciliis ab ipso Photio celebratis, altero in templo SS. Apostolorum, altero in Basilica Sanctae Sophiae.

Methodus et *Extensio*. Haec collectio ratione documentorum inter perfectas annumeranda est et in ea servatur ordo temporum, etsi primo loco concilia generalia inserantur, omnibus Decretalibus Pontificiis expunctis.

Photius, vestigia Joannis Antiocheni sectatus, ut leges civiles cum ecclesiasticis conciliaret, *Nomocanonem* composuit, opus quidem abbreviatum et per ordinem rerum in 14 titulos et 440 capita distributum.

203. *Valor* et *Auctoritas*. Collectionum Graecarum. Collectiones Graecae hactenus recensitae, si *historicè* spectentur, communi suffragio receptae sunt, etenim fateri tenemur magnam fuisse collectorum orientalium sedulitatem, maximum episcoporum graecorum zelum in conficiendis canonibus ecclesiasticis, valdèque universalem horum codicum usum, prouti totius antiquitatis historia in illis remotis regionibus dissitisque ecclesiis testatur.

Si autem *scientificè* inspiciantur, distinctione utendum est et duplici regulae standum: 1.ª ubi non constat haec collectiones haeresi vel schismati favere, caeteris anteponendae sunt, tum quia majori praestant vetustate, tum etiam quia monumenta canonica in lingua originali atque primitiva exhibent; 2.ª ubi vero

causam haeresis vel schismatis propugnare aut agere videntur, summa cautela recipiendae et legendae sunt, quoniam omni suspicione et vitio vacuae minimè censeri possunt, et hoc triplici potissimùm ex capite: 1.° propter *propensionem in schisma* sub Anatolio, Episcopo Constantinopolitano incoeptum, a Concilio Trullano promotum, ac demùm in Synodo Photiana absolutum; 2.° propter *corruptionis suspitionem*, quam facilè deprehendere est in codicibus graecis, aliis enim praetermissis, jam ab Actione XVI Concilii Chalcedonensis legatus Pontificius penes Orientalium exemplaria notabat interpolatum jamdiù fuisse canonem VI Synodi Nicaenae, in quo jura patriarchatus definiebantur; 3.° propter *ipsam indolem collectorum*, exploratum namque est Theodoretum Cyrenaeum haeresis Nestorianae fautorem fuisse, Joannem Scholasticum et Photium in Sedem Constantinopolitanae Ecclesiae invasisse, in schisma orientale proclives exstitisse et juri ecclesiastico operam navasse, non tam pro vindicandis sacris canonibus quam pro stabiliendis legibus civilibus atque imperatorum gratia sibi captanda.

Sub aspectu merè *juridico* praedictae collectiones in Ecclesia graeca vi legali atque magna aestimatione pollent, in Ecclesia autem Occidentali nulla gaudent auctoritate, maximè Codex Trullanus, cujus plures canones Ecclesia omni tempore improbavit, et compilatio Photiana, in qua collecta sunt statuta ab ejusmodi doloso episcopo in favorem schismatis edita.

204. Tribus prioribus Ecclesiae saeculis pro injungenda satisfactione sacramentali sacerdotes arbitrio atque prudentia utebantur; sed a saeculo IV, ne limites transgrederentur in hoc munere fungendo, et nimio rigore vel indulgentia permoti poenitentias nec salutares nec adaequatas imponerent cum magno animarum detrimento, coeperunt in Oriente canones et libri poenitentiales evulgari. Inter Patres graecos, qui

Regulas Poenitentiales tradidere, recenseri merentur: S. Athanasius in Epistola ad Rufinianum, S. Cyrillus Alexandrinus in sua Epistola Canonica, S. Joannes Chrysostomus in Libro Poenitentiali, S. Basilius in Epistolis canonicis ad Amphiloquium, S. Gregorius Thaumaturgus in Epistola de Poenitentia, et demùm S. Gregorius Nizenus in Epistola ad Letojum.

Simul etiam nonnulli prodiere Codices Poenitentiales, quorum praecipui memoratu digni exstitere Collectio Joannis *Monachi*, qui sese S. Basilii discipulum jactabat, ac Compilatio Joannis *Jejunatoris*, illius equidem percelebris Constantinopolitani Episcopi, qui nomen Patriarchae Oecumenici sibi vindicans, occasionem praebuit S. Pontifici Gregorio Magno titulum adhibendi *Servi servorum Dei* in suis Constitutionibus pro tanta arrogantia profliganda atque frangenda.

205. Expositores juris tempore recentiori apud Graecos laudandi memorantur: Zonaras, qui anno 1120 floruit, et Balsamon Archiviis Ecclesiae Constantinopolitanae Praefectus, postea Patriarcha Antiochenus (1170). Inter collectiones eorum, qui post schisma Photianum canonibus congerendis operam dederunt, principem locum obtinent: *Epitome* Simeonis Logothetae, qui saeculo IX viguit; *Synopsis* Alexii Aristini, Ecclesiae Constantinopolitanae Diaconi; *Epitome Canonica* Constantini Harmenopoli Thessalonicensis; *Nomocanon* Michaelis Pselli versibus vulgatum et typis editum in Gallia anno 1632; *Nomocanon* Arsenii; sed omnibus praestat magna *Compilatio* canonum a Mattheo Blastaresio, Monacho Graeco saeculo XIV elaborata.

206. Coronidis gratia aliquid breviter dicemus de jure novissimo Graecorum. Multiplices sectae quibus nomen dedere Graeci schismatici, codice peculiari utuntur coalescente partim antiquis canonibus, partim regulis et decretis spiritui et errori uniuscujusque sectae accommodatis.

Apud Nestorianos viget codex confectus a Patriarcha Elia I et Ebbed-Jesu, ejus successore in Sede Nisibena; apud coptos, Patriarchae Alexandrino subjectos, codex Macarii, ejusdem Ecclesiae Presbyteri; apud Jacobitas, codex Joannis Berebrei, Primatis Orientis; apud Rutenos, codex antiquus Graecis communis; sed post consummatam separationem a Patriarcha Orientali, jus sacrum Ecclesiae Rutenae decretis Synodorum nationalium et principum constitutionibus auctum est. Tandem suppresso Patriarchatu Moscoviensi a Petro Magno, et Sancta Synodo instituta, quae sub Imperatoris praesidentia duodecim Episcopis constat, editae sunt plures aliae imperiales leges, quae adhuc vigent et jus novissimum constituunt.

ARTICULUS III

SUMMARIUM.

207.—Collectiones Ecclesiae Latinae.—208 —Codex *primigenius* —209. —Versiones nuncupatae *Isidoriana* et *Prisca*.—210.—Collectiones Ecclesiae Romanae.—211.—An exstiterit in Ecclesia Romana aliquis Codex ante Dionysianam Collectionem.—212.—Collectio Dionysii *Exigui*.—213.—Auctoritas Codicis Dionysiani.—214.—Collectio dicta *Hadriana*.

207. De Collectionibus Latinis modo dicturi, claritati et ordini consulentes, eas in duas classes distinguemus, *generales*, nempe, et *particulares*. Collectiones *generales* appellatae ad tria capita revocari possunt, quorum alterum Codicem *primigenium* scrutatur; alterum de versionibus *Isidoriana* et *Prisca* disserit, postremum vero Collectiones Ecclesiae Romanae singillatim perpendit.

208. Longo persecutionum intervallo, quibus Caesares Romani nomen christianum delere et religionem catholicam expugnare conati sunt, Ecclesia Occiden-

talis suum regimen ac politiam regulis ex Sacra Scriptura et traditione deductis attemperavit, ita ut tota ferè disciplina moribus atque consuetudine magis, quam jure scripto plerisque in rebus constaret. Sed postquam habita est Nicaena Synodus, ejus canones latinè redditi sunt, iisdemque uti coepit Latina Ecclesia una cum Sardicensibus, quoniam hoc Concilium tamquam Nicaeni appendix semper spectatum fuit. Ejusmodi Conciliorum canones Codicem, quem *primigenium* vocamus, efformant, siquidem ad aetatem remotissimam post pacem Ecclesiae subsequutam immediatè assurgit.

Haec assertio apertè comprobatur luculentis testimoniis Innocentii I qui, ad Clerum et Populum Constantinopolitanum scribens, ita inquit: *Quod autem ad canonum observationem attinet, solis illis parendum esse dicimus, qui Nicaea definiti sunt; quos solos sectari et agnoscere debet Ecclesia Catholica* (1): et ad Theophilum Alexandrinum loquens sic prosequitur: *Tu igitur si judicio confidis, siste te ad Synodum quae secundum Christum fuerit, et ibi expositis criminationibus sub testibus Nicaeni Concilii canonibus (alium enim canonem Romana non admittit Ecclesia), securitatem habebis contradictionis expertem* (2).

Ex quibus verbis ritè interpretatis, prouti observant Fratres Ballerini, evidenter colligitur ad tempora usque hujus Pontificis Romanam Ecclesiam Nicaenos tantùm canones agnovisse simul cum Sardicensibus.

209. Praeter hunc primigenium codicem canones Nicaenos et Sardicenses complectentem, temporum tractu Graecorum collectio privato studio latinè reddita est. In dubium revocari nequit, quin ante Dionysium plures factae sint vetustissimi Graeci codicis latinae

(1) In Epist. 7.
(2) Epist. 5.

versiones; sed duae praecipuae èt celebriores in manibus omnium versabantur, altera quae *Isidoriana*, altera quae *Prisca* nominatur; utraque ferè eodem tempore prodiit, quamvis illa videtur esse antiquior; utriusque auctor prorsus ignotus est: nam licèt prima *Isidoriana* dicta sit eo quòd vel cuidam episcopo Isidoro vel S. Isidoro Hispalensi falso adscriberetur utpote ex ejus collectione vulgata; et secunda *Prisca* appellata puritate lectionis et antiquitate interpretationis S. Leoni Pontifici tributa fuerit, utraque sententia certè commentitia judicanda est, quia nec Isidoriana aetati atque stylo clarissimi Doctoris Hispalensis respondet, nec Prisca, contextu et sermone rudi spectatis, cum oratione soluta atque perpolita, quae in operibus S. Leonis crebro adhibetur, componi valet.

Tam Isidoriana quam Prisca versio canones Nicaenos, Ancyranos, Neocaesareenses, Gangrenses, Sardicenses, Antiochenos, Laodicenos, Constantinopolitanos et Chalcedonenses continet. Initio, prout censet Devoti, fortassè non omnes hos canones comprehendebat, sed novas recentiori aetate aliorum canonum accessiones accepit.

Auctoritate publica et vi legali nunquam potitae sunt, quoniam ecclesiasticam sanctionem non obtinuerunt; hinc documenta latinè reddita in his vetustissimis collectionibus tantum valoris habent, quanta auctoritate gauderent canones in se spectati (1).

210. Tres sunt celebriores Ecclesiae Romanae collectiones, quae prima periodo tot latebris obvoluto ad nos usque pervenerunt, videlicèt: Dionysiana, Hadriana atque Isidoriana. De iis tantum sermonem specialem

---

(1) Versio *Prisca* Graecorum canonum ea solet appellari, quam ex antiquo *MS*. codice vulgarunt Henricus Justellus et Guillelmus Voellus *in Biblioth. Jur. Canon.*: eam diligentius recognitam et emendatam iterum ediderunt Fratres Ballerini *in Appendic. ad opera S. Leonis Magni*, *tom.* 3.

instituemus, etenim caeterae omnes tres memoratas prae oculis habuerunt.

211. Sed prius aliquid attingere debemus de quaestione historico-critica, olim magno animarum aestu inter Van-Spen Jansenianorum antesignanum atque canonistas catholicos agitata, hodiè inter res merae eruditionis amandata. A viris doctis solet inquiri, an Ecclesiae Latinae Codex aliquis ante Dionysianam collectionem extiterit; quis ejus auctor; quosnam canones complexus fuerit; num adhuc supersit (1). Nihil hac super controversia certum exploratumque habetur, atque critici in varias sententias abierunt.

Alii cum Devoti, Cennio, atque Ballerini contendunt omnes hujus remotissimae aetatis collectiones privato studio fuisse confectas, ideoque nullam earum constituere potuisse codicem canonum, qui publica auctoritate receptus jus Latinae Ecclesiae contineret. Ejusmodi scriptores arbitrantur codicis loco usque ad VII saeculum Romanae Ecclesiae fuisse Bibliothecam, quae dicebatur *Archivum, Schrinia, Chartarium*, ubi Decretalium autographa, atque acta et canones Conciliorum, caeteraque Ecclesiastica monumenta servabantur. Pro sua sententia adducunt S. Hieronymum, qui, adversus Rufinum scribens, hunc de litteris ab Anastasio I ad Joannem Hierosolymitanum datis dubitantem ad *Chartarium* provocat. Proferunt etiam Litteras a comprovincialibus Episcopis metropolis Arelatensis ad S. Leonem Magnum missas, quae vim omnem et auctoritatem Decretorum Zosimi Pontificis non ex aliquo canonum codice, sed ex *Schriniis* Sedis Apostolicae repetunt.

Existimant alii cum Soglia, Camillis atque Huguenin, quibus ultrò assentimur, ante Dionysii collectionem

(1) Tota quaestio versatur de Codice, qui non solum conciliorum canones, verum etiam Decretales Pontificias exhiberet, nam de collectionibus merè conciliaribus nulla dubitatio oboriri possit, cum apud omnes notae sint Versiones Isidoriana, Prisca aliaeque, quas praetermissimus.

quemdam exstitisse canonum codicem Decreta Conciliaria et Constitutiones Pontificias complectentem, qui publicam auctoritatem obtinuit, quo equidem, Innocentio, Zosimo et Leone Pontificibus Ecclesia Romana usa est.

Pro hac sententia constabilienda conspirant acta Chalcedonensis Concilii et authenticae Decretales Summorum Pontificum. Et re quidem vera, cum in actione XVI hujusmodi Synodi disputatio orta esset super canonem VI Nicaeni Concilii, de juribus Episcoporum Constantinopolitarum et Romanorum Pontificum, ad unum Codicem Legati Pontificis, ad alium Graeci provocarunt, quod manifesto argumento est, tam Ecclesiae Orientali, quam Occidentali suum Codicem fuisse.

Praeterea, S. Siricius Pontifex in Epistola ad Hicmerium Episcopum Tarraconensem ipsum hortans ad servandos canones, et tenenda Decretalia constituta, generalem illam et scitissimam sententiam tulit: *Statuta Sedis Apostolicae vel canonum venerabilia definita nulli Sacerdotum Domini ignorare sit liberum* (1). Quod frustra Pontifex jussisset, nisi Codex in promptu fuisset, ex quo Sacerdotes sacrorum canonum notitiam haurire potuissent.

Tandem S. Leo Magnus in variis suorum operum locis (2) memorat Decretalia *constituta Decessorum* suorum, quae proculdubio pro nihilo haberentur in re canonica et disciplinari, nisi facilè fuisset omnibus ipsa *constituta* Pontificia consulere et in medium, data occasione vel urgente necessitate, proferre (3).

212. Collectio *Dionysiana.* Dionysius, natione Scytha, professione monachus, moribus et domicilio Ro-

---

(1) Epist. I *ad Hicmer. Tarracon.*
(2) *Epist.* 4, *cap.* 5. *opp. Tom.* I, *edit. Venet.* 1753.
(3) Quesnellus *in appendice operum S. Leonis Magni* Codicem protulit, quo Romanam Ecclesiam ante Dionysium Exiguum usam esse contendit; sed huic Codici nec auctoritas, nec fides ulla ab eruditis tributa est.

manus, cognomento *Exiguus* (1), scientia atque doctrina maximus, pietate ac vitae integritate praeclarus, juxta Cassiodori, Thritemii, Bellarmini aliorumque scriptorum testimonia, collectioni canonum, omnium celebratissimae et auctoritate maximae, in usum Latinae Ecclesiae operam dedit.

Causa et *Epocha*. Hanc novam et accuratiorem canonum collectionem, saeculo VI ineunte, Dionysius Romae degens (2) aggressus est, cum ipse esset latina et graeca lingua peritissimus, hortantibus Laurentio Romanae Ecclesiae diacono et Stephano Episcopo Salonitano in Dalmatia, propterea quòd graecorum canonum latina versio obscuritate et confusione magna laborabat.

Post hanc versionem seu latinam canonum compilationem, Dionysius rogatus a Juliano Romanae Ecclesiae presbytero Summorum Pontificum Decretales a Siricio usque ad Anastasium II, cujus sub pontificatu Romam venerat, addidit; quare Codex iste Dionysianus duabus partibus constat, quarum altera Conciliorum canones, altera vero Pontificias Decretales complectitur.

Monumenta. Dionysius in prima parte suae collectionis congessit 50 canones Apostolorum; tum canones graecos juxta Codicem antiquissimum, quo Patres Concilii Chalcedonensis usi sunt, licèt elegantius latinè redditos, videlicèt, Nicaenos, Ancyranos, Neocaesa-

(1) Dionysius dictus est *Exiguus*, non quidem ratione staturae, quòd corpore pusillus esset, uti plures existimarunt, sed modestiae et humilitatis causa secundùm antiquum monachorum morem. Sic Anasthasius Bibliothecarius sese *exiguum* appellavit in *Apologia* pro Honorio ad Joannem Diaconum; ita etiam S. Bonifacius Moguntinus sese *exiguum* nominare solebat, prout deprehendi potest ex ejus Epistolis.

(2) Dionysius Romam venerat pro vindicandis apud Sanctam Sedem monachis Scythiae, qui per ea tempora sequentem defendebant propositionem: *unus de Trinitate passus est*. Ut causam ageret monacorum, versiones latinas canonum graecorum inquisivit, *archia* consuluit, *schrinia* evolvit, et hac occasione vitiosam lectionem atque incorrectam codicis orientalis interpretationem detexit.

reenses, Gangrenses, Laodicenos, Antiochenos et Constantinopolitanos; tum canones ipsius Chalcedonensis Synodi, omisso ultimo (28) de aequalibus privilegiis Episcoporum Romani et Constantinopolitani a Latinis numquam recepto; tum etiam Sardicenses; denique ex latinis 130 canones Africanos, partim descriptos ex Concilio Carthaginiensi, quod anno 419 celebratum est, partim conditos vel confirmatos in veteribus Synodis Africanis.

In secunda parte Romanorum Pontificum Decretales collegit, incipiendo a Syricio, qui Pontificatum gessit sub fine saeculi IV (385), et desinendo circa finem saeculi V ad S. Anastasium II, qui Pontificatum obtinuit usque ad annum 498 (1).

Methodus et *Extensio.* Dionysius tam in Conciliorum canonibus colligendis, quam in edendis Pontificum Decretalibus ordinem temporum sequutus est, documenta integra referens, et quidem fideliter interpretata et correctione castigata, unde non solùm perfecta, sed omni aestimatione valdè digna censenda est.

213. *Valor* et *Auctoritas.* Quod ad Dionysianae Collectionis valorem attinet, omnibus compertum est hunc Codicem *historicè* spectatum apud Latinos unanimiter fuisse receptum et maximam sibi promeruisse existimationem (2). In ordine *scientifico* ejusmodi compilatio omni fide dignissima semper habita est tum propter collectoris scientiam singularemque peritiam, cum ob ejusdem integerrimam probitatem quae falsi-

---

(1) Censent eruditi Dionysium primam suae collectionis partem aut sub Anastasio II aut sub Symmacho, qui proximè Anastasium sequutus est, edidisse; sed partem alteram post Anastasii obitum certè vulgatam esse. Nam in ea sunt Anastasii epistolae, non item Symmachi, et cum Dionysius dicat *se praeteritorum Sedis Apostolicae Praesulum constituta collegisse*, apertè eruitur hanc partem, quae Anastasii Epistolas habet, eo mortuo in lucem editam fuisse.

(2) Medio VI saeculo, Cassiodorus ajebat: *Quos* (alludens nempe canones Graecos a Dionysio latinè redditos) *hodiè usu celeberrimo Ecclesia Romana complectitur.*

tatis vel fraudis suspicionem penitus excludit: quoad scientiam, Cassiodorus Dionysio coaevus testatur (1) hunc hominem in graeco atque latino idiomate versatissimum fuisse, et Decretalium Pontificiarum notitiam plenissimam assequutum esse, utpote Romae degentem et omnium documentorum diligentissimum inquisitorem: de ipsius probitate dubitare nequimus, siquidem idem Cassiodorus Dionysium nobis exhibet tamquam virum maxima pietate praeditum praeclarisque virtutibus fulgentem, moribus omnino Romanum et ab usibus nationis Scythae prorsus alienum.

Sub aspectu *juridico*, quamvis collectio Dionysiana privata auctoritate confecta est, tamen ab Ecclesia Romana recepta probataque fuit, cum praesertim Summus Pontifex Hadrianus I illam monumentis quibusdam auctam Carolo Magno Romae versanti donaverit (2); ut enim appositè animadvertit J. Baptista Bartoli: "Neque fit verisimile Pontificem Summum canonum Codicem, quem non ipse omnino probaret, per Gallias aliasque regiones divulgari voluisse (3)."

214. Collectio *Hadriana* dicta est idem codex Dionysianus quibusdam accessionibus locupletatus: vocatur *Hadriana*, non quòd hujus collectionis sive harum additionum auctor ipse Hadrianus fuerit, sed quia iste Summus Pontifex Carolo M. Francorum regi Romam venienti tradidit; appellatur etiam *Codex canonum* antonomasticè, propter summam, qua gaudebat, auctoritatem, cum praefatus Pontifex collectionem ipsam probasse videretur.

Collectioni Dionysii Exigui additamenta, quae Hadrianam constituunt et a Dionysiana distinguunt, facta

---

(1) *Divinarum Lectionum, cap.* 24.

(2) Jacobus Sirmondus observat, quod Carolus Magnus, Hadriano I Pontifice ter Romam venit, et Constantius putat ei in primo ejus adventu collectionem illam traditam fuisse.

(3) *Jur. Can Instit. cap.* 47.

sunt tum in priori, tum in posteriori parte per studiosum quemdam hominem adhuc ignotum.

Praecipua monumenta quibus Collectio Hadriana ditata est, revocari possunt ad Epistolas Decretales sex Romanorum Pontificum, nimirùm: S. Hilarii, Simplicii, Felicis, Symmachi, Hormisdae et Gregorii II.

Valorem historico-scientificum et vim magnam canonico-legalem semper obtinuit, tum quia Apostolicam auctoritatem prae se tulit per donationem Hadriani Carolo Magno, tum etiam quia piissimi Imperatoris opera communi suffragio in Gallia recepta est.

ARTICULUS IV

SUMMARIUM.

215—Collectio *Isidoriana.*—216—Quaenam in ea spectari debeant.—217.—Quaestio *historica.*—218—Origo et auctor.—219—Methodus hujus Collectionis.—220—Auctoritas.—221—Epocha in qua detecta est falsificatio.—222—Quaestio *critica.*—223—An Romanorum Pontificum fraudi vel ambitioni tribuenda sit Isidori Mercatoris Compilatio. 224—An jura Primatus impropriè vocata *adventitia* innitantur hisce Decretalibus.—225—Quid de *genuinitate* hujusmodi Collectionis censendum sit. —226—Monumenta quibus constat.—227—Quaestio *juridica.* —228—Quemnam valorem dogmaticum habeat.—229—An novam disciplinam invexerit.—230—Utrum Disciplina Decretalium *nova* dicta vim receperit a merce Isidoriana.

215. De Collectione *Isidoriana* sermonem specialem instituimus ad veritatem historicam restabiliendam, Apostolicae Sedis causam tuendam, ejusque adversariorum incursus rejiciendos; propulsare enim cogimur triplicem accusationem, quam Centuriatores Mardeburgenses, Febroniani, Janseniani, aliique id genus infensissimi hostes Ecclesiae Romanae ejusque Rectoribus Summis Pontificibus summa injuria atque nefario conatu intulere. Omnes isti sceleratissimi homines, conspiratione communi inita, blaterare et totis viribus de-

clamare ausi sunt Collectionem Isidorianam artibus, superbiae atque industriae Romanorum Pontificum tribuendam esse; causam et originem exstitisse exaltationis, usurpationis et omnimodae prepotentiae, qua medio aevo Auctoritas Pontificia usa est; veterem disciplinam omni veneratione dignissimam prorsus immutasse ejusque loco abusus et innovationes, quae *Jus Novum* constituunt, per summum nefas in Ecclesia suffecisse.

Tot calumniae tantaeque ineptiae disjicientur recta et ordinata expositione hujus controversiae in lyceis catholicis tam juris, quam theologiae, totiès agitatae.

216. Ut totam rem perspicuè dilucidemus et debito ordine hanc disquisitionem absolvamus, in controversia de Decretalibus Isidorianis triplicem, ut ita dicam, aspectum distinguere oportet, scilicèt: *historicum, criticum* atque *juridicum.* Sub quolibet capite vel peculiari respectu materiam haud quidem difficultatibus expertem enucleabimus.

217. Incipiendo a quaestione *historica* notare debemus illam circa quatuor capita discernenda versari: originem et auctorem Collectionis, methodum atque extensionem, valorem et auctoritatem, epocham in qua falsificatio detecta fuit.

218. Ejusmodi collectio prodiit in Germania, fortassè Moguntiae, tamquam ex Hispania allata, sub titulo Isidoris Mercatoris, vel juxta alios codices, Peccatoris, quod nomen tunc humilitatis causa a pluribus assumebatur. Videtur edita circa medium saeculum IX; nam, cum hinc referat canones Concilii Parisiensis anno 829 habiti; item loca ex Litteris Gregorii IV anno 832; item decreta Concilii Aquisgranensis anno 836 celebrati; sed hinc anno 857 afferatur in Diaeta Imperii, non immeritò concludi potest eam ab anno 836 usque ad 857 elaboratam esse.

De auctore hujus collectionis sex opiniones numerantur apud criticos, quas omnes breviter expendemus:

1.° Cardinalis Aguirre eam S. Isidoro Hispalensi tribuit; 2.° alii canonistae Praesuli Hispano adscribunt; 3.° Pater Burriel cum aliis testimonio Hincmari Rhemensis nixus asserit a Riculpho, Archiepiscopo Moguntino fuisse confectam; 4.° Abbas Andreas autumat auctorem fuisse aliquem ex Episcopis qui in Concilio Theonvillae depositi sunt, sive Agobardum Lugdunensem, sive Ebbonem Rhemensem; 5.° D. Petrus Morales in Universitate Matritensi Professor Ebboni Rhemensi opus adjudicat; 6.° Cavagnis, Huguenin, Bianchi, aliique plures probabiliùs arbitrantur verum auctorem habendum esse Benedictum, Diaconum Otgari Episcopi Moguntini, damnati anno 835 ob crimen rebellionis adversus Ludovicum Pium patratum.

Ex his omnibus sententiis tres priores utpote apertè falsas refutare tenemur: et ad primam quod respicit, planè ignoramus qua mente et quibus rationum momentis Cardinalis Aguirre, vir aliàs de re canonica optimè meritus et mira eruditione praeclarus, S. Isidoro Hispalensi memorati operis confectionem adscribere non dubitaverit, memoriam tanti Doctoris labe falsificationis in posteros obumbrando.

Ejusmodi Aguirre commentum omnino rejicimus multiplici capite: 1.° quia fallacia atque impostura minimè componi possunt cum fama, scientia ac sanctitate clarissimi Hispaniaram Doctoris; 2.° in collectione Isidoris Mercatoris habentur canones a Toletano V usque ad XIII Concilium excerpti, quae quidem Concilia post S. Episcopi mortem celebrata sunt; 3.° haec compilatio Isidoriana appellata neque in Hispania cognita fuit, neque ullum quidem ejusdem exemplar quovis tempore est inventum, etsi plurimi codices vetustissimi in nostris archiviis et bibliothecis servati sunt; 4.° Codices in aliis Ecclesiis reperti nunquam titulum *Isidori Hispalensis* exhibent; 5.° Episcopi Hispani nullo epitheto vel cognomento Peccatoris aut Mercatoris uti assueverunt

in subscriptione, sed tantùm nomen Ecclesiae vel Dioecesis, cui praefecerant, meminere.

Refellendum quoque putamus placitum eorum, qui alicui Praesuli natione Hispano fallaciam Isidorianam imputare veriti non sunt, sequentibus argumentis suffulti: 1.° si collector Hispaniae ortus esset, in suo opere retulisset non solùm quinque Epistolas Decretales ad Episcopos Hispanos missas, verùm etiam plures alias, quae jam in collectione Canonico-Gothica inveniebantur; 2.° mos subscribendi nomine supposito aut ementito apud Hispaniam non invaluit, crebro autem penes Episcopos Galliae, uti videre est in actis Synodorum Turonensis I et II atque Parisiensis II; 3.° nec Isidorus Pacensis, nec Isidorus Setubensis, qui hisce remotis temporibus floruere, huic ingenti operi, quod ingenium non exiguum et diligentiam valdè solertem postulabat, incumbere potuere, cum hac nefasta aetate, Agarenorum invasione consummata, tot ingruerent mala, tantae clades atque undique angustiae; 4.° mens falsificatoris in eo sita est, quòd jura libertatemque Episcoporum tueretur adversus vim et oppressionem Metropolitarum, qui, more feudali tunc grassante, illos saevè vexabant atque pro lubitu judicantes injustè damnabant; sed ejusmodi violentiae et tyrannidis exempla in Hispania memorari nequeunt, quippe consuetudines, regimen atque judicia feudalia propter ipsam *restaurationis* indolem apud nos usum acceptationemque obtinere minimè poterant. Sententia igitur, quam impugnamus, veritati historicae, decori episcopali et Ecclesiae Hispanicae gloriae manifestè adversatur.

Tertia opinio simplici animadversione historica disjicitur: Riculphus vel Ficulphus, Rabani Mauri antecessor, Episcopatum Moguntinum gessit ab anno 786 ad 814 in quo animam Deo reddidit, ergo compilatio facta post Riculphi mortem et monumenta edita recentiori aetate ipsi adscribi non possunt.

Postrema sententia collectionem Isidorianam Benedicto Moguntiae Diacono adjudicans, majori probabilitate gaudet et pro se habet hasce rationes, quae viro critico nobis ponderanda videntur: 1.ª circa annum 850 levita Benedictus collectionem adornavit Capitularium Caroli Magni et Ludovici Pii nondum compilatorum in tres libros distributam, in qua fragmenta Decretalium Isidori inseruit, quod innuere videtur saltem additamenta ultima codicis isidoriani ab hoc diacono profecta esse; 2.ª observant viri docti stylum in Praefatione collectionis Capitularium usitatum valdè consonum esse sermoni atque dictioni celebris compilationis isidorianae; 3.ª in praelaudata Praefatione praevalet ac comperitur eadem mens, propensio et scopus, quem sibi prestituit Isidorus Peccator in concinnando suo opere, quae omnia vehementem suspicionem inducunt de *moguntina* origine et paternitate *benedictina* partus isidoriani.

219. Haec collectio post praefationem tribus partibus constat: prima pars continet ordinem celebrandi Concilii, dein 50 priores Canones Apostolorum, postremo loco epistolas priorum Romanorum Pontificum a S. Clemente I usque ad S. Sylvestrum; secunda complectitur decreta Nicaeni et aliorum Conciliorum sive graecorum sive latinorum in certas classes distributa; tertia exhibet reliquas Summorum Pontificum Decretales epistolas a Sancto Sylvestro usque ad Sanctum Gregorium Magnum.

220. Collectio Isidori Mercatoris, ex quo edita est, pacificè fuit ubique suscepta, exceptis nonnullis capitibus rejectis ab Hincmaro Rhemensi aliisque Galliae episcopis, tantumque auctoritatis apud omnes consequuta est, quanta veris sincerisque Canonibus et Decretalibus tribueretur, et quod mirum videtur, ejusmodi vi atque aestimatione potita est non tantum in Occidentali, sed quoque in Orientali Ecclesia; etenim

Nicephorus (1) litteras Antheri et Callixti memorat, quamvis erroneè Callixtum nuncupet Caelestinum. Et sanè vix publicatus Codex Isidorianus ita vigere et in tanto pretio haberi coepit, ut Theologi omnes, Canonistae et ipsa Concilia Decretalibus aliisque documentis in compilatione relatis uterentur, quin per annos ferè septingintos ullus inveniatur vel historicus vel criticus, qui solido fundamento innixus de genuinitate monumentorum dubitaret.

Scimus certè Hincmarum Rhemensem atque aliquos Galliae episcopos, prouti supra innuimus, quaedam capita Isidori rejecisse; sed ex ipsius Hincmari testimonio constat, causam ejusmodi repugnantiae merè juridicam, non vero criticam fuisse: nam Isidorus Mercator statuerat judicia criminalia episcoporum recensenda esse inter causas majores ad Sanctam Sedem ferendas; item celebrationem conciliorum provincialium Romani Pontificis permissione indigere, aliaque id genus, quae episcopis contra metropolitas favebant. Nunc vero haec omnia decreta Hincmarum directè attingebant, qui pro more suo, vi adhibita, causam celeberrimam habebat cum duobus episcopis, Hincmaro Laudunensi ejus nepote, quem in Synodo provinciali judicaverat, deposuerat et in carcerem misserat, atque Rothaldo Suessionensi, deposito etiam in concilio provinciali Silvanectensi anno circiter 863, utroque ad Pontificem Nicolaum I appellante, qui equidem appellationem suscepit et jura episcopalia laesa suprema sua potestate vindicavit.

221. Quamquam anno 1160 Petrus Comestor, canonicus Parisiensis, nonnulla dubia excitaverat de genuinitate Decretalium Isidori, primus omnium, qui eas in examen revocavit apertèque rejecit, fuit Cardinalis Cusanus (2) medio ferè saeculo XV (anno 1450) quod quidem satis est evincere ineptam esse et prorsus

(1) *Hist. Eccl. lib.* 4, *cap.* 39.
(2) *Concord. Cath. lib.* III, *cap.* 2.

a veritate historica alienam assertionem Centuriatorum Magdeburgensium contendentium se scriptores saeculi XVI primos omnium detexisse imposturam et fallaciam Isidori Peccatoris.

Cardinalem Cusanum sequuti sunt Bellarminus, Baronius, Du-Perronius atque ingens multitudo canonistarum, cui praeest inter nostrates egregius D. Antonius Augustinus, Archiepiscopus Tarraconensis, Patriae decus et Fori ornamentum, qui, initio saeculi XVII, inquisitionem criticam suorum praedecessorum prosequens, etiam fontes ostendit, ex quibus Isidorus merces suas deprompsit.

222. Quaestio *critica* quatuor alia controversiarum capita comprehendit, quae ope historiae atque critices dilucidanda erunt, videlicèt, causam confectionis, efectum publicationis, genuinitatem collectionis atque monumentorum classificationem, de quibus singillatim perpauca tractabimus.

223. In primis enim Centuriatores Febronii asseclae et turba magna Jansenistarum asseverare conati sunt Romanorum Pontificum fraudi et machinationibus collectionem Isidorianam esse tribuendam; sed hujus imputationis falsitas et dolus ejusmodi sectatorum quamfacilè detegitur, cum evidenter constet insciis Summis Pontificibus falsas Decretales et alia monumenta fuisse confecta, prouti argumentis historicis verè ineluctabilibus planè ostenditur: 1.° S. Leo IV anno 847 ad Petri Cathedram evectus, ad Britanniae Episcopos anno 849 rescribens, respondebat Sedem Apostolicam in judiciis ecclesiasticis non alias Decretales et canones sequi praeter eos, qui apud Dionysium Exiguum exstabant, quod manifestè innuit adulterina Isidori documenta Romae cognita non fuisse, aut saltem non recepta; 2.° Rabanus Maurus, qui anno 814 Riculpho in Sede Moguntina successit, falsas Decretales quae antesiricianae vocantur et in prima parte Co-

dicis Isidoriani habentur, non memorat; 3.° Summus Pontifex Nicolaus I appellationem recipiens Hincmari atque Rothaldi, qui a Synodo provinciali ad ipsum provocaverant, respondebat ad Hincmarum Rhemensem Concilii praesidem et ad Episcopos Galliae causas omnium episcoporum esse majores, et non tantùm metropolitarum, ut contendebat Hincmarus; atque jus pontificium eas judicandi non ex Decretalibus Isidori repetit, sed ex ipsa natura primatus pontificii.

224. Non minus falsitatis arguuntur Janseniani caeterique Ecclesiae Romanae vaferrimi hostes summa injuria blaterantes Decretales Isidorianas auctoritatem pontificiam usque ad summum extulisse Episcoporumque Romae potestatem novis juribus atque insolitis praerogativis Metropolitis arreptis cumulasse: inter multiplices rationes quae nobis suppetunt pro hac stupida accusatione disjicienda, levi insinuatione contenti erimus: 1.° Primus Pontifex, qui monumenta Isidoriana protulit, fuit Nicolaus II sub finem saeculi XI, hoc est, duobus saeculis transactis postquam edita et ubique recepta fuerat collectio; si Romani Pontifices intendissent suam auctoritatem augere et ampliare, vel sibi persuasum esset ab ejusmodi compilatione jura atque privilegia Sedis Apostolicae fuisse repetenda, equidem illam confestim suscepissent, et adducere festinassent documenta jam universim cognita et propriae ipsorum causae valdè propitia; 2.° ante saeculum XI quo Romae vel agnitus vel acceptus fuit Codex Isidorianus, et ante IX saeculum, quo tempore, ut fertur, opus elaboratum est, luculenter apparet ex monumentis totius antiquitatis christianae Summos Pontifices jura exercuisse, quae Febronius et Janseniani falso et injuriosè *adventitia* vel *accidentalia* nuncupant, utpote a falsis Decretalibus derivata; conferantur in comprobationem hujus veritatis verba Pontificis Julii I ad Episcopos Orientales: *An ignoratis hanc esse consuetudinem, ut primùm*

nobis scribatur, et hinc quod justum est, decernatur? (1); memoretur Vicariorum Apostolicorum institutio vetustissima aetate a tot Pontificibus facta; iterùm atque iterùm legatur celeberrima responsio, quam supra indicavimus, Papae Nicolai I ad Hincmarum Rhemensem et Episcopos Galliae, ut alia multa praeteream quae in medium afferri possent; 3.° ipse compilator, uti animadvertunt Ballerini, ne quidem remotè cogitavit dominatum pontificium tueri aut Sedis Romanae jura stabilire; ex eadem operis Praefatione meridiana luce patet falsificatorem triplicem scopum sibi proposuisse, nimirùm: metropolitarum potentiam frangere, quae passim in tyrannidem deducta est; libertati et indemnitati Episcoporum consulere adversum oppresiones et frecuentes Conciliorum provincialium abusus; Primates Patriarchis aequales constituere, ut ita quibusdam limitationibus auctoritas metropolitica imminueretur.

225. A saeculo XV, quo mercis Isidorianae fraus detecta est, viri eruditi in falsas Decretales ita diligenter scrutati sunt, ut hodiè recentioris critices opera plenè probata sit suppositio, quin nemo jam de fallacia Isidori ambigere jure possit. Adversus genuinitatem primae partis collectionis Isidorianae aliorumque etiam monumentorum secundae et tertiae partis militant firmissima argumenta tum *extrinseca*, tum *intrinseca*.

En praecipua argumenta *extrinseca:* 1.° Decretales ante-siricianae ab universa antiquitate ignoratae sunt; exceptis enim duabus epistolis S. Clementis I ad Corinthios et nonnullis fragmentis, caeterae ignotae sunt, non quòd Pontifices Decretales non scripsissent, sed quòd temporum injuria perierant, seu conservatae non fuerant; 2.° Octo priora Oecumenica Concilia atque veteres Patres et Scriptores Isidorianae collectionis monumentorum, et potissimum Decretalium epistolarum,

(1) *Epist.* 1, *Tom.* 1, *Epist. R. P. Const.* col. 386.

quae partim ad fideles omnes, partim ad omnes Germaniae, Italiae, Galliae, aliarumque Ecclesiarum Episcopos inscriptae sunt, non meminerunt, etsi intererat illorum in controversiis tunc temporis exortis eadem documenta in medium afferre; 3.° Dionysius Exiguus, diligentissimus Collector, qui Romae commorabatur sub finem saeculi V, non alias Decretales potuit invenire quam a Siricio saeculo IV exeunte (385).

Validiores equidem apparent probationes quae *intrinsecè* petuntur ex *citatione, dictione, computatione* et *loquutione;* nam 1.° adducuntur plura Scripturarum loca in Decretalibus trium priorum saeculorum juxta versionem Hieronyminianam, quae nondum edita erat; similiter inseritur tamquam S. Isidori Hispalensis quaedam collectio ex novem Conciliis conflata, Toletanis octo a V ad XIII, Bracharensi altero, quae post ipsius mortem esse celebrata apud eruditos constat; 2.° adhibentur voces Archiflaminum, priorum Flaminum, Primatuum, Archiepiscoporum, Apocrysariorum, quae ab aetate et usu veterum Pontificum alienae putandae sunt, dum econtra omnino siletur de persecutionibus, martyribus, libellaticis, lapsis, deque rebus et statu eorum temporum; 3.° leguntur in Decretalibus antiquissimis notae consulares evidenter falsae, vel quia Consules referunt, qui in consularibus fastis nunquam fuere, vel Consules nominant, qui certè non exstitere ea aetate, qua supponitur editas fuisse Epistolas Pontificias; 4.° in tot Decretalibus ab auctoribus diversae plane indolis, aetatis ac morum conscriptis invenitur semper idem sermo rudis et barbarus a nitore pristini illius temporis prorsus alienus, idem stylus, constantes periodi, identicae rationes, uniformae constructiones atque idiotismi, quae omnia aperte unum architectum detegunt, sed non plures et inter se dissitos fabricatores.

226. Monumenta celeberrimae collectionis Moguntinae non omnia ingenio Isidori Peccatoris tribuen-

da sunt, sed, ut rectum criterium de hoc Codice habeatur, in quatuor genera distingui debent: 1.° *genuina* atque *sincera*, quales sunt Decretales epistolae ex Collectione Dionysiana desumptae; 2.° *supposititia*, ab ipso falsificatore conficta, tales sunt ferè omnes epistolae Romanorum Pontificum a S. Clemente usque ad S. Siricium, multae etiam a S. Siricio usque ad S. Gregorium Magnum, tum gesta Romanae Synodi sub Julio I, acta quoque Romanarum Synodorum V et VI sub Symmacho; 3.° *apocrypha*, fabricata ab aliis ante Isidorum et postea a compilatore in suam collectionem relata, ut epitome Concilii Romani II sub S. Sylvestro, appellata *Constitutum* Sylvestri; 4.° *interpolata*, id est, Isidori additamentis corrupta; ita adjectitia existimanda sunt duo postrema capita Epistolae Pontificis Vigilii ad Profuturum Bracharensem, quandoquidem ea duo capita a sinceris Hispanicae collectionis Codicibus absunt.

227. Pro hac controversia absolvenda nobis superest quaestionem *juridicam* enucleare, quod quidem summatim conficiemus diligenter perscrutantes et rectè exponentes triplicem collectionis Isidorianae valorem, videlicèt, vim *dogmaticam*, praestantiam *disciplinarem* atque *legalem* auctoritatem.

228. Si *dogmaticè* spectetur totiès laudata collectio omnino orthodoxa et sensu catholico conscripta aestimanda est; nihil enim contra fidem bonosque mores continet, secus septem ferè saeculis nec ab universa Ecclesia recepta esset, nec usu generali probata.

229. Non ita facilè dijudicanda est res, neque pacificè ferenda sententia, si quaestio sub respectu *disciplinari* inspiciatur; Reformatores et Febroniani, Jansenistae et omnes Ecclesiae Catholicae Sedisque Apostolicae detractores magno furore conclamitant vocem usque ad caelum extollentes per collectionem Isidorianam sublatam atque penitus mutatam esse antiquam

Ecclesiae disciplinam, ejusque loco invectam novam, illegitimam et ab usibus et sensu totius venerabilis antiquitatis planè abhorrentem.

Ut hoc haereticorum commentum confutemus, simulque vanas esse declamationes atque injustas Janseenianorum querelas, aliquid dicere juvat adversum ejusmodi ineptam accusationem: 1.° ingenium, fraus vel fallacia Isidori in eo sita est, quòd in forma decretalis ediderit pleraque monumenta antiqua excerpta ex canonibus Conciliorum, ex Romanorum Pontificum sinceris Constitutionibus atque ex sententiis Sanctorum Patrum; hinc licèt documenta primae partis hujus collectionis, aliaque non pauca sint *criticè* apocrypha, tamen, generatim loquendo, sunt *juridicè* vera: 2.° doctrina et disciplina, quam falsae Decretales plerumque exhibent, genuina est, sincera, vera et ab Ecclesia admissa eo tempore quo collectio Isidoriana prodiit; agebatur enim de rebus, institutis et juribus antiquioribus vel saltem non novis et ignotis saeculo medio IX, prouti eruditè ostenderunt quamplurimi critici, quos inter eminet strenuus veritatis catholicae propugnator et sectae jansenianae malleum doctissimus P. Antonius Zaccharias in suis sapientissimis operibus adversus Justinum Febronium editis (1); facta et exempla proferre supersedemus brevitatis gratia, rem totam illustrantes hac sola animadversione, omnia jura Romanae Sedis demonstrari posse antiquioribus genuinis documentis; ita jus suscipiendi appellationes jam fuerat non modo pluries

(1) Eruditissimus Pater Franciscus Antonius Zaccharias, S. J. vulgo *Abbas Zaccharias* appellatus saeculo XVIII (1714) Venetiis natus est, et sub finem ejusdem saeculi totam curam impendit in confutandis Febronii atque Jansenistarum erroribus: disciplinis historicis, philologicis, theologicis, juridicis et archaeologicis ita peritissimus, ut quamplurimis monumentis scientiam catholicam ditaverit; praeter enim innumera manuscripta typis evulgavit 106 Opera, inter quae legenda et semper consulenda sunt, pro Sede Apostolica et Primatus Pontificii juribus, cui addictissimus praelaudatus Scriptor fuit, vindicandis, *Anti-Febronius* (1768) et *Anti-Febronius vindicatus* (1771).

exercitum, sed apertè constitutum in Synodo Sardicensi saeculo IV; igitur Isidorus Peccator, vel quisquis sit auctor compilationis, tantùm confixit pro suo lubitu documenta, sed non invenit doctrinam aliam, nec novam disciplinam induxit, neque usus aut res insuetas fabricatus est; aliud est quidem excogitare doctrinam, aliud procudere monumenta: 3.° collectio Isidoriana fuit ubique et sine contradictione suscepta, exceptis nonnullis capitulis ab Hincmaro Galliaeque Episcopis impugnatis, ut paulò antea diximus; nulli autem tumultus, clamores nulli auditi sunt ob inductas Decretales apocryphas, quod manifestum indicium est Codicem in officina Isidori elaboratum veterem optimamque illius temporis disciplinam minimè evertisse aut immutasse, sed potius praxes institutionesque tunc vigentes expressisse, etenim, "stultus planè fuisset impostor, uti animadvertunt Fratres Ballerini in appendice ad Opera S. Leonis, si sperasset suam collectionem acceptum iri ab hominibus, quae novam omnino disciplinam a sui quoque saeculi moribus et consuetudinibus abhorrentem contineret." (1)

230. Quaeritur demùm, an disciplina, quae *nova* dicitur, suum vigorem sanctionemque a mercibus Isidorianis receperit; huic postremae quaestioni responsio in promptu est: disciplina in jure vocata *nova,* quae certè jam ab Isidoriana collectione in Ecclesia Occidentali cognita et ut plurimum generatim recepta, auctoritatem legis ecclesiasticae obtinuit, non vi ejusdem collectionis privata auctoritate confectae, et plerisque monumentis partim confictis, partim interpolatis coalescentis, sed duplici et firmissimo fundamento innixa:

---

(1) Ipse David Blondellus, vir equidem protestans hanc veritatem professus est anno 1640 in suo Opere *Isidorus* et *Turrianus Vapulantes;* atque idem Pereyra, licèt acerrimus jansenista, concedit quasdam Decretales, quamvis apocryphas, a monumentis sinceris desumptas esse et res jam cognitas proposuisse.

1.° certis genuinisque Constitutionibus Ecclesiasticis, quae tum praecesserunt, tum subsequutae sunt monumenta Isidoriana; 2.° veris legitimisque consuetudinibus, quae, com rationabiles et praescriptae sint, nihilque contra divinum aut naturale jus jubeant vel statuant, in rebus disciplinaribus multùm valent, atque pro ipsa lege accipi possunt, jusque novum constituere (1).

ARTICULUS V

SUMMARIUM.

231.—Collectiones Ecclesiarum Particularium.—232.—Codex *Antiquus* Ecclesiae Hispanicae.—233.—*Capitula* Martini Bracharensis.—234.—Collectio *Canonico-Gothica* appellata S. Isidori Hispalensis.—235.—Editio atque traductio hujus celeberrimae et accuratae Collectionis recentiori aetate facta.—236.—Collectio *Arabico-Hispanica.*—237.—Collectio sub nomine *Polycarpus* cognita.—238.—Auctoritas Codicum Hispanorum.

231. Praecipuae Collectiones ad Ecclesias particulares spectantes, quae summatim recenseri merentur, sunt Hispanicae, Africanae, Gallicae, Germanicae, Anglicae et Hibernicae.

232. Primis propagatae religionis saeculis Ecclesia Hispanica, sicut reliquae Occidentis, moribus, traditionibus apostolicis atque sacris praeceptis regeba-

---

(1) Recensionem Collectionum generalium Ecclesiae Latinae absolvimus Codice Isidoriano, et pertractare ex professo omisimus de *Capitulis Papae Hadriani*, quae falsò huic Pontifici adscribi solent, atque tradita dicuntur Angilramno Metensium Episcopo. Duo tantùm certa explorataque apud omnes eruditos hodiè sunt: 1.° ejusmodi Capitula post falsas Decretales edita fuisse; 2.° ea minimè tribui posse neque Pontifici Hadriano, neque Angilramno, cum, juxta Devoti, in iis multa sint aliena ab utriusque moribus atque instituto. Caetera omnia in dubio et controversia versantur.

Qui studio veterum collectionum incumbere fructuosè velit, consulat Fratres Ballerini, qui in Opere saepè laudato scriptis S. Leonis Magni adjecto, recensendis illustrandisque antiquis ad Gratianum usque collectionibus operam dederunt magno conatu et mira eruditione.

tur: a saeculo IV ad VI usque in quo vulgata fuere Capitula Martini Bracharensis, duo apud criticos in tanta rerum confusione certa exploratacque invenimus: primum nobis compertum est, quòd jam a saeculo IV Ecclesia Hispaniae pro regula ac norma disciplinari servavit canones tum *particulares* seu Conciliorum nationalium, siquidem eo tempore inter alia Concilia quorum acta periere, habita sunt Illiberitanum (301), Caesaraugustanum (381) et Toletanum I (400), tum *generales* seu Conciliorum Nicaeni et Sardicensis, prouti ostendunt insequentia facta quae tantùm innuere sufficit: 1.° Episcopi Hispani Synodis Nicaenae, Sardicensi et Arelatensi II adfuere; 2.° Hosius Cordubensis, cum ab Oriente regrederetur, canones Nicaenos secum tulit; 3.° Concilium Toletanum I. decrevit Nicaenam Synodum ab omnibus servandam esse; 4.° Plura concilia inter quae Valentinum ac Bracharense I ex Sardicensi canones exscripsere. Alterum in dubium minimè revocandum est saeculo VI apud nos exstitisse veram ac propriè dictam collectionem saeculo V fortassè confectam et S. Martini Dumiensis opere prorsùs distinctam, quod quidem apertissimè probari possit in medium proferendo antiquorum conciliorum testimonia, praesertim Bracharensis I (561), Bracharensis II (572), Barcinonensis (540), Toletani III (589) et Toletani IV (633). Nobis sufficiat canones Bracharenses adducere; Bracharense I ita decrevit can. XXII: "Ut quaecumque praecepta *antiquorum canonum* (juxta alia exemplaria ex codice antiquo) modo in concilio recitata sunt, nullus audeat praeterire. Siquis autem quasi contumax transgreditur, ille necesse est, de suo officio degradetur." Bracharense II can. I statuit: "Maneant in suo vigore conciliorum omnium constituta, simul et synodicae SS. Praesulum Romanorum epistolae."

233. *Nomen* et *Auctor* Collectionis S. Martini. Martinus, natione pannonius, moribus ac praedicatione

hispanus, Suevorum apostolus, monasterii Dumiensis fundator et primus abbas, postea metropolitanus Bracharensis, vir equidem virtutibus litterisque eximius, qui, ut testatur S. Gregorius Turonensis: *in tantum se litteris imbuit, ut nulli secundus suo tempore haberetur* (1), praeter alia opera pro Hispanica Ecclesia suam perfecit collectionem, in quam contulit graecos canones latinè redditos, et multa etiam ex latinis fontibus expressit, vocavitque eam *Capitula Synodorum Orientalium a Martino Episcopo Bracharensi compilata.*

Causa et *Epocha.* Scopus hujus eruditi Praesulis in edenda hac collectione anno 572 vel 580 juxta alios fuit antiquos canones ad recentiorem disciplinam accomodare, faciliorem reddere disquisitionem et collationem fontium, ac praesertim veram lectionem et genuinum sensum canonum graecorum restituere, qui, in versione nostris Ecclesiis communiter recepta magna confusione atque obscuritate laborabant, nam, ut asserit S. Episcopus in Praefatione sui operis: "versio unius linguae in aliam difficilis est, atque etiam temporis decursu scriptores aut non intelligentes aut dormientes alia omittunt, aliaque mutant, unde canones fiunt obscuriores."

Monumenta. Collectio Bracharensis complectitur canones Synodorum Orientalium, licèt non omnes sed tantùm illos, qui vel recta interpretatione indigebant, vel moribus et usibus Hispanicae Disciplinae poterant aptari; continet quoque canones ex conciliis Africanis, Toletanis et Bracharensibus depromptos.

Methodus et *Extensio.* S. Martinus Dumiensis ordinem rerum primus inter omnes sequutus suum opus in duas partes dispescit 84 vel 85 juxta alios codices complectentes; prima, quae de personis sacris disserit, 68 capita habet, 19 de Episcopis atque 49 de Clericis;

(1) *Hist. Franc. lib. 5, cap. 38.*

secunda 16 capitula de Laicis continet. Ejusmodi compilatio inter concisas vel propriùs inter compendiosas recensenda est, quandoquidem canonibus contractis, interdùm diversis sub uno capite conjunctis coalescit.

Valor et *Auctoritas*. Collectio de qua agimus, magno plausu in Hispania recepta fuit atque in summo pretio et aestimatione omnium ore habita, si *historicè* spectetur, cum ob praeclari abbatis Dumiensis insignem sanctitatem et scientiam, tum etiam ad canonum Orientalium verùm sensum et pleniorem intelligentiam assequendam; attamen, merito ac praestantia merè *scientifica* inspectis, quibusdam mendis et defectibus scatet propter ipsum conatum *abbreviandi* atque *accommodandi*, quem sibi praefixit auctor; *juridicè* autem auctoritate legali non gaudet, quia sapiens compilator promptuarium disciplinare, opus doctrinale, potiùs quam codicem canonum vulgare sibi proposuit.

234. *Nomen* et *Auctor* Collectionis *S. Isidori*. Ad praecipuam et omnium locupletissimam compilationem deveniamus modò, nempè, ad collectionem passim nuncupatam *Hispanicam*, *Magnam*, *Canonico-Gothicam* et a nonnullis S. *Isidori Hispalensis*, quaequidem saeculo VII prodiit et post Dionysianam caeteris rerum ordine et copia praestat.

De auctore hujus collectionis magna inter eruditos discrepantia exstat: alii contendunt illam excerptam esse ex Codice Dionysiano; alii autumant auctoris incerti esse, et haud tribuendam D. Isidoro aut cuicumque scriptori determinato; alii denique rectiùs asserunt eamdem a S. Isidoro Hispalensi confectam fuisse vel saltem ejus jussu aut ipsius directione evulgatam. Singulas sententias, omni deposito praejudicio, in trutinam revocemus.

Prima omnino rejicienda est ex eo quòd veritati historicae et sanae criticae planè adversatur, uti ostendunt insequentes rationes: 1.° Collectio Dionysii in

capita dividitur, quorum singula canones distinctos constituunt, in collectione Hispana capita sunt concilia; 2.° Dionysiana canones apostolicos continet, Hispanica iisdem caret; 3.° illa aera christiana vel vulgari pro computo utitur, haec aeram caesaream, quae Augusti et Hispanica dicitur (1), adhibet; 4.° prima de lingua graeca in latinam accuratè et eleganter canones transfert, secunda versionem obscurè et inordinatè factam exhibet, quod quidem Martinum Bracharensem compulit ad novam translationem ex ipsis fontibus perficiendam.

Secunda sententia quemlibet auctorem certum vel cognitum respuens pro omni argumento illud affert, quòd unum tantùm exploratum atque extra dubitationem positum habetur, videlicèt, saeculo VII pro usu Ecclesiarum Hispaniae viguisse magnam quamdam atque celeberrimam compilationem, de qua summis cum laudibus loquutum est Concilium Toletanum VII (646), illam vocans omnium completissimam lucemque splendidam, et simul praecipiens quod ab omnibus legeretur atque iterùm relegeretur. Sed ejusmodi argumentum ex silentio antiquitatis vel nescientia auctoris desumptum valdè infirmum et verè futile nobis videtur; licèt enim non militent testimonia positiva et ineluctabilia pro verò auctore designando, adduci possunt solidae conjecturae et rationes sat probabiles pro vindicanda tertia opinione, quae tantam tamque memoratu dignam Collectionem S. Doctori Hispalensi adscribit.

Huic equidem sententiae assentiri cogimur, non tantùm ducti amore et veneratione, quibus prosequi debemus sanctissim. et sapientissim. Praesulem, quam rationum

---

(1) Aera Hispanica computum incipit anno 38 ante Jesum Christum, hinc aeram *communem* seu *vulgarem* 38 annis praecedit. Ejusmodi Caesarea aut Augustiana aera in Hispania viguit ad saeculum usque XV; pro regno Castellae et Legionis usque ad Comitia Segubiae habita anno 1383; pro regno Aragoniae usque ad Comitia Caesaraugustae anno 1349; pro regno Valentino ad annum 1358; pro Lusitania ad annum 1420 aut 1422.

momentis nostro judicio minimè spernendis innixi, quas breviter delineabimus: 1.° cum egregius Hispaniarum Doctor in posteros transierit tamquam eminens inter polygraphos, decus Ecclesiae, Patriae ornamentum, sui saeculi oraculum, in omni disciplina et arte versatissimus, universae scientiae genuina representatio, si juxta consuetum rerum ordinem judicare velimus, rectè praesumendum est illum operam navasse vel concursum praebuisse tanto operi perficiendo, quod, licèt in se originale non sit aestimandum, ob laborem tamen et inquisitionem magnum ingenium atque singularem peritiam exposcebat; 2.° perillustris Episcopus Beticae laude praecipua et copiosa eruditione in re canonica caeteros antecelluit, prouti luculentèr evincunt Synodorum Hispalensis II (619) et Toletanae IV (633) acta, cui praefuit et in qua tractatum de Ecclesiastica Disciplina aut summam scientiae canonicae ita locupletem atque praestantem edidit, ut plures canones et decreta hujus celeberrimi Concilii in Corpus Juris relata ac pro lege generali in Ecclesia recepta sint; 3.° sub S. Isidoro praeside et magistro floruit, splenduit, atque ad gloriae culmen pervenit notissima Schola Hispalensis, ex qua tot tamque praeclari viri profecti sunt, omni disciplina et sapientia atque scientia sacra et canonica sic ornati, ut nonnulli inter ipsos, veluti Sanctus Braulius Caesaraugustanus jure meritoque honorem obtineret, quòd Patres synòdi Toletanae VI munus redigendi et conficiendi canones eidem committerent; 4.° SS. Ildephonsus et Braulius in catalogo operum S. Doctoris, hujus compilationis aliorumque scriptorum minoris momenti meminere hisce verbis: *alia opuscula edidit cum magno Ecclesiae ornamento ab ipso conscripta.*

Haec, quae leviter adumbravimus, adjudicandi ergo S. Isidoro collectionem Hispanicam, quamvis rem non planè conficiant nec quaestionem definiant, plurimum lucis afferunt pro nostra sententia enucleanda

ac constabilienda. Nihil obstat, ut asserunt ipsius impugnatores, quominus ejusmodi collectio canones Concilii Toletani XVII (694) contineat et S. Doctor supremum diem obierit anno 636, siquidem haec aliaeque additiones post mortem S. Isidori fieri potuerunt: nec quidquam proficiunt adversarii nobis objiciendo silentium SS. Ildephonsi et Braulii, qui in censu Operum sui Magistri praefatam Collectionem non memorant; praeterquam quòd enim mentionem specialem tantùm faciant illorum operum, quae verè originalia putanda sunt et non ex aliorum scriptis singulari industria confecta, testimonium supra in medium attulimus, in quo Discipuli tanti Magistri non obscurè innuunt quamplura alia scripta nondum nominatim recensita S. Doctoris studio atque ingenio esse tribuenda.

Monumenta. Collectio Isidoriana complectitur Canones Conciliares et Decretales Pontificias, videlicèt: quatuor concilia oecumenica Nicaenum, Constantinopolitanum, Ephesinum, Chalcedonense cum Sardicensi, appendice Nicaeni; quinque concilia particularia Orientis, Ancyranum, Neocaesareense, Gangrense, Antiochenum et Laodicenum, quae omnia ex veteri versione *Isidoriana* Romae vigente excerpta sunt; novem concilia Africana, septemdecim Gallica; triginta et quinque Hispana, scilicèt: Illiberitanum, Tarraconense, Gerundense, tria Caesaraugustana, Illerdense, Valentinum, septemdecim Toletana, tria Bracharensia, duo Hispalensia, duo Barcinonensia, Oscense, Egarense, et Emeritense.

Deindè Ejusmodi collectio centum tres Decretales Romanorum Pontificum continet a S. Damaso usque ad S. Gregorium Magnum.

Methodus atque *Extensio.* Compilatio Hispanica inter perfectas numeranda est, et in eadem ordo chronologicus servatur, incipiendo tamen a Concilio Nicaeno propter antiquitatem, specialem venerationem et

singularem hujus Synodi praestantiam. Duabus partibus constat, ad instar Codicis Dionysiani, quarum prima canones conciliorum continet, secunda Decretales et Rescripta Pontificia exhibet.

Valor et *Auctoritas.* Ratione *authenticitatis, integritatis* et *copiae* documentorum, quae in Collectione Canonico-Gothica comprenduntur, usu generali recepta est atque primatum quemdam superioritatemque sibi comparavit; undè longo saeculorum lapsu magnam auctoritatem in Ecclesiis Hispaniae adepta fuit adeò certam et indubitatam, ut Patres et Concilia, veluti paulò antea indicavimus, eam omni encomio extulerint ejusque lectionem singulari plausu cuncto clero commendarint.

235. Post magnos exantlatos labores ab Ambrosio Morales, Joanne Vazquez, Marmol, Joanne Baptista Perez, Antonio Augustino, Loaisa, Aguirre, aliisque doctissimi viris, quorum animadversiones criticae atque historicae investigationes prae oculis habitae fuere recentioribus eruditis, tandem nostra aetate, scilicèt, anno 1808 editionem Collectionis Hispanicae tanto tempore optatam bibliothecarius Dominus Franciscus Antonius Gonzalez aggresus est, opus quidem ingens, negotium verè arduum, quod tamen anno 1821 mirificè perfecit. Pro ejusmodi collectione in lucem edenda perscrutati atque inter se diligenter collati sunt novem codices, videlicèt: Albendensis seu Vigilanus, Emilaniensis, Toletani I et II, Regalis, Scuraliensis III et IV, Urgellensis atque Gerundensis.

Denique anno 1849 Collectionem Magnam simul cum versione hispanica et utilissimis annotationibus evulgare coepit Dominus Joannes Tejada et Ramiro, qui ita diligentèr et strenuè operi incubuit, ut anno 1850 rem totam absolvit ad antiquae legislationis meliorem intelligentiam et historiae patriae pleniorem notitiam profectumque.

236. *Nomen* et *Auctor* Collectionis *Arabico-Hispanicae.* Sub Philippo III inventa est á Petro de Lara (1) nova quaedam et originalis Collectio, lingua arabica conscripta, unde ab eruditis appellata fuit *Arabica* vel *Arabico-Hispanica:* ejusmodi codex magni pretii, singulari aestimatione habitus, in suo genere unicus in Bibliotheca Scuraliensi repositus est, ubi speciali cura asservabatur, cum anno 1675 Monasterium Scuraliense igne deletum est. Omnes putabant Collectionem Arabicam cum ingentibus voluminibus innumerisque codicibus, qui inter flammas periere, sortem communem subiisse; atamen, cum Ferdinandus VI volumina scuraliensia, quae in magno incendio servata erant, ordinare et distribuere jussisset, omnium admiratione codex arabicus denuò detectus fuit a bibliothecario Domino Michaele Casiri, Presbytero Siro-Maronita, cui a catholico rege injunctum erat munus inquirendi et in classes libros distribuendi. Hic sapiens orientalista Versionem Arabicam latinè transtulit, sed tam Versio antiquissima arabica quàm traductio casiriana remanent inedita, quamquam multùm adlaboraverit pro typis edendis bibliothecarius Dominus Petrus Ludovicus Blanco.

Ignoratur quisnam fuerit verus auctor hujus compilationis conflatae atque translatae ex veteri Hispana; sunt qui autumant illam a Vincentio Presbytero, ut cuidam episcopo Joanni Daniel placeret, esse confectam.

Causa et *Epocha.* Omnes consentiunt saeculo X vel XI, cum in oblivionem devenisset lingua latina nostra Hispania, esse laboratam hanc versionem duplici scopo, nempè, praebendi et Agarenis religionis catholicae notitiam et Conversis ex Mahometismo atque

(1) Hic pretiosissimus codex a nobili duce hispano duas naves africanas apprehendente in Mauritania repertus est, quo forsitan pervenit asportatus in aliqua emigratione Arabum.

Judaismo legum ecclesiasticarum faciliorem observantiam.

Monumenta. Compilator in idioma arabicum vertit ferè omnia documenta Collectionis Magnae, licèt non integra, sed in compendium redacta; hinc in ejusmodi Orientali Disciplinae Hispanicae Versione facile est reperire canones conciliares sive generales sive particulares, itemque Constitutiones atque rescripta Romanorum Pontificum.

Methodus et *Extensio.* Codex arabicus inter concisos recenseri debet, quia canones tantùm contractos ex Collectione Gothica excerpsit, et methodum doctrinalem sequitur, siquidem post praefationem, catalogum Dioecesium tunc temporis in Hispania erectarum atque indicem generalem operis, in decem libros distribuitur juxta ordinem rerum.

Valor et *Auctoritas.* Haec singularis Collectio usu frecuentiori, praecipua aestimatione et legitima auctoritate potita esse videtur pro Ecclesiis in quibus vigebat Disciplina Mixtarabica (Mozàrabe) (1); sed, ejus valore scientifico tantùm spectato, firmitatem omnimodam et vim indubitatam minimè habere potuit, quoniam Compilator arabicus, quisquis ille sit, primaevi fontis ordinem mutavit et antiquitatis monumenta in Codice Isidoriano collecta in compendium retulit.

---

(1) Nuncupatur Disciplina Mixtarabica (Muzárabe): Complexio regularum vel legum quibus, in ordine canonico, liturgico atque judiciali, recta est Ecclesia Hispanica ab anno 711, in quo desiit Monarchia Gothica usque ad finem saeculi XI, quo, recuperatis Toleto et Osca, firmata duplice restauratione Cantabrica et Pirenaica, necnon praecipuis regnis Castellae atque Aragoniae constitutis, abolitus est ritus gothicus. Hujusmodi ritus a primo Ecclesiae saeculo in Hispaniam inductus ab Apostolis Jacobo et Paulo, correptus et additus a clarissimo nostro Doctore S. Isidoro, purus atque catholicus a Sancta Sede saeculo IX declaratus, observatus usque ad finem saeculi XI, in Aragonia usque ad annum 1071, in Castella et Legione usque ad annum 1078, fuit demùm a nostris Ecclesiis relegatus saeculo XI exeunte in obsequium *uniformitatis*, quamquam in honorem ac memoriam tantae liturgiae adhuc servatur Cappella Mixtarabica in Ecclesia Toletana erecta.

237. Inter alias collectiones pauci momenti quas silentio praeterimus, memoratu dignum ducimus quemdam Codicem, cui titulus *Polycarpus* (vox graeca significans *multum fructum*), sub Callixto II confectum a Gregorio Presbytero, qui rogatus ab Archiepiscopo Compostellae, forsitan D. Didaco Gelmirez illi Ecclesiae eo tempore praefecto, huic opere incubuit.

Praefata Collectio post proemium dividitur in octo libros et hi in titulos subdividuntur: nondum in lucem edita est atque in autographo appendicem continet cum additionibus Martini Bracharensis et Conciliis illius aetatis.

238. Collectiones Hispanae indubiae auctoritatis semper exstitere et tamquam monumenta juridica vi authentica praedita omni tempore habita sunt tum propter criticam selectionem documentorum quae in illis inseruntur, cum etiam ob accuratam diligentiam nostrarum Ecclesiarum in expungendis monumentis apocryphis, ab aliis Collectionibus Occidentalibus passim et indiscriminatim receptis, uti videre est, exemp. gratia, cum de Decretalibus Antesiricianis, Canonibus Apostolocis corruptis vel suspectis, caeterisque decretis atque statutis hujus generis, agitur, quae omnia a Codicibus Hispanicis exclusa et relegata fuere (1).

---

(1) Qui notitiam distinctam et magis copiosam de origine, progressu, et fato Collectionum Hispanarum haurire velit, consulat inter alios: Antonium Augustinum *de quibusdam veterum can. Collec. cap.* 17, *Tom.* 3, *pag.* 225, *edit. Lucae an.* 1767; Faustinum Arevalo *in opp. Sti. Isidori Hispalensis, tom.* 2, *part.* 3, *cap.* 19, *pag.* 155, *et seq. edit. Romae* 1797; Vincentium Gonzalez Arnao *Discurso sobre las Colecciones Españolas antiguas*, 1793; Petrum Ludovicum Blanco *Noticia de las antiguas y genuinas colecciones canónicas inéditas de la Iglesia Española* 1798.

ARTICULUS VI

SUMMARIUM.

239.—Collectiones Ecclesiae Africanae.—240 —Codex *Africanus.*— 241.—*Breviarium Canonum* Ferrandi Diaconi.—242.—*Canonum Concordia* Cresconii Episcopi.—243 —Collectiones Ecclesiae Gallicae.—244.—*Codex Canonum.*—245.—*Capitularia* Regum Francorum.—246.—*Decretum* et *Pannormia* Ivonis Carnotensis.—247.—Collectiones Ecclesiae Germanicae.—248.—Codex primaevus.— 249.—Codex *Poenitentialis* Rhabani Mauri.—250.—Collectio *Reginonis.*—251.—*Volumen Decretorum* Burchardi.—252.—Collectiones Anglicae et Hibernicae.

239. Praecipuae Ecclesiae Africanae Collectiones memoratu dignae sunt: Codex *Africanus* nuncupatus, *Breviarium Canonum* Diaconi Ferrandi et *Concordia Canonum* Cresconii Episcopi.

240. Prouti contigit in Ecclesia Romana, Patres et Episcopi Africani pristina aetate, hoc est, toto persecutionis tempore perdurante, pro rebus disciplinaribus ordinandis et negotiis ecclesiasticis regendis, moribus, majorum traditione et sacris documentis usi fuere; sed habita Nicaena Synodo et diversis Conciliis provincialibus atque *plenariis* Carthagine celebratis, jam a IV et V saeculo ex canonibus, tum Nicaenis, tum Africanis, conflata est prima et vetustissima collectio, quam jure vocare possumus Codicem *Africanum.*

241. Circa medietatem VI saeculi, Ferrandus Ecclesiae Carthaginensis Diaconus, qui sub Justino ac Justiniano Imperatoribus floruit, duce Sancto Fulgentio Ruspensi Episcopo, collectionem lucubravit titulo *Breviationis* vel *Breviarii canonum*, eo quòd tantùm summam dederit, non vero integros et perfectos canones congesserit.

Ferrandus, ordinem doctrinalem secutus, suam epitomen in 232 capita distribuit, atque non solùm ca-

nones Africanos compilavit, verùm etiam quaedam monumenta ex Ecclesiis Graeca et Hispanica sumpta.

242. Saeculo VII exeunte, sub Leontio Imperatore, cum Sarraceni Africam occuparunt, vixit quidam Episcopus Africanus Cresconius vel Crisconius dictus, cujus duo circumferuntur opera, alterum quod Breviarium canonum, alterum quod *Concordia* aut etiam *Liber canonum* appellatur, quia auctor, in mente habuit canones et Decretales Pontificias in concordiam revocare. Nonnulli critici autumant Cresconium unam tantum collectionem concinnase, videlicèt, *Concordiam canonum* in 300 numeros tributam et epistolas Decretales cum canonibus conciliantem, compilationem autem *Breviarium* nuncupatam minimè tamquam novum opus censendam esse, cum revera exstiterit ad instar indicis generalis totius collectionis, in quo mera enunciatione canones indicantur.

Codex Cresconii ratione methodi doctrinalis habendus est, et ob extensionem inter perfectos annumerandus, siquidem canones integros comprehendit: complectitur canones Africanos, Graecos atque Hispanos.

243. Inter collectiones Gallicas potissimùm recenseri merentur: *Codex Canonum*, *Capitularia* Regum Francorum, Compilationesque ab Ivone Carnotensi elaboratae.

244. Post saevissimas persecutiones a Romanis Imperatoribus contra Ecclesiam Christianam latas, quo tempore, pro omni regula ad mores componendos atque res fidem et religionem attinentes moderandas, sacras traditiones et divina Scripturarum oracula Pastores et Christi fideles amplexati sunt, Ecclesia Gallica, sicuti caeterae Occidentales, codicem aliquem habuit ex Conciliis nationalibus atque Synodis Orientalibus, maximè Nicaena conflatum: constat enim circa finem saeculi VI apud Gallias obtinuisse peculiarem collectionem, quae quidem vigore et auctoritate potita est usque ad Pontificem Hadrianum I, qui Carolo

Magno Romae commoranti celebratissimam Dionysii Exigui collectionem donavit, quibusdam monumentis auctam, ut suo loco explanavimus.

Ejusmodi Hadriani Papae canonica donatio Regi Francorum facta per antonomasiam *Codex Canonum* nominata fuit propter duplicem auctoritatem Pontificiam atque Imperialem, qua pollere coepit.

245. *Capitularia* Regum Francorum memorare operis pretium ducimus, tùm quia ansam dederunt nova ecclesiastica monumenta colligendi, tùm etiam quòd ex Sacris Litteris, variis Concilis, Pontificiis Decretalibus, Sanctorumque Patrum dictis concinnatae sunt, tùm deniquè quia ipsi Summi Pontifices ejusmodi Imperialia constituta laudare atque servare saepenumero curarunt, prouti evidenter testatur S. Leo IV ad Imperatorem Lotharium scribens ac promissionem suam fide jurisjurandi obsignans.

Capitularia, ita dicta vel a forma capitulorum, qua edebantur, vel a denominatione capitulorum statutis et regum decretis tributa erant "leges civiles et ecclesiasticae (ad instar *nomocanonum)* in generalibus comitiis Episcoporum ac Procerum, quae etiam *Placita* et *Colloquia* vocabantur, a Regibus Francorum latae, Ecclesiae simul et Status regimen spectantes.

Dispersae vagabantur usque ad annum 827, quo Abbas Ansegisus haec monumenta in unum congessit, illa in quatuor libros distribuens: primus leges ecclesiasticas Caroli Magni seu 162 capitularia continet; secundus 48 capitularia Ludovici Pii; tertius 91 leges civiles; quartus 77 leges etiam saeculares. Ipse Ansegisus postea triplicem appendicem evulgavit, 35, 38 et 10 capitularia respectivè complectentem.

Deindè, circa annum 845 Benedictus Levita Moguntinus, cui, uti supra animadvertimus, falsas Decretales plerique canonistae adscribunt, in tres libros collegit capitularia ab Ansegiso omissa; et quamquam haec

nova documentorum congeries semper habita sit veluti quoddam compilationis Ansegisianae complementum, tamen putanda est opus verè distinctum, quoniam Diaconus Benedictus leges plurimas retulit ex Breviario Aniani, ex Codice Theodosiano, ex Novellis Justiniani, atque etiam ex Codicibus Germanicis descriptas. Liber primus hujus posterioris collectionis benedictinae 405 capitularia complectitur; secundus 436; tertius 478.

Postremo, temporis successu prodiere quatuor additiones auctoris ignoti, 80, 88, 124 atque 171 capitularia singillatim continentes, et abbreviationes Herardi Thuronensis et Isaac Langrensis *Capitula* nuncupatae eo quòd capitularia tantùm contracta exhibebant (1).

246. Saeculo XII ineunte (1117) Ivon, Episcopus Carnotensis, pietate atque scientia praeclarus, duas canonum collectiones lucubravit, *Decretum* et *Pannormiam*. Prima compilatio communiter *Decretum* vocata, sub titulo *Excerptionum Ecclesiasticarum Regularum* vulgata est, et in 17 libros distributa, qui iterùm in capita distinguuntur: secunda, quam auctor *Pannormiam*, vel *Pannomiam* appellavit, quoniam, juxta hujus vocabuli etymon, esset veluti quaedam omnium legum vel regularum complexus, in 8 libros dividitur.

Ivonis Carnotensis Codices propter innumera vitia atque menda, quibus scatent, paucam aut ferè nullam auctoritatem adepti sunt; nam praeterquam quod canones absque ordine et selectione inseruntur, compilator omnia documenta promiscuè et indiscriminatim congessit; hinc facile est in utraque collectione reperire tam Isidori Mercatoris falsas Decretales, quam pleros-

---

(1) A saeculo XVI vulgatae sunt diversae Capitularium editiones, sed recèntior atque omnium completissima ea est, quam Sthephanus Ballusius Parisiis typis adornavit anno 1677. In hac editione habentur septem libri Ansegisi et Benedicti, additiones atque capitula Herardi et Isaac, fontes monumentorum, legesque a Dagoberto conditae pro Ritpuariis, Germanicis ac Bavaris cum annotationibus criticis atque historicis.

que errores a viris eruditis in Decreto Burchardi detectos.

247. An apud Ecclesiam Germanicam remotissimis temporibus Collectio aliqua canonum exstiterit et quando ac quomodo conflata sit, res nondùm explorata est; conjecturae haud contemnendae exstant, juxta criticos, pro admittenda ante saeculum VIII Codicis primaevi existentia, sententiis Patrum, Episcoporum statutis, legibus conciliaribus et canonibus orientalibus coalescentis.

248. Illud tamen compertum penes eruditos constat nonnullas Germaniae Ecclesias proprias earumdemque peculiari disciplinae congruentes compilationes habuisse, etenim, prout asserit d'Acheri, in monasterio Corbiensi adhuc asservatur quaedam canonum collectio merè germanica, a Sancto Bonifacio istius regionis Apostolo anno 745 confecta.

249. Saeculo IX jam incipit in Germania periodus historica certa atque indubitata canonicarum collectionum; scimus enim notissimum Archiepiscopum Moguntinum Rhabanum Maurum duplicem edidisse compilationem; alteram nominavit *Librum Poenitentialem*, qui praefationem, 40 capita et epilogum comprehendit; alteram *Epistolam Poenitentialem* appellavit, quam ad Heribaldum scripsit et in 34 capita divisit.

250. Sub initio X saeculi (906) Reginon, monachus benedictinus, Abbas monasterii Prumensis in Ducatu Luxemburgensi, jubente, ut aliqui existimant, Bathodo aut Radbodo, Archiepiscopo Augustae Trevirorum, novam in usum Ecclesiarum Germaniae collectionem composuit, cui titulum dedit *de Disciplina Ecclesiastica* et *Religione Christiana.*

Auctor Martini Dumiensis vestigiis inhaerens opus evulgavit merè abbreviatum, atque posthabito ordine temporum, methodum doctrinalem secutus est, rem totam in duos libros distinguens, quorum primus de

personis et rebus ecclesiasticis agit, secundus circa laicos versatur.

Reginonis compilatio sequentia monumenta complectitur: Canones ex Dionysiana collectione, Codice Hispano, Decretalibus Isidorianis, Synodisque tunc temporis habitis excerptos; deindè nonnullas Romanorum Pontificum Decretales, Sanctorumque Patrum veterumque Scriptorum sententias; demùm leges civiles ex Codice Theodosiano per Anianum interpretato, ex Francorum capitularibus, atque constitutionibus, quae apud Burgundiones et Ritpuarios vigebant, sumptas.

251. Anno 1025 Burchardus, Episcopus Wormatiensis in Germania peculiarem collectionem elaboravit, quam *Decretum* aut *Volumen Decretorum* nuncupavit, per ordinem rerum illam in 20 libros tribuens. Hic percelebris compilator laudabili conatu nisus est e medio tollere obscuritatem, quae passim in antiquioribus Codicibus reperiebatur; attamem scopum, quem sibi proposuerat haud assequutus est, quandoquidem conficiendo suo operi manum admovit magis fretus recto proposito, quam luce critica et accurata documentorum electione ductus.

Fontes, ex quibus monumenta hausit, fuerunt praesertim: Collectio Reginonensis, Codex Isidori Mercatoris, Capitularia Regum Francorum, Sacrae Litterae, atque Libri Poenitentiales Theodori et Venerabilis Bedae; sed ex neglectu ordinis et selectionis, maximèque ob defectum authenticitatis monumentorum, quorum plura ementitis auctoribus adscripsit in Gentis Gallae odium, quamplurimi errores et menda in hac compilatione irrepsere, quae omnia valore et auctoritate opus Burchardicum expoliarunt.

252. Apud Anglos spatio sex saeculorum vix ulla congeries aut summa canonum reperitur, si criticis investigationibus standum sit.

Saeculo autem VII jam meminere viri eruditi cu-

jusdam collectionis a Theodoro Archiepiscopo Cantuariensi lucubratae, in qua 69 articulis praecipua Disciplinae Ecclesiasticae capita dilucidantur. Ferè eodem tempore editi sunt duo Libri Poenitentiales, alter Commeano tributus, alter per ipsum Theodorum pro instructione suorum sacerdotum in audiendis confessionibus poenitentiisque injungendis conscriptus.

Saeculo VIII in omnium manibus habebantur *Excerptiones* Egeberti aut Egberti, Archiepiscopi Eboracensis, quae sitae erant in quibusdam capitulis sumptis ex ampliori opere, quod idem Egbertus de *Jure Sacerdotali* elucubraverat. Hac ipsa aetate prodiit Liber Poenitentialis Venerabilis Bedae Presbyteri.

Saeculo IX Hukarius Diaconus epitomen Excerptionum Egberti vulgavit.

Quoad Ecclesiam Irelandicam, etiam saeculo VIII singularem collectionem habuit haec celebratissima Hibernica Insula pro rebus ecclesiasticis et usu disciplinari. Hujusmodi compilatio auctoris incerti, ratione originis *Hibernensis* appellatur atque 65 titulis cum inscriptionibus constat, ex Codice Dionysiano, Conciliisque Romanis, Irelandicis et Gallicis depromptis.

ARTICULUS VII

SUMMARIUM.

253—Collectiones Juris *Novi.*—254—*Decretum* Gratiani.—255—Ipsius Emendatio.—256—Quaenam sit auctoritas Decreti Gratiani.—257—Collectiones Ante-Gregorianae.—258—*Prima* Decretalium Collectio.—259—Collectio *Secunda.*—260—*Tertia* Collectio.—261—Collectio *Quarta.*—262—Collectio Honorii III.—263—Harum Collectionum auctoritas.

253. Collectiones Juris *Novi,* quod a Gratiano (saec. XII) incipit et ad Concilium Tridentinum usque (saec. XVI) pergit, maximi momenti et diligentiori stu-

dio dignas existimamus propter frecuentiorem earum usum tam in ecclesiasticis judiciis, quam in scholis catholicis. Canonicae Collectiones hujus secundae periodi historiae juridicae, quam prosequimur, perspicuitatis gratia, commodè ad quatuor capita revocari possunt: primum de Collectione *Gratianea* disserens; secundum de Collectionibus *Ante-Gregorianis* agens; tertium Collectionem *Gregorianam* inquirens; quartum Collectiones, quae *Post-Gregorianae* vocantur, perpendens. De unoquoque singillatim pertractabimus.

254. *Decretum Gratiani.* Prima collectio memoranda in Jure Novo inscribitur Decretum Gratiani, quae quidem notissima compilatio hanc secundam periodum historicam aperit.

Petrus Gratianus, saeculo XI exeunte vel XII incipiente, Clusii Etruriae urbis natus, professione monachus benedictinus in monasterio Bononiensi Sanctorum Martyrum Felicis et Naboris, disciplinae ecclesisticae ita studiosus, ut totam ejus curam, aciemque mentis congerendis atque Ecclesiae canonibus exponendis impenderit, celeberrimam collectionem omnium ditissimam evulgavit. Opus suum, quamvis vulgo *Decretum* dici soleat ad instar compilationum Ivonis Carnotensis et Burchardi Wormatiensis, quarum loco subrogandum, *Concordantiam discordantium canonum* appellare voluit, quia praecipuus Gratiani scopus fuit, certis propositis quaestionibus, canones aliaque monumenta, quae inter se dissidere videbantur, in concordiam revocare.

Causa et *Epocha*. Gratianus opus suum anno 1127 incoeptum et anno 1151 absolutum evulgare studuit triplici motivo innixus: 1.° quia, cum Codices occidentales magna confusione atque obscuritate laborarent, et Latini lingua graeca ferè obliti ad exemplaria orientalia, quae autographa habebantur, pro vera lectione restituenda, et genuino canonum sensu assequendo, minimè provocare possent, prorsus urgebat confectio et

editio novae ac generalis collectionis, quae tantam caliginem depelleret, inordinatamque et inextricabilem veterum monumentorum congeriem rectè distribueret atque enuclearet; 2.° quia, dum maxima vigeret incohaerentia et dissonantia inter monumenta juris ecclesiastici in anteriores collectiones relata, quin apocrypha a genuinis, integra ab interpolatis discerni valerent ex defectu critices, conciliatio documentorum inter se pugnantium, quam Gratianus in sua *Concordantia discordantium canonum* tentavit, visa est tutior via ad omnia in suo loco atque claritate restabilienda; 3.° quia saeculo XII ob codices Amalphiae inventos (1), jus romanum in Italia ita reviviscere coepit, ut ferèvens ejusdem studium, passio verè juridica, furor legalis, quem rectè nuncupare possemus *philonomiam*, omnium animos invaserit; hinc Gratianus subtilitate ingenii haud exigua praeditus apertè cognovit quantum commodi atque utilitatis Ecclesiae allaturam elaborationem operis juris ecclesiastici, quod quidem, ordine scientifico concinnatum et methodo Aristotelicae, illiusque temporis placitis aptatum, clerum in disciplinas profanas sat proclivem ab ejusmodi periculosa semita deviaret et ad colendas scientias sacras codicesque canonicos addicendos proficuè et ultro alliceret.

Monumenta. Decretum Gratiani ingentem monumentorum copiam continet, videlicèt: loca Sacrae Scripturae; 50 canones Apostolorum; 105 Concilia, 9 gene-

---

(1) Anno 1137 in obsidione Amalphiae, urbis Neapolitanae, moeniis dirutis, ut fertur, invenerunt oppugnatores pretiosissimos codices MS., nempè *Pandectas*, *Dialecticam* Aristotelis et *Aphorismos* Hippocratis. Hujus inventionis causa Juri civili, Philosophiaè et Scientiae Medicae omnes viri studiosi magno aestu sese dedere. Hic immoderatus excolendi disciplinas profanas amor cum scientiae sacrae et legislationis ecclesiasticae jactura clericos illa aetate adeo occupaverat, ut, nisi Romani Pontifices et viri docti, quos inter principem locum obtinet Gratianus, novam viam iniissent atque studia instaurassent, innumera mala in Ecclesia sequuta fuissent, et quamplurima damna in clericali institutione lugenda essent.

ralia Trullano incluso et 96 provincialia; Decretales 78 Pontificum, effata 36 Patrum veterumque scriptorum, testimonia ex tribus Libris Poenitentialibus Theodori, Bedae et Romano desumpta, leges Codicum Theodosiani ac Justinianei, sententias jurisprudentum Pauli et Ulpiani, capitularia Regum Francorum, nonnulla rescripta Imperatorum Occidentis et varia fragmenta ex Libro Diurno, Ordine Romano et Historia Ecclesiastica deprompta (1).

Methodus et *Extensio.* Compilatio Gratianea inter perfectas recensenda in tres partes dividitur: prima, quae potissimum de *personis,* hoc est, de juribus et officiis clericorum, 101 distinctionibus constat, et quaelibet distinctio plures canones seu capita complectitur; secunda de *judiciis ecclesiasticis* disserit, et tribuitur non in distinctiones, sed in 37 causas, et unaquaeque causa in plures quaestiones, quaestio autem in canones, ordine abrupto post causam XXXIII quaestione tertia, cui adjicitur *Tractatus de poenitentia* in septem distinctiones divisus; tertia de *rebus et ritibus sacris* tractatur, quam ob causam de *Consecratione* inscripta est, et velut prima in 5 distinctiones dispescitur, et quaelibet distinctio in canones.

Animadvertendum tamen est Gratianum non eadem methodo usum esse in exponenda sua collectione; nam in prima et tertia parte, tamquam verus praeceptor rem totam explanat de una in aliam distinctionem, de

(1) In Decreto Gratiani reperiuntur 390 canones sub *Paleae* inscriptione relati. De origine hujus vocis non conveniunt inter se critici. Aliqui putant res levioris momenti et antiquatas illis canonibus contineri, ex lingua graeca vocabulum derivantes; alii rentur aliena manu haec capita inducta fuisse; alii narrationes verè fictitias commenti sunt. Opinio vero similior nobis videtur, quae asserit *Paleas* adjectiones esse posteriori manu factas, et in margine primum descriptas cum hac nota *Post-alia,* abbreviata deinde hoc modo *P. alia,* quas imposterum librariorum quidam omiserunt, quidam autem deleto puncto et junctis litteris in contextu posuerunt, unde ortum habuit verbum *Palia* per errorem aut ignorantiam. Talis est Correctorum Romanorum sententia, quae quidem probabilior apparet.

uno in alium canonem gradatim transeundo; in secunda vero parte, immutata methodo, non amplius agit ut magister, sed potius ut casuista, siquidem proposito aliquo casu vel facto historico, materiam sensim et ordinatè dilucidat, respondendo omnibus et singulis quaesitis, quae ex proposita specie facti erui videntur.

Valor et *Auctoritas*. Methodum aliàs consuetam persequentes, modò de valore historico atque scientifico tantum loquemur, postea de auctoritate legali Gratianei Decreti sermo specialis instituetur.

Si collectio Gratiani *historicè* inspiciatur, aliter apud sapientes tractu V saeculorum a XII ad XVI aestimata fuit, aliter a saeculo XVI ad nostra usque tempora habita est. Satis apertè liquet, quoniam de facto historico omnibus comperto agitur, Decretum, ex quo editum est, et communiter receptum esse tamquam textum qui doceretur primum in universitate Bononiensi, moxque in totius Europae lyceis atque academiis, et generaliter etiam spectatum fuisse veluti codicem, cui magistri suam doctrinam in scholis, atque judices suas sententias in foro attemperarent. Ejusmodi universalis acceptatio tamque rapida operis Gratiani divulgatio triplici illius temporis necessitati respondebat: 1.° desiderio, quo omnes flagrabant, prae manibus habendi aliquem codicem, qui in se uno omnia praeberet monumenta juris ecclesiastici hinc et hinc in caeteris collectionibus confusè et indigestè disseminata, quod quidem desiderium mirificè explebatur per subtilem illam conciliationem omnium monumentorum juris ecclesiastici, quantumvis dissonantium: 2.° indoli et ingenio illius aetatis, cui summopere arrisit ordo tractationis a Gratiano delectus, nam divisionem juris romani in personas, res atque judicia sequutus, materias tamen juxta methodum aristotelicam digessit, ut ita clericos facilius ad scientiae canonicae studium traheret; et quemadmodum Aristoteles opus philosophicum in distinctiones,

quaestiones, capita et propositiones partitus est, sic etiam Gratianus disciplinam ecclesiasticam in distinctiones, quaestiones et capita distribuit: 3.° restaurationi scientiarum saeculo equidem XII inchoatae; omnes uno ore atque unanimi consensu exoptabant duces vel magistros, qui, post saeculorum antecedentium ignorantiam cunctarumque cognitionum permixtionem, viam scientiae in unaquaque disciplina aperirent; necesse omnino erat in tanta rerum confusione diversas atque inter se dissitas humanas disquisitiones perpetuo firmare, methodicè ordinare et rectè distribuere, ut scientiae seorsim addiscerentur et docerentur; pro hac maximè optata restauratione clamabat mellifluus Ecclesiae Doctor Divus Bernardus, pro hac laborabat Summus Pontifex Eugenius III ejusdem discipulus, pro hac totas vires conferebant quotquot viri doctrina et pietate conspicui tunc exstitere; et tandem Divina Providentia ita disponente, hoc magnum atque praestantissimum opus restaurationis, distinctionis et scientiarum ordinationis laudabili conatu ac mira eruditione perfecerunt tres illi celebratissimi viri Petrus Lombardus, Petrus Comestor et Petrus Gratianus; Petrus Lombardus Sententiarum Libros edidit et magister theologorum haberi meruit, quem ipse Angelicus Doctor interpretari non dedignatus est; Petrus Comestor in ordine historico normam, methodum et rectam rerum atque eventuum expositionem posteros docuit; denique Petrus Gratianus suo Decreto maximam sibi conciliavit auctoritatem, omnes equidem de religione et scientia optimè meriti monumenta sapientiae nobis reliquerunt et justa laude et insignibus praeconiis ad nos usque pervenerunt.

Sed jam a saeculo XVI vel non multo secus sensim decrescere coepit collectionis gratianeae existimatio; fata atque vicissitudines Decreto adversae quatuor potissimum causis tribuenda videntur: segrega-

tioni monumentorum a commentariis Gratiani in textu factae, appositioni numerorum initio canonum seu capitum, progressibus scientiae canonicae, et dubitationibus de veritate monumentorum exortis.

1.° In editionibus Decreti Gratiani invaluit usus dividendi commentaria compilatoris ab ipsis monumentis, quae tamquam leges vel canones in medium affert, hinc quamvis monumenta a Gratiano collecta veluti legis textus allegari coeperunt per verba initialia canonum, glossae aut explicationes auctoris adhuc habitae sunt ut doctrina magistri, a qua nefas fuit discedere.

2.° Temporis successu plures viri docti, quos inter emicant Antonius Desmochares et Antonius Contius, Doctores Parisienses, capita sive canones notis numeralibus distinxerunt; "ante Contianam enim editionem certum est, prout asserit Antonius Augustinus (1), capitum numeris nullum Gratiani volumen fuisse distinctum„: hac distinctione saeculo XVI peracta, singula monumenta citari assueverunt non jam per verba initialia, sed per numeros unicuique canoni respondentes.

3.° Plus etiam decrevit Codicis Gratianei existimatio, posteaquam jurisperiti communi calculo agnoverunt illum ex defectu ordinis cum incremento scientiae canonicae et nova methodo in scholis inducta minimè componi posse; et sanè Gratianus nec ratione materiae, nec ratione methodi ordinem aequalem ac constantem servavit; nam etsi partitio Decreti in tres praecipuas partes de personis, de judiciis, de rebus ecclesiasticis apta et ordinata foret, tamen materia proposita saepius et sine causa interrumpitur; alioquin prima et tertia pars in *distinctiones* dividuntur, secunda autem in *causas* distribuitur, unde laudatus Antonius Augustinus appositè asseveravit: "Si apud Gratianum

(1) Lib. I, dialog. 18, *de emend. Gratian.*

artem requiras, et ordinem docendi, frustra laboraveris (1).„

4.° Sed quod magis pretium hujus collectionis imminuit fuit certè investigatio critica circa errores et menda quae in eadem undequaque reperta sunt. Sub hoc examine plura monumenta apocrypha, interpolata vel corrupta detecta sunt, quorum elenchum nobis suppeditat eruditissimus Antonius Augustinus: "Saepe, ait, erratum esse video in nominibus hominum, urbium, provinciarum, Conciliorum, et aliarum rerum. Saepe falsae sunt inscriptiones, et quae Conciliorum sunt, Pontificum Maximorum esse dicuntur, et quae sunt unius Episcopi inferioris, Romano Pontifici, aut Concilio generali vel provinciali tribuuntur. Multa Gregorii, Ambrosii, Augustini, vel Hieronymi verba esse dicuntur, quae aut nusquam exstant, aut aliena sunt. Illa quoque ipsa, quae inscriptiones veras habent, non rectè referuntur.„ (2)

Ut aliquid de valore scientifico Decreti attingamus, satis sit declarare hujusmodi collectionem plenam indubitamque fidem non mereri, non quidem ex defectu probitatis, sed potius ex defectu scientiae; cum enim Gratianus graeci idiomatis ignarus esset, atque etiam eo tempore vixisset, quo nondum a criticis Codicis Isidoriani falsitas detecta erat, omnia monumenta promiscuè congessit, quin apocrypha a genuinis, integra a interpolatis, sincera a supposititiis discernere posset. Hinc ab omnibus recepta regula: si scientifica quaeratur auctoritas operis Gratiani, tantum valent singula monumenta in eo relata, quantum valent de se, id est, si nunquam in hujusmodi opere fuissent recensita; idcirco haberi debent apocrypha ut apocrypha, integra ut integra, corrupta ut corrupta, approbata ut approbata, etc.

(1) Loc. cit.
(2) Lib. I dialog. 1 *de emend. Gratian.*

255. Tot erroribus tantisque mendis (1) in opere Gratiani compertis, de correctione Decreti serio actum est, et duplex emendatio tentari coepit, privata, nempè, et publica: in primis enim viri docti ad detegendos Gratiani errores et veritatem monumentorum inquirendam animum adjecerunt; supra meminimus Antonii Desmochares atque Antonii Contii, qui, praeter canonum numerationem, multas notas addidere, quibus falsae inscriptiones a veris, et sincera monumenta ab apocryphis secernerentur.

Sed cum ejusmodi negotium maximam diligentiam summamque prudentiam exposcebat, nam ex una parte progressus juridici postulare videbantur ut codex hic emendaretur, ne in tanta scientiae canonicae luce liberè pervagarent documenta apocrypha, interpolata vel supposititia; ex alia vero duplex periculum cavendum erat, ne vera monumenta rejicerentur tamquam ementita, vel subverteretur disciplina ecclesiastica hisce legibus introducta aut confirmata; his omnibus ritè et maturè perpensis, Romani Pontifices Pius IV, Pius V atque Gregorius XIII rem totam sapientissimè ad se advocarunt ac novam et castigatiorem Gratiani emendationem aggressi sunt, eam provinciam congregationi ex selectis quibusdam viris jurisperitis, quos *Correctores Romanos* vocant, compositae, demandando.

Age jam Correctores Romani, conquisitis undique praesidiis, permulta in canonum inscriptionibus, et in textu, et in glossis emendarunt, et tandem sub Gregorio XIII, qui, cum in minoribus esset, hujus congregationis membrum fuerat, opus emendatum vulgatum est. Ipse Gregorius XIII, Constitutione *Cum pro munere pas-*

---

(1) De mendis Gratiani consuli possunt Antonius Augustinus *De Emendatione Gratiani*, Lib. duo; et Carolus Sebastianus Berardi in praestantissimo opere sub titulo: *Gratiani Canones genuini ab apocryphis discreti, corrupti ad emendatiorum Codicum fidem exacti, difficiliores commoda interpretatione illustrati.*

toralis sollicitudinis die prima Junii 1582 emissa, correctionem Gratianeam promulgavit confirmavitque, prohibens ne haec ipsa Decreti emendatio privatorum arbitrio in posterum fieret (1).

256. Priusquam de auctoritate legali Decreti Gratiani disseramus, duo hac super re praenotare oportet: 1.° opus Gratiani non esse de natura sua codicem legum, sed opus scientificum circa jus elaboratum, ita ut sequenti aetati tribuendam formam, quam hodiedum praefert, collectionis sacrorum canonum; 2.° Decretum Gratianeum non publica auctoritate, sed privato ipsius Gratiani arbitrio confectum esse, ideoque nullam ex Collectore legalem vim obtinuisse.

His praejactis, quaerimus, an Gratiani collectio authentica censeri queat, et proinde quidquid in ea continetur, ecclesiasticae legis vigorem habeat. Tres sententias apud criticos invenimus, quas breviter, juxta morem nostrum, expendemus.

1.ª Alii, duce Trithemio saeculi XI scriptore (2), legalem Decreti auctoritatem propugnant, tum quod Gratiani opus, cum primum prodiit, in scholis et in foro assiduè susceptum et adhibitum fuit, tum quod Eugenius III et Gregorius XIII publicam et solemnem approbationem eidem Decreto tribuerunt.

2.ª Plerique canonistae, inter quos recenseri merentur Berardi, Benedictus XIV, Cardinalis Soglia, Devoti, Donosus, aliique multi, omnino inficiantur inesse huic collectioni quemcumque valorem legalem, sequentibus suffulti rationibus: 1.° scholarum et fori usus praestantiam Decretis commendat, nullam tamen auctoritatem adjungit, eo vel magis quod adulterata, spu-

---

(1) Quamquam Gregorius XIII jure caverit, ne quilibet privatus pro lubitu suo Decretum, tanta maturitate diligentiaque emendatum, iterum corrigere ac typis edere praesumeret, permisit tamen, ut viri eruditi in expendendis Gratiani monumentis operam suam navarent.

(2) *De Illustribus viris ordinis S. Benedicti.*

ria, aliaque mendosa capita, quibus Decretum hoc scatet, nondum comperta erant; idcirco credendum non est scholas et forum, imo vero Romanos quoque Pontifices ea voluntate Decreto usos esse, ut omnibus indiscriminatim in eo congestis vim legis ecclesiasticae tribuerent, cum nihil magis obsit consensui, quam error: 2.° de sanctione legali Decreti minimè constat; nam duo Romani Pontifices illud probare tantummodo potuere videlicèt Eugenius III, sub cujus pontificatu Gratiani opus editum fuit, et Gregorius XIII, qui Constitutione supra laudata Decretum a mendis expurgatum promulgavit.

Iam vero de Eugeniana approbatione unus et solus Trithemius testis est, sed ejus testimonium a criticis planè rejicitur, propterea quod caeteri scriptores coaevi aut superstites hujus approbationis non meminerint, nec ullum illius vestigium in scriptis, allegationibus vel veteribus exemplaribus ad nos usque pervenerit. Fatemur equidem Eugenium III facultatem dedisse, ut Gratiani collectio publicè possit legi et explicari, prouti in Gymnasio Bononiensi contigit, sed negamus praecepisse hoc fieri vel sua auctoritate Decretum confirmasse.

Ad Gregorianam approbationem quod attinet, exploratum apud omnes est Gregorium XIII maxima diligentia summoque studio curasse, quod apertè in praefatis suis Litteris declaravit, ut Gratiani Decretum correptum et emendatum de novo vulgaretur, sed nullum prorsus verbum fecisse, ex quo constaret, illud etiam auctoritate legali donavisse. Certum igitur est Decretum emendatum a Gregorio fuisse, non approbatum, nec authenticum declaratum.

3.ª Non desunt alii qui cum Camillis contendunt plura monumenta in Decreto allegata, quae respectu critices tantae non sunt auctoritatis, usu vel praxi aut vi consuetudinis, non explicita approbatione ecclesias-

tica, ab ipsis etiam exclusa, jus commune fecisse; ejusmodi opinio valdè singularis ad rem spectare non videtur, siquidem quaestio non est de inquirendo valore juridico aliquorum, vel plurium canonum in opere Gratiani allatorum, sed tota controversia circa explorandam finiendamque vim legalem integri codicis gratianei, prout talis collectio est et authenticè adhibenda vel expungenda a judiciis et academiis.

Quapropter secundae sententiae ultro assentimur testimonio Benedicti XIV innixi, qui de re canonica sapienter et copiosè scripsit, perennia atque innumera sui praeclari ingenii monumenta nobis relinquens; en quidem peremptoria verba, quibus hic doctissimus Pontifex praesentem controversiam absolvit: *Gratiani Decretum, quantumvis pluries Romanorum Pontificum cura emendatum fuisse non ignoretur, vim et pondus legis non habet; quin imo inter omnes receptum est, quidquid in ipso continetur, tantum auctoritatis habere, quantum ex se habuisset, si nunquam in Gratiani collectione insertum foret* (1).

257. Collectiones Ante-Gregorianae nuncupantur quae a Decreto Gratiani ad compilationem usque Decretalium Gregorii IX prodierunt. A fine saeculi XII (1190) usque ad initium saeculi XIII (1230) quo anno Gregorius IX suam edidit collectionem, quinque saltem celebriores Decretalium collectiones conflatae fuere, quae *Prima, Secunda, Tertia, Quarta* et *Quinta* inscribuntur et hodiè antiquatae sunt.

Evulgato codice gratianeo et segregata saeculo XII Theologia a studio Juris, occasionem praebuit has novas compilationes conficiendi duplex potissimum causa: associatio et communis conspiratio tam canonistarum, quam civilistarum pro instituendis academiis in quibus utrumque jus traderetur; designatio vel electio analogi

(1) *De Syn. Dioec. lib.* VII *cap.* 15, *num.* 6.

textus, qui tum magistris, tum doctoribus proponeretur pro colenda utraque disciplina, juris nempè canonici et civilis.

Nunc vero Jus Romanum tamquam ipsius juris prototypus hac aetate summa in existimatione habitum est et duobus voluminibus comprehendebatur, *Pandectis* videlicèt, et *Codice:* Pandectae complectebantur jurisprudentiam seu jurisconsultorum responsa; Codex autem Principum seu Imperatorum placita continebat.

Doctorum juris civilis exemplum imitati putarunt canonistae quodam modo se habere posse tamquam Pandectarum loco Gratiani Decretum, quippe quod pluribus sententiis refertum veluti exhibere videbatur jurisprudentum responsa in Jure Ecclesiastico.

Sed adhuc ab omnibus desiderabatur quaedam collectio, quae ad instar Codicis Justinianei, in re civili, secundum volumen juris ecclesiastici constitueret; at, cum nullus alius locus esset in jure canonico, qui posset melius principum placitis comparari, quam *Epistolae Decretales, Constitutiones* seu *Rescripta* Romanorum Pontificum, qui supremum in Ecclesia obtinent principatum, inde coeperunt canonistae incumbere studio hujusmodi Decretales colligendi, ut ita pro magistris et doctoribus conficeretur codex toties optatus, in rebus ecclesiasticis codici Justiniani aliquomodo assimitatus.

258. Inter compilationes ante-gregorianas primo loco recensenda est collectio quam anno 1190 evulgavit Bernardus Circa, vel Cirta Papiensis Prepositus, dein Episcopus Faventinus. Quamvis communiter vocatur *Prima Decretalium Collectio,* eam tamen auctor appellavit *Breviarium Extravagantium: Breviarium* nempè, quia non integra continebat monumenta, sed tantum fragmenta quaedam a suis autographis decisa, brevitatis causa; *Extravagantium* vero, (quod veteres per litteram X significabant), quia comprehendebat monumenta extravagantia, seu quae extra Gratiani opus vagabantur.

Ejusmodi collectio complectitur sequentia documenta: Decreta, quae Gratiani diligentiam effugerant, Constitutiones Summorum Pontificum post Gratianum editas usque ad Caelestinum III, et canones Concilii Lateranensis III.

Bernardus Circa suum opus in quinque libros tribuit, libros in titulos, titulos in capita: liber primus agit de *legibus Ecclesiae* et de *Magistratibus ecclesiasticis;* secundus, de *judiciorum ordine;* tertius, de *clericis* et *rebus ecclesiasticis;* quartus, de *sponsalibus* et *matrimonio;* quintus, de *accusationibus*, deque *delictis* et *poenis.* Hunc collectionis Papiensis ordinem tamquam prototypum partitionis canonicae omnes postea Decretalium collectores sequuti sunt.

259. Ex monumentis industria Giberti Abbatis et Alani Episcopi Antissiodorensis congestis novam collectionem, quae *Secunda* dicitur, anno 1202 lucubravit quidam *Joannes Gallensis*, seu, ut alii volunt, *Vallensis.* Colectio secunda Constitutionibus constat, tum superiorum Pontificum, tum Caelestini III.

260. Innocentius III, Caelestini III successor, utriusque juris ac Theologiae peritissimus, cum ab anno 1198 usque ad annum 1216 pontificatum gessisset, plurimas edidit Constitutiones et in multis jus ecclesiasticum locupletavit. Videns enim copiam Decretalium summoperè crevisse, operis sui esse duxit *Tertiam* collectionem conficiendam curare, quod quidem perfecit, primùm usus opera cujusdam Bernardi, Archidiaconi Compostellani, *Majoris* dicti, qui hujusmodi Summi Pontificis Constitutiones colligere coepit, ejusque collectio *Compilatio Romana* nuncupata fuit.

Sed cum quaedam monumenta in hac compilatione relata antiquata essent et ab judiciis ablegata, ideoque Romanis non placuissent, Innocentius III curam commisit edendi novam collectionem cuidam Petro Beneventano, Subdiacono et Notario Apostolico, qui ipsius

Pontificis decreta duodecim prioribus Pontificatus annis edita, ab anno scilicèt 1198 ad annum 1210, congessit.

Idem Innocentius collectionem confectam vel correctam per Petrum Beneventanum ad universos magistros et scholares Bononiae misit ut ea uterentur tum in judiciis, tum in scholis. Haec compilatio *Tertia* dicta est *prima*, quae Pontificis oraculo et auctoritate promulgata ac comprobata fuit, et declarata authentica, verèque proposita ut codex in re ecclesiastica, non secus ac codex Justiniani in re civili.

261. Huic collectioni paulo post *Quarta* accessit, auctoris ignoti, sed sub ipsius Innocentii auspiciis evulgata, et partim ex posterioribus hujus Pontificis Decretalibus, partim vero ex canonibus Concilii Lateranensis IV, anno 1215 habiti, concinnata.

262. Post Innocentium III Honorius III exemplum secutus Decessoris sui, voluit etiam suarum Constitutionum collectionem edere, editamque Bononiam mittere: inde prodiit *Quinta collectio* Decretalium, quae missa est ad quemdam Tancredum, juris professorem in universitate Bononiensi (1), ut eam reciperet et recipi faceret tam in judiciis, quam in scholis (2).

263. Quinque memoratae ante-gregorianae collectiones *historicè* spectatae, aetate, qua editae sunt, usum acceptationemque obtinuerunt; sed hodie per novam collectionem a Gregorio IX, qui Honorio III successerat, adornatam ita antiquatae devenerunt, ut nullam auctoritatem faciant vel in judiciis, vel in scholis, solùmque nobis exhibent quoddam monumentum scien-

(1) Innocentius Cironius autumat Honorium III suam collectionem non ad universos magistros et scholares misisse, ut fecerat Innocentius III, sed ad usum tantum professorum singulariter, eo quod potestas et populus Bononiae jamdiu ab Innocentio III defecerant, ut adhaererent Othoni III Austriaco, per Romanum Pontificem excommunicato, ab Imperio dejecto, et in Saxonia catholica mortuo.

(2) Quatuor priores collectiones Antonius Augustinus (1575), quintam Innocentius Cironius (1645) typis edidere, notisque illustrarunt.

tificum, quo aliquando dignoscere possimus genuinum sensum plurium Constitutionum Pontificiarum.

Si attendatur valor *scientificus*, cum omnes ejusmodi compilationes monumenta integra atque coaeva suis auctoribus complectantur, de falsitate redargui nequeunt; sed contra criticis praebent monumentum antiquitatis fide dignum, vi legali quidem destitutam, valdè tamen idoneum ad germanam intelligentiam documentorum, quae per id tempus a Romanis Pontificibus emanarunt.

Quoad valorem *legalem*, non omnes eamdem juridicam et publicam auctoritatem habuerunt, quandoquidem *prima, secunda* et *quarta* privato studio elaboratae sunt; *tertia* vero et *quinta* tamquam authenticae oraculo pontificio confirmatae fuere; unde ipsi Summi Pontifices Innocentius III et Honorius III earum veri auctores vim legis tribuerunt.

ARTICULUS VIII

SUMMARIUM.

264.—Collectio *Gregoriana.*— 265. — Collectiones Post-Gregorianae.— 266.—*Sextus Decretalium* Bonifacii VIII.—267.—Collectio *Clementinarum.*—268.— *Extravagantes Joannis XXII.* —269.—*Extravagantes Communes.*—270.—Ejusmodi Collectionum auctoritas.

264. *Collectio Gregoriana.* Gregorius IX in Sede Romana Honorii III successor, videns quinque Decretalium Collectiones supra recensitas novis jurisprudentiae canonicae studiis parum profuisse multis de causis, quas postea exponemus, authenticam et omnium locupletissimam collectionem condere aggressus est.

Sicut enim Justinianus imperator Triboniano, jurisperito romano, mandatum dedit, ex antiquis Codicibus Gregoriano, Hermogeniano, Theodosiano et etiam

ex novellis constitutionibus a se ipso editis, novum conflandi codicem juris civilis, ita et Gregorius IX B. Raymundo de Pennafort, natione Hispano, viro pietate et multiplici eruditione praestantissimo, Sacri Palatii Auditori et Apostolico Poenitentiario, provinciam commisit, ut ex omnibus anterioribus Decretalium collectionibus, necnon ex recentioribus constitutionibus a se editis, novum Decretalium codicem conficeret.

Sanctus Raymundus tam ingenti operi totis viribus statim incumbens gravissimum munus sibi injunctum brevi quatuor annorum spatio mirificè adimplevit; et licèt collectio a se elaborata non solum ex Decretalibus Pontificiis coalesceret, sed etiam ex aliis canonicis statutis, puta conciliorum canonibus, tamen cum Decretales Romanorum Pontificum partem potiorem sui operis constituerent, id evulgare voluit sub titulo: *Decretalium D. Gregorii Papae IX compilatio.*

Causa et *Epocha.* Causae praecipuae, quibus, ut ipse Gregorius IX suis Litteris declaravit, hujus collectionis lucubratio tribuenda est, ad quatuor capita revocari possunt: defectum unitatis in anterioribus codicibus passim notatum; promulgationem novorum Rescriptorum ab ipso Gregorio IX factam; contrarietatem, repetitionem atque extensionem Decretorum Romanorum Pontificum ejus Praedecessorum; dubia de authenticitate quarumdam Decretalium exorta, quae nondum in praecedentibus compilationibus relatae erant.

Hisce rationum momentis permotus praelaudatus Summus Pontifex celeberrimam compilationem *Decretalium,* opera B. Raymundi de Pennafort absolutam, universitati Bononiensi, vel Parisiensi, vel utrique, juxta variam codicum lectionem, proposuit circa annum 1230, ut ea tantum uterentur sive magistratus sive scholares, tum in judiciis, tum in gymnasiis. Unde factum est, quod a Gregorii IX aetate usque ad finem saeculi XIII haec collectio tamquam unicus codex canonicae jurisprudentiae recepta sit.

Monumenta. Codex Gregorianus sequentia monumenta complectitur: canones Conciliorum ab Antiocheno usque ad Lateranense IV; Decretales Pontificias a Gregorio I ad Gregorium IX; canones Apostolorum; plura Sacrae Scripturae loca; sententias Sanctorum Patrum.

Methodus et *Extensio.* Raymundus quinque antecedentium collectionum ordinem sequutus rem totam in quinque libros distribuit: 1.° egit de *subjecto auctoritatis ecclesiasticae;* 2.° de *ordine et forma judiciorum;* 3.° de *personis, officiis* et *proventibus ecclesiasticis;* 4.° de *matrimonio;* 5.° de *delictis* et *poenis;* hinc canonistae, ad memoriam juvandam, solent hanc divisionem notissimo versiculo comprehendere:

Judex, judicium, clerus, connubia, crimen.

Libros etiam in titulos distinxit; titulos autem in capita; capita vero secundum ordinem chronologicum ita disposuit, ut in collocandis sub quolibet titulo canonibus, primo loco ea capita exhiberet, quae ex prioribus quinque collectionibus selegit; deinde nonnulla alia, quae extra eas collectiones vagabantur; postremo loco Decretales Gregorii IX tamquam recentiores in suam compilationem inseruit.

Valor et *Auctoritas.* De valore Collectionis Gregorianae duo hoc loco generatim monenda sunt: alterum est collectionem hanc authenticam esse, ideoque omnia et singula generalis legis auctoritate pollere, sive a Concilio generali vel particulari, sive a Summo Pontifice, sive a Sancto Patre, sive ab alio quocumque scriptore vel fonte hausta sint. Haec enim collectio auctoritate Gregorii IX confecta et publicata est, ut merito Pontifex omnia sua fecerit, quibus suam auctoritatem impertitus est. Alterum est antiquis Decretalibus, quas Gregorius IX missas fecit, vim legum ecclesiasticarum

detractam esse, cum Pontifex ipse eas solas Decretales in posterum vigere voluerit, quae in suam collectionem translatae fuerant, caeteras omnes ex industria praeteriens, quae temporibus minus accommodatae visae sunt.

Judicium criticum. Codex Decretalium ab omni labe immunis minimè censenduus est tamquam quodlibet aliud humanum opus; quibusdam defectibus proculdudio scatet, qui ipsae suppressioni et abbreviationi monumentorum confusionem aliquando gignentibus imputari debent: etenim B. Raymundus ex potestate sibi facta inutilia et superflua resecandi, nonnulla capita adeo praecidit, et mutilata nobis exhibuit, ut ea ritè percipi nequeant, nisi in antiquis collectionibus integram Decretalem perlegamus.

Attamen, generaliter loquendo, omni laude digna apparet et summa in existimatione semper habita est, prouti innuere videntur levissimae observationes, quas subjicimus: 1.ª Clemens VIII Pontifex Maximus in Bulla *canonizationis* B. Raymundi a Pennafort, de hac celebratissima collectione loquens, eam nuncupat: *Opus ingens et non infelix:* 2.ª Legislatores sapientissimi Decreta hujus collectionis in codices suorum regnorum vel statuum retulere, ut inter alios memorari meretur Alphonsus X cognomento *Sapiens*, qui quamplurimas Decretales Gregorianas in celebrem codicem Legum Partitarum inseruit: 3.ª Ipsi Protestantes Germaniae et Angliae, prouti animadvertunt Doujat et Lequeux, ad cognoscendas et dirimendas causas jurisdictionem ecclesiasticam attinentes, utuntur in judiciis non legibus civilibus, sed jure per Decretales Gregorii IX inducto; 4.ª Jus in compilatione Decretalium contentum et evulgatum, juxta sententiam D. Raymundi Beas et Dutari, veteris et emeriti Professoris in Universitate Hispalensi, viri equidem in re canonica peritissimi (1), est jus

---

(1) D. Joannes Petrus Morales Juris Canonici doctus Professor

ipsum consuetudinarium saeculi XII, tanto praestantius, quantum nobis docet, declarat atque rectè definit Disciplinam Generalem Ecclesiae hac critica aetate vigentem, nempè epocha, quae antonomasticè vocatur *Restaurationis*, quoniam pro instaurandis scientiis, moribus, artibus, institutionibus, clero, capitulis, etc., omnes strenuè adlaborarunt.

265. Collectiones Post-Gregorianae vocantur illae, quae a Gregorio IX morte usque ad Concilium Tridentinum confectae sunt. Quatuor numerantur, nempè: 1.° *Sextus Decretalium Bonifacii VIII;* 2.° collectio *Clementinarum;* 3.° *Extravagantes Joannis XXII;* 4.° *Extravagantes communes.*

266. Post editas Gregorianas Decretales, cum novae plures a Romanis Pontificibus Constitutiones prodiissent, et Concilia duo Lugdunensia sub Innocentio IV anno 1243 et Gregorio X anno 1274 celebrata multos canones condidissent, Bonifacius VIII, qui tunc temporis Romanum gerebat Pontificatum, de nova edenda collectione consilium iniit. Hanc igitur tribus a se delectis viris perficiendam commisit, videlicèt, Guillelmo Archiepiscopo Embrodunensi, Berengario Episcopo Biterrensi, et Richardo de Senis, S. R. E. Vicecancellario et utriusque juris doctori.

Haec non secus atque Gregoriana quinque libris, et eodem titulorum ordine digesta est, et vulgo *Sextus Decretalium* nominatur, veluti quinque librorum Gregorianae compilationis appendix quaedam et complementum.

Ab ipso Bonifacio publicata, et legali auctoritate munita est, illam mittendo (1298) universitati Bononien-

---

in Gymnasio Matritensi, vetus alumnus Lycei Hispalensis et benemeritus D. Raymundi Beas discipulus, ad memoriam tam praeclari Magistri colendam perpetuandamque hoc testimonium, sicuti alias doctrinas vel opiniones solidissimas hujus egregii canonistae affert in erudito suo *Libro Isagogico* seu *Prolegomenis Scientiae Canonicae.*

si vel Parisiensi, ut doctores et alumni ibi commorantes ea uterentur tam in judiciis, quam in scholis.

267. Paulo post alia collectio subsequuta est, quae *Clementinarum* nomine venit, propterea quod Clemens V, primus nempė Pontifex qui Avenioni sedit, ex canonibus Concilii Viennensis anno 1312 habiti, et ex nonnullis Constitutionibus a se editis conficiendam curavit. Clemens V sibi proposuerat collectionem jam perfectam evulgare sub titulo *Septimi Decretalium,* sed morte praereptus suum consilium exsequi non potuit. Successor ejus Joannes XXII noluit hoc opus edere sub nomine *Septimi Decretalium,* sed titulo collectionis Decretalium Clementis V (vulgo *Clementinarum)* in publicam lucem protulit, eam de more magistratibus et scholaribus celeberrimi Gymnasii Bononiensis proponendo pro usu forensi et scholastico.

In hac etiam collectione, servato ordine Gregorianae analogo, quinque libri in titulos dividuntur, tituli autem in capita.

268. Anno 1325 prodiit nova collectio auctoris ignoti, in qua non omnes sed solae viginti Joannis XXII Constitutiones relatae sunt; nam hic Summus Pontifex Sedem Romanam rexit ab anno 1316 usque ad annum 1334, et tamen studiosus compilator Decretales ab exordio Joannis pontificatus ad annum usque 1325 editas tantùm congessit.

Ejusmodi collectio, cui titulus: *Extravagantes Joannis XXII*, quatenus extra corpus caeterarum Decretalium vel Decreti Gratianei vagantur, ob exiguum monumentorum numerum unico libro in XIV titulos distincto constat.

Auctor in hoc unico libro ordinem materiarum in anterioribus collectionibus servatum sequutus est.

269. Postremo sub Sixto IV, saeculo XV exeunte, nova edita est Decretalium collectio, cujus auctor etiam ignoratur, et quae XXV Romanorum Pontificum Con-

stitutiones, ab Urbano nempe IV usque ad ipsum Sixtum IV complectitur.

Collector, quisquis ille fuerit, methodum analogam et ordinem communem priorum collectionum prosequutus est; sed deficientibus Decretalibus de re matrimoniali, quartum librum omisit: unde haec postrema compilatio, sub titulo *Extravagantium Communium* cognita, quatuor libris tantùm coalescit.

270. Valor et auctoritas uniuscujusque collectionis, prouti alio loco animadvertimus, cum hanc salebrosam disceptationem exordiremur, tripliciter considerari potest, nimirum, *historicè*, *scientificè* atque *juridicè:* nunc vero, si valorem merè historicum quinque collectionum Decretalium quas recensuimus, spectemus, luculenter patet omnes has compilationes, sive ratione auctoritatis pontificiae, sive ex ipsa integritate et genuinitate monumentorum, usum generalem et publicam acceptationem obtinuisse tum in judiciis ecclesiasticis, tum in scholis catholicis.

Sub respectu *scientifico* aliter valent Extravagantes Joannis XXII et Extravagantes communes, aliter vero Decretales Gregorii IX, Bonifacii VIII atque Clementis V; etenim primae, unanimi canonistarum consensu, plenam fidem merentur et perfecta auctoritate gaudent tamquam instrumenta publica et doctrinalia documenta, eo quòd authenticae sint et integrae reperiantur; et praecisè hac de causa, licèt collectiones Extravagantium non fuerint Pontificio oraculo confirmatae, in usu tamen scholarum et fori sunt receptae: secundae autem certitudinem scientificam adeo firmam atque tutissimam gignere nequeunt inspectis peculiari textura et quibusdam adjunctis ejusmodi collectionum; enim Gregorianae Decretales, etsi nullo modo fas sit de probitate S. Raymundi dubitare vel de monumentorum corruptione suspicari, editae sunt ea aetate, qua nondum corruerat pseudo-Isidori regnum, nec adhuc critica erat in culmi-

ne quo hodie est, unde inscio ipso piissimo auctore, facilè monumenta apocrypha cum genuinis, corrupta cum integris confundi potuerunt: Bonifacius in *Sexto Decretalium* minimè intendit genuinam et integram conficere collectionem Constitutionum, quae a Gregorio IX ad sua usque tempora fuerant evulgatae, sed unicè praebere voluit supplementum vel appendicem pro jure vigenti; hinc ipse Bonifacius in Cons. *Sacrosanctae Ecclesiae,* qua probavit suam compilationem, apertè fatetur plures factas fuisse detractiones vel additiones monumentis in illa comprehensis: *Clementinae* denique a Clemente V conflatae et a Joanne XXII divulgatae, juxta Joannem Andraeam, historicum illius aetatis, non exhibent monumenta Concilii Viennensis verè et propriè talia, qualia fuerunt in dicto concilio statuta, sed ejusdem Clementis V auctoritate et prudentia modificata et juri praevalenti practicè accommodata.

Aliter judicanda est res, si de legali harum collectionum vi sermo sit, quoniam sub aspectu *juridico* spectatae valorem prorsus inversum praeseferunt. Compertum est enim collectiones Extravagantium nunquam pontificia sanctione fuisse munitas tamquam authenticas, neque approbatas veluti codices legum; nulla idcirco legali auctoritate pollent vi collectionis, quamvis in praxi communi scholarum et judiciorum usu receptae sint propter originem atque integritatem monumentorum.

Sed tres priores compilationes Gregorii, Bonifacii et Clementis omnes norunt auctoritate vel Gregorii IX Constitutione *Rex pacificus,* vel Bonifacii VIII Const. *Sacrosanctae Ecclesiae,* vel Joannis XXII Const. *Quoniam nulla,* fuisse publicatas et tamquam codices legum ecclesiasticarum propositas; eapropter monumenta aut canones in hisce collectionibus relati, licèt de se non habeant vim legis ecclesiasticae, vel ad summum inter

leges particulares recenseantur, pontificia approbatione accedente, vigorem legis generalis obtinent, quousque non probetur eos suprema Romanorum Pontificum potestate sancitos non fuisse, vel abrogatos aut immutatos esse recentiori jure.

ARTICULUS IX

SUMMARIUM.

271.—Corpus Juris Canonici.—272.—Ejusdem partitio.—273.—Auctoritas.—274.—Rubricae.—275.—Summaria.—276.—Glossae.—277.—Additiones.—278.—Notae.—279.—Modus citandi Corpus Juris tum Canonici, tum Civilis —280.—Explicatio abbreviationum, quae in Corpore Juris habentur.—281.—Ratio facilius inveniendi titulorum citationes.—282.—Methodus studio Juris fructuosè incumbendi.

271. Corpus Juris Canonici dupliciter spectari potest, *formaliter* et *juridicè*, ut ita dicam, atque *materialiter* et *analogè*, hoc est, per comparationem cum Corpore Juris Civilis. Primo sensu sumptum, cum Cardinali Soglia contendimus Corpus Juris Ecclesiastici propriè et legaliter dicti ex quinque collectionibus Decretalium supra expositis, nempè, *Gregorii IX, Sexti, Clementinarum, Extravagantium Joannis XXII* et *Extravagantium Communium* tantum conflari, ejusdemque vim, applicationem atque praestantiam tanti habendam esse, ut, quemadmodum Jus Civile Romanorum ubique penè gentium pro jure communi recipitur, et jure patrio aut consuetudinario deficiente vel dubio occurrente, causae civiles et reipublicae negotia ex eodem Jure Romano diriguntur, definiuntur ac dilucidantur; ita etiam causae ecclesiasticae et externum Ecclesiae regimen Jure Canonico tamquam Jure communi regulari ac dirimi debeant, et si controversia aut dubitatio aliqua de Jure particulari aut consuetudinario in Ecclesiis orta fuerit,

ex ipso Jure Canonico recta et legitima interpretatio desumenda est.

272. Age jam, si Corpus Juris Canonici significatione materiali accipiatur et cum Corpore Juris Civilis per analogiam conferatur, tunc alia divisio tradenda erit: quemadmodum enim textus civilis duobus voluminibus constat et scholarum usui proponitur, sic etiam, methodo analoga a canonistis generatim recepta, textus canonicus seu omnes collectiones Juris Ecclesiastici duobus voluminibus coalescunt, quae sequentem contexturam vel partitionem exhibent:

Volumen primum continet: 1.° Decretum Gratiani; 2.° 56 canones poenitentiales; 3.° demum 84 canones Apostolorum.

Volumen secundum complectitur: 1.° Decretales Gregorii IX; 2.° Sextum Decretalium; 3.° Clementinas; 4.° Extravagantes Joannis XXII; 5.° Extravagantes communes. Ad calcem Corporis Juris, typographorum vel bibliopolarum studio, duo opera adjecta sunt, videlicèt, *Septimus Decretalium* Petri Matthaei, jurisconsulti Lugdunensis, et *Institutiones Canonicae* auctore J. Paulo Lancelloto, jurisperito Perusiano.

273. De auctoritate horum monumentorum haec teneto: Decretum Gratiani et canones Apostolorum silentio praeterimus, quia res nobis videtur satis enucleata: quoad canones poenitentiales, ejusmodi compilatio nullam vim legalem obtinet, sed tantùm nobis praebet unam ex tot collectionibus hujus generis quae saeculo VII, VIII, IX et X ea mente prodiere, ut sacerdotes in foro poenitentiali normam quamdam haberent, cui pro sua prudentia sese accomodarent in infligendis poenis et satisfactionibus; ideoque aestimanda est veluti quoddam monumentum antiquae disciplinae fortasse saeculo IX exaratum.

Quod spectat ad duo opera Corpori Juris adjecta, nulla gaudent publica auctoritate, quia vel privatorum

arbitrio elaborata sunt vel saltem approbationem authenticam assequuta non fuere. De collectione Petri Matthaei sermo redibit in Jure Novissimo, ubi de recentioribus compilationibus Canonum agendum erit; nunc vero aliquid de Institutionibus Lancelloti delibabimus.

Cum saeculo XVI antiquae disciplinae ecclesiasticae monumenta colligere coepissent viri eruditi, experti sunt omnes necessitatem conficiendi quasdam institutiones canonicas, quae, pro enucleanda atque ordinanda tanta textuum seu ingentium collectionum copia, in compendium redigerent generalia juris praecepta. Ejusmodi opus magnoperè optatum primus omnium aggressus est Antonius Cucchius, juris professor in Tycinensi Gymnasio, institutiones canonicas conficiens tum minores tum majores, quae vix aut ne vix quidem usum et acceptationem habuerunt; cujus rei causa Summus Pontifex Paulus IV perficiendum hoc opus commisit Joanni Lancelloto, qui Romani Pontificis mandato obtemperans illud elucubravit, et in quatuor libros dividens ad instar Institutionum Justiniani, Paulo IV obtulit.

Sed hoc opus, vel ob prudentiam vel ob detractorum invidiam variis correctionibus subjectum fuit et toto Pauli IV pontificatu ineditum remansit; donec demum sub Pio IV immediato ejus Successore privato auctoris studio editum est. Attamen per id tempus absoluta Tridentina Synodo, et jure antiquo in multis immutato, factum est ut Institutiones Lancelloti antiquae legislationi aptatae non possent amplius decretis Reformationis in Concilio Tridentino conditis applicari. Nullam proinde auctoritatem in usu scholarum et apud doctores obtinuerunt; at typographi et bibliopolae, ne prorsus deperiret hujusmodi opus, tantis laboribus confectum, totque correctionibus emendatum, coeperunt illud edere in secundo volumine Corporis Juris Canonici.

274. In Corpore Juris Canonici praeter capita seu monumenta principalia ocurrunt etiam Rubricae, Summaria, Glossae, Additiones et Notae; ut rem totam absolvamus, breviter de istorum auctoritate disserere oportet.

Rubricae sunt titulorum inscriptiones, ducto nomine a litteris rubris, quibus olim scribebantur. Bifariam dividuntur, videlicèt in *praeceptivas* et *non praeceptivas:* praeceptivae dicuntur, quae sensum perfectum exhibent, ex. gr. *ne Sede vacante aliquid innovetur;* non praeceptivae vocantur, quae perfectum sensum non habent, sive quae nihil praecipiunt aut vetant, ex. gr. de Constitutionibus, de Testamentis, aliaeque id genus quae nihil certi praefiniunt.

Cum de valore rubricarum agitur, alii cum Soglia contendunt praeceptivas allegari posse *dispositivè,* juxta loquendi modum canonistarum, hoc est, vim legis habere, utpote quae a Legislatore profectae vel confirmatae sunt; non praeceptivas vero tantum *declarativè* adduci posse, nempè, ad majorem illustrationem capitum, quae in rubricis comprehenduntur. Alii cum de Camillis censent neutras allegari posse dispositivè, quia non habere videntur pro se voluntatem Legislatoris, siquidem ab illo non approbatae fuerunt, nisi tamquam rubricae, id est, ad explanandum textum, non autem ad moderandum jus.

275. *Summaria* dicuntur quaedam breves periodi, quibus canones sub titulis, seu rubricis singulis inclusi exponuntur, ut summatim proponant vel ostendant unico veluti aspectu sententiam principalem canonum vel capitum. Quamvis maximo in pretio habenda sint, et canonibus interpretandis valde prosint; attamen vi legis carent, quia privatorum studio accesserunt ad illustrationem singulorum monumentorum.

276. *Glossarum* nomine veniunt quaedam commentaria aut interpretationes, in Corpore ipsius Juris ad

marginem Decreti Gratiani, Decretalium Gregorii IX, Sexti et Clementinarum collocatae, quibus tum sententiae, tum verba singulorum capitum exponuntur. Ejusmodi expositiones a privatis scriptoribus exaratae, nec unquam pro lege approbatae, tamquam peculiares et subjectivae interpretum explanationes aestimandae sunt.

277. *Additiones* nuncupantur quaedam accessiones in Decreto Gratiani et Decretalibus Gregorianis positae et distinctis caracteribus notatae; additiones Decreto studio Correctorum Romanorum eo fine factae sunt, ut studiosi ex iis possint colligere sensum vel auctoritatem monumentorum quae in compilatione Gratianea comprehenduntur: additiones vero Decretalibus Gregorii IX factae praecipuè sunt adscribendae Antonio Contio Gallo et Francisco Peña Hispano, qui ex anterioribus Decretalium collectionibus curarunt haurire integra rescripta quae tantum mutilata inveniuntur in Decretalibus, ut ita melius introspici possit capitum contextura. Haec additiones utiles quidem ad rectam et genuinam canonum intelligentiam consequendam, nulla legali auctoritate fruuntur.

278. *Notae* demum vocantur breves adnotationes privatorum opera ad calcem uniuscujusque paginae adjectae ea mente, ut recenseantur variantes lectiones, vel remittantur lectores ad loca parallela, vel aliud denotetur, quo singuli canones illustrari et interpretari queant.

279. Quoad modum Corpus Juris Canonici citandi, frecuentiorem et communiter receptam praxim significabimus.

Canones primae partis Decreti allegantur expressis primùm vel numero canonis, vel vocabulo initiali ejusdem canonis, vel utroque, deindè distinctione, ex qua desumitur canon; ex. gr. *can. 5, dist. 61,* vel *can.* MIRAMUR, *dist.* 61, vel *can.* MIRAMUR 5, *dist.* 61. In se-

cunda parte allegantur vel priora canonis seu capitis verba, vel ejus numerus, et praeterea causa et quaestio, uti *can.* 2 *cau* 8 *q.* 2; et in *Tractatu de poenitentia* qui post causam 33, quaestionem 3 venit, citantur canon et numerus distinctionis cum additamento de poenitentia, e. g. *can.* LACRYMÆ 2 *dist.* 1 *de poenit.* Canones tertiae partis citantur per verba initialia vel numerum capitum seu canonum, designata distinctione cum duplici nota numerali et titulari seu *de consecratione*, sicuti *can.* 1 *dist.* 1 *de consecrat.*

In allegandis capitibus Decretalium Gregorii IX indicantur vel prima verba capitis, vel numerus, vel simul priora verba et numerus, moxque epigraphe uniuscujusque tituli, uti in hisce tribus exemplis: *cap.* VENERABILEM *de elect.; cap.* 1 *de Clericis conjug.; cap.* TUA NOS 26 *de Sponsal. et Matr.*

Decretales Bonifacii VIII allegari solent veluti Gregorianae cum hac accessione *in* 6 vel *in Sexto,* ex. gr.: *cap.* QUICUMQUE, *de Haeret. in* 6 vel *in Sexto.*

Clementinae citantur praeponendo vel postponendo nomem peculiare ejusdem collectionis sic: *Clement,* SI FURIOSI, *de Relig. domib.;* aut: *cap.* ETSI, *de Rescript, ex Clement.*

Extravagantes Joannis XXII indicantur, recensita collectione ante vel post prima verba capitis ita: *Extrav.* CUM INTER NONNULLOS, *Joannis XXII, de verbor. signific.* vel: *Extrav. Joannis XXII* CUM INTER NONNULLOS, *de verbor. signific.*

Denique Extravagantes communes eodem modo citantur, mutato nomine Joannis XXII per verba *inter commun.* vel *in communibus;* ex. gr. *Extrav.* REM NON NOVAM, *de dol. et contumac. inter commun.* seu *in communibus.*

Cum saepenumero Jus Canonicum pro meliori intelligentia et legum ecclesiasticarum sensu ad Jus civile seu Romanum remittat, opportunum nobis videtur;

heic aliquid praenotare de modo Jus Civile citandi, ut juvenes studiosi et illud in suis fontibus evolvere possint et verborum significationem in Codice Ecclesiastico attingere queant.

INSTITUTIONES citari solent allegato *pr.*, hoc est, principio, vel § et quandoque versiculo cum titulo; v. gr. § 1. *mandantis in de mandato,* vel *Inst. de mandat.* §. 1., quod ita legitur: in Institutionibus sub titulo de mandato paragrapho 1. incipiente—*mandantis.*

PANDECTAE citantur allegata lege, titulo et *ff.* aut D. seu pandectis aut digestis; v. gr. *l. 7. §. 4. sed cum ff. de pactis,* vel *D. de pactis l. juris gentium §. sed cum,* id est, in Pandectis sub titulo *De pactis,* lege septima incipiente—*Juris gentium,* paragrapho quarto incipiente—*Sed cum.*

CODEX allegatur eodem modo, addita majuscula *C.,*. quae Codicem significat, et quandoque loco legis citata authentica minusculis inserta; v. gr. *l. 12. privilegia pr. C. de sacr. Eccl.,* vel *C. de sacr. Eccl. l. 12. pr.,* nempè: in Codice sub titulo *de sacr. Ecclesiis,* lege duodecima incipiente—*privilegia,* in principio; aliquotiès vero hoc modo: *auth. cassa C. de sacr. Ecclesiis,* hoc est, authentica incipiente—*cassa* in Codice sub titulo *de sacrosanctis Ecclesiis.*

AUTHENTICUM seu volumen Novellarum Constitutionum citatur allegata collatione, titulo et capite; hodiè autem breviùs allegato numero Novellae, v. gr. *in auth. de nuptiis coll.* 4 c. 1. *duo igitur,* vel breviùs *Nov. 22. c. 1.,* quod ita legendum in Authentico sub titulo de *nuptiis,* cap. 1, incipiente—*duo igitur,* vel Novella 22, cap. 1.

Libri Feudales citantur allegato titulo, vel numero tituli, et capite, et quandoque §. vel versiculo cum numero libri; v. gr. *lib. 1. F.* vel *FF.* tit. 7. c. un.; hoc est, in libro primo Feudorum titulo septimo, capite unico de *natura feudi.*

280. Ad rectam lectionem vocum et rubricarum quae passim a juristis abbreviatè usurpantur adeant tyrones ad calcem Corporis Juris, ubi explicationem abbreviationum usu frequentiorum invenient. Nos tamen in eorum obsequium, quibus facile quandoque non esset Corpus Juris prae manibus habere, nonnullas hic subjicimus:

Pr. principio; *d. l. d. t.* dicta lege, dicto titulo; *h. t.* hoc titulo; *l. f.* lege finali; *arg.* argumento, vel per argumentum legis aut capitis; *a. s. c.* a sensu contrario; *b. f. m. f.* bona fide, mala fide.

Littera consonans in fine duplicata pluralem significat; v. gr. *de Tempp. Ordd.* de temporibus ordinationum; *L. XII. Tabb.*, Lex 12 tabularum; *in citt. ll. capp.* in citatis legibus, capitibus, et sic de caeteris.

Quoad Rubricas abbreviatas, per litteras initiales scribuntur, ideoque pro his consulendus est index alphabeticus titulorum; v. gr. *A. R. D.* adquirendo rerum dominio; *D. R.* divisione rerum vel rebus dubiis; *J. C.* jure codicillorum; J. et J. justitia et jure; J. et F. I. juris et facti ignorantia; *J. N. G.* et *C.* jure naturali, gentium et civili: *N. O. N.* novi operis nuntiatione; *R. C.* rebus creditis; *S. P. R. S. P. U.* servitutes praediorum rusticorum, urbanorum; *R. J.* regulis juris, et ita in propè innumeris exemplis quae aferri possent.

281. Ut ii qui scientiam canonicam excolere incipiunt, citationes titulorum facilè in praxi invenire possint, semel cognito modo allegandi et legendi loca allegata juxta instructionem numero anteriori traditam, duas simplicissimas regulas sequentur: 1.ª videant an textus citatus sit desumptus ex Decretalibus Gregorianis, an vero ex Sexto Bonifacii VIII, vel Clementinis aut Extravagantibus; 2.ª inspiciant qua littera alphabetica incipiat titulus, et mox quaeratur in indice generali, quae initio vel fine editionum Corporis Juris communiter reperitur, et statim titulus habebitur.

282. A restauratione scientiarum, quae saeculo XII, prouti alias animadvertimus, reviviscere coeperunt, apud omnes scholas tam pro addiscendis philosophicis ac theologicis disciplinis, quam pro exponenda nova scientia juridica, communi calculo et summo omnium plausu, recepta servataque fuit aristotelica methodus, quam tunc temporis viri eruditi maxima admiratione sequebantur; et quamvis post expugnationem Constantinopolis et Graecorum in Italiam emigrationem, existimatio formae scholasticae aliquatenus defervuerit, ususque peripateticae argumentationis haud parum decreverit; attamen adhuc perduravit et etiam hodiedum perseverat ejusmodi methodus, quae proculdubio acuendis ingeniis prae omnibus accommodatus videtur.

Exercitium scholasticum, prout a juristis in canonibus interpretandis adhuc retinetur, quatuor partes complectitur: fictionem *facti*, propositionem *dubii* cum rationibus dubitandi, *decisionem* rescribentis cum fundamentis responsionis, et *confirmationem* resolutionis objectionum solutione fulcitam.

1.° Post accuratam canonis vel capitis lectionem, configitur factum aut casus particularis legi seu canoni exponendo respondens atque ex contextu realiter aut verosimiliter deductus, nisi canon circa theorias vel generalia principia versetur; tunc enim omittitur prima pars hujus practicae exercitationis.

2.° Deindè formulatur problematicè dubium seu propositio, circa quam tota agitatur controversia quaerendo a Pontifice casus resolutionem, simulque argumenta afferendo responsioni legislatoris contraria.

3.° Ponitur atque legitur decisio Romani Pontificis unà cum fundamentis, quibus illa innititur, vel ex ipso legislatore, vel ex juris principiis, vel ex facti circumstantiis depromptis.

4.° Demùm roboratur atque sancitur aequitas de-

cisionis vel sententiae Pontificiae, singillatim perpendendo omnia contraria argumenta, et plenè respondendo ad rationes pro dubitatione adductas, ut ita rectè *concludatur* Summum Pontificem optimè rescripsisse in casu de quo agitur.

ARTICULUS X

SUMMARIUM.

283.—Juris *Novissimi* Collectiones.—284.—An sit aliqua Collectio codificata atque authentica.—285.—*Liber Septimus Decretalium* Clementis VIII.—286.—Petri Matthaei Lugdunensis privatae Collectiones.—287.—Bullaria.—288.—Bullarium cognomento *Magnum.* —289.—Bullaria Particularia.—290.—Conciliorum Collectiones, tum generales, tum peculiares.—291.—Decisionum Sacrorum Tribunalium Collectiones.—292.—Romanarum Congregationum Decretorum Collectiones.

283. Collectionum Juris Novissimi nomine intelligimus quascumque compilationes leges ecclesiasticas complectentes a Concilio Tridentino ad nostra usque tempora legitima potestate constitutas.

Collectiones Juris Novissimi ab anterioribus Decretalium compilationibus in eo discriminantur, quòd istae ordinem rerum sequutae sunt, illae autem, posthabita doctrinali methodo, ordinem chronologicum, quem vetustiores collectores crebro usurpaverant, instaurarunt: deindè recentiores, quae hac postrema periodo editae sunt collectiones, omnes equidem, *Libro Septimo Decretalium* Petri Matthaei unicè excepto, monumenta integra referunt, dum antiquiores tantùm fragmenta monumentorum, canones contractos vel leges compendiatas nobis exhibent.

Collectiones novissimae ad triplex genus commodè revocari possunt, spectata varietate et vi juridica monumentorum, quae compilationes colligere studuerunt, fortassè selectiori critica et elegantiori ordine ac me-

thodo, quam quod fecerant veteres. Alii enim operam navarunt congerendis Decretalibus Pontificiis; hinc prodierunt Collectiones Constitutionum Romanorum Pontificum, vulgo *Bullaria* appellatae; alii ordinare et evulgare maluerunt canones et acta Conciliorum; indè ortae sunt Collectiones, quae *Conciliares* nominantur: alii demùm intenderunt in unum conflare decisiones seu resolutiones a Supremis Tribunalibus et Romanis Congregationibus secundùm Jus Tridentinum latas; undè originem habuere Collectiones, quas nuncupare possemus, *Judiciorum authenticorum*, sive ejusmodi judicia constituant Decisiones Sacrae Rotae Romanae, sive Decreta Congregationum Cardinalium.

284. A promulgatione Concilii Tridentini ad novissima usque tempora nulla edita est collectio *codificata* seu verè *authentica*, hoc est, vi juridica atque auctoritate legali praedita; nam decreta, quae hujusmodi oecuminica synodus protulit, tum ad dogma, tum ad disciplinam spectantia, ita Romanis Pontificibus visa sunt opportuna, ut potius quam novis elucubrandis collectionibus operam darent, studuerunt legitimae interpretationi et custodiae eorum quae in Tridentino Concilio definita sunt; ad quod quidem tutiori modo assequendum Pius IV Cardinalium Congregationem instituit pro fideli custodia eorum, quae a Patribus Tridentinis sancita fuere, cui congregationi Sixtus V Const. *Immensa* facultatem etiam contulit interpretandi concilium.

Novimus equidem Tridentinam Synodum ab omnibus rectè spectari tamquam fontem praecipuum juris novissimi; scimus certè praeclaros canonistas, uti De Camillis, asserere codicem Tridentinum unicum esse codicem juris novissimi; nos non latet decreta inscripta *de Reformatione*, juxta doctissimum Huguenin, veluti jus commune custodienda esse, imo laudanda ut summam et codicem irrefragabilem disciplinae nunc vigentis: attamen, quamvis, generaliter loquendo, haec

vera sint, iterum affirmamus atque contendimus recentiori hac historiae juridicae aetate adhuc desiderari collectionem propriè *codificatam*, codicem, si ita nobis loqui fas est, verè *canonizatum*.

Etenim, ni fallimur, juxta nostrum concipiendi modum, *codificatio* vel *canonizatio* legum tria in sua notione importat ac complectitur: complexum monumentorum, supremam approbationem et juridicam certitudinem, quae omnia desunt in compilationibus novissima periodo canonica confectis.

In primis enim, collectio codificata in unum congerere debet praecipua alicujus aetatis aut epochae monumenta, plus minusve copiosa, integra vel concisa, doctrinali aut chronologica methodo distributa; deindè necesse est codicem canonizatum pro se habere legislatoris voluntatem, supremae auctoritatis placitum, uno verbo, pontificiam sanctionem; denique authenticam collectionem certitudine juridica ita donatam esse oportet, ut habeatur tamquam documentum publicum et legale veredictum, vi pollens quamlibet dubitationem removendi, omnemque controversiam dirimendi circa *authenticitatem*, *integritatem* atque monumentorum *universalitatem*.

Nunc vero, si hodiedum quodcumque dubium orietur vel aliqua quaestio agitaretur in ecclesiastico foro, publicis concertationibus aut lyceis catholicis de genuinitate, veritate, sensu atque extensione monumentorum ac legum, quae hac postrema aetate in lucem publicam prodiere, codex authenticus et irrefragabilis minimè allegari posset pro re dilucidanda vel definienda, sed sive ad Schrinia Sedis Apostolicae, ubi autographa servantur, sive ad Romanum Pontificem, supremum Legislatorem et omnis juris fontem, sive ad Sacrarum Congregationum decisiones *authenticè*, hoc est, *Consulto Papa*, editas, necessariò confugiendum erit.

285. Gregorius XIII meditatus est primus omnium

in novam collectionem congerere canones Conciliorum et Decretales Pontificias, quae post Sixtum IV evulgatae sunt; sed nondum opere absoluto, supremum diem obivit; deinde Sixtus V totis viribus in idem opus incubuit, quin ejusmodi rem adeo efflagitatam exsequi potuerit, eo quòd morte etiam praereptus fuerit; sub pontificatu demùm Clementis VIII opus hoc totiès inceptum perfectionem obtinuit, decreta etiam Conciliorum Florentini et Tridentini continens. Sed, cum typis jam editum esset sub titulo: *Liber Septimus Decretalium Clementis VIII*, quasi post Sextum Decretalium Bonifacii VIII subjiciendus, ne ex glossis expositorum confusio textus sequeretur, quod de Tridentina Synodo caverat Pius IV, vetans quominùs privati suis commentariis interpretarentur, eadem auctoritate pontificia statim suppressum fuit. Verè lugendum est, ut verbis utar eruditissimi Fagnani, quod hujus voluminis publicatio, miris elucubrata laboribus et vigiliis, et Praesulum, Gymnasiorum, totiusque Ecclesiae vocibus efflagitata, jamque typis edita, in lucem publicam non prodierit, atque pro usu forensi et scholastico recepta sit.

286. Antequam ad collectiones privato studio confectas deveniamus, operis nostri esse ducimus specialem mentionem facere compilationum Petri Matthaei jurisconsulti Lugdunensis.

Hic celebris jurisperitus ab anno 1588 ad annum 1590 duo opera edidit: primùm Lugduni evulgavit collectionem Constitutionum Pontificiarum a Gregorio IX ad ipsum usque Sixtum V, methodo chronologica ordinatam et eidem Pontifici dicatam; paulo post ex Decretalibus a Sixto IV ad Sixtum V promulgatis novam aliam confecit compilationem, quam Cardinali Cajetano obtulit.

Hoc opus librariorum vel typographorum Lugdunensium opera, qui concivem suum honorare studuerunt, in aliquibus Corporis Juris editionibus post Extra-

vagantes Communes adjectum est sequenti titulo: *Liber Septimus Decretalium Constitutionum Apostolicarum adjectus ad plenam et perfectam Juris Apostolici cognitionem.*

Hujusmodi Codex in quo, ut observant critici, vitia non desunt, et multa utilia desiderantur, auctoritate legali caret, utpote pivata industria conflatus. Compilator Lugdunensis, methodum collectionis Gregorianae sequutus, opus suum in quinque libros distribuit, libros in 68 titulos, titulos autem in 235 capita.

287. Sub pontificatu totiès laudati Pontificis Sixti V, Laertius Cherubinus, primus omnium sua studia hac novissima Juris epocha contulit ad colligendas Pontificum Constitutiones, et postquam congessisset omnes Decretales, quas reperire potuit, extra Corpus Juris vagantes a S. Leone Magno ad ipsum Sixtum V, servato temporis ordine, in unum volumen redegit, quod *Bullarium* nuncupavit atque anno 1586 sub pontificiis auspiciis in lucem edidit. Deindè opus suum novis adhibitis curis multum auxit in secunda editione, quam anno 1610 Summo Pontifici Paulo V obtulit; sed cum cogitaret hujus collectionis seriem prosequi, morte praeventus, rem praestare non potuit.

Quapropter ejus filius Angelus Maria Cherubinus, monachus Cassinensis plures alias Constitutiones adjecit usque ad Innocentium X, et Bullarium quatuor voluminibus compactum typis romanis vulgavit anno 1638. Huic postea quintum volumen addidere Angelus a Lantusca et Paulus a Roma, Fratres Minores de Observantia, qui Constitutiones Urbani VIII et posteriorum Pontificum usque ad Clementem X anno 1672 colligere curarunt.

288. Sed in quaerendis atque congerendis ejusmodi Romanorum Pontificum monumentis omnium industriam superavit Hieronymus Maynardus qui Bullarium praestantissimum cognomine *Magnum* Romae edidit.

Hoc amplissimum opus, in quatuordecim tomos distributum, Constitutiones Pontificias a Sancto Leone Magno usque ad Clementem XII complectitur.

289. Praeter generales Decretalium compilationes recentiori aetate elaboratas, plures editae sunt Constitutionum particulares collectiones, in quibus posteriorum Pontificum gravissima atque celeberrima monumenta continentur. Memorare sufficiat collectionem sub nomine Bullarii Benedicti XIV typis adornatam et in quatuor volumina tributam, Bullaria Clementis XIII, Clementis XIV, et Pii VI. Utique omnes efflagitant novam et ingentem collectionem ad Leonem XIII, qui Ecclesiae gubernaculum feliciter tenet, usque pervenientem; sed fortassè viri eruditi huic magno operi perficiendo incumbunt, et vota communia citiùs, quam confidere licet, adimplebuntur.

Omnes istas Bullarum collectiones denuò animadvertimus privatorum hominum opera esse confectas; at nunquam auctoritate pontificia probatas fuisse tamquam codicem legalem in Ecclesia universali vim habentem.

290. A saeculo XIII (1230), quo prodiit Collectio Gregoriana usque ad saeculum XVI (1530), hoc est, trium saeculorum tractu, fermè omnes viri studiosi curam impenderunt scrutandis atque in unum corpus referendis Maximorum Pontificum Decretalibus; sed, cum canones Lateranenses in Codice Gregorii XIII, Lugdunenses vero et Viennenses in Sexto et Clementinis jam essent inserti, vix aut ne vix quidem vir ullus eruditus exstitit, qui Decretis Conciliorum colligendis incumbere intenderet. Attamen, saeculo XVI jam incepto, Conciliorum actis et canonibus congerendis operam tum laboriosam, tum utilem plures viri docti contulerunt: indè alii quidem unius nationis aut provinciae Concilia, alii autem omnia ubivis gentium celebrata colligere studuerunt.

Inter generales Conciliorum compilationes, tres praecipuae memorandae exstant: Merliniana, Viniana atque Labbaeana.

Eodem ferè tempore, quo Laertius Cherubinus suum ingenium et industriam exerebat in cogendis et seligendis Bullis Pontificiis, Merlinus novam collectionum periodum inaugurabat, duo Conciliorum volumina Parisiis anno 1530 edens; tertium volumen postea addidit Petrus Crabbaeus Mechlinensis anno 1551; quartum Laurentius Surius anno 1567; quintum denique Dominicus Nicolim, typographus Venetus anno 1585.

Severinus Vinius vel Binius, Canonicus Coloniae Agrippinae, duplicem evulgavit collectionem; alteram breviorem anno 1606, alteram ampliorem anno 1618, quae in novem tomos distincta anno 1638 Parisiis prodiit.

Demùm omnium praestantissima est Conciliorum collectio quam Filippus Labbaeus primùm, ac dein Gabriel Cosartius, ambo e societate Jesu, in septemdecim volumina distributam, Parisiis etiam typis edidere anno 1672.

Hoc magnum et verè portentosum opus cura et industria Stephani Balluzii auctum, mox per Harduinum a mendis expurgatum et novis monumentis locupletatum, opera Nicolai Colleti Veneti postremo loco amplificatum atque perfectum, Venetiis anno 1732 in lucem publicam iterum prodiit in 21 volumina divisum.

Editioni Colleti anno 1748 accessit supplementum studio Dominici Mansi Archiepiscopi Lucensis conflatum, quod sex tomis constat et Carolo Emmanueli, Sardiniae Regi dicatum apparet.

Praeter generales collectiones, non defuerunt viri omni eruditione peritissimi, qui, magna diligentia adhibita, praestantiora Conciliorum, tum Nationalium, tum Provincialium monumenta in codices retulerunt.

Inter eos, qui comparandis atque actis canonibus-

que Synodorum particularium redigendis operam navarunt, praecipua laude recenseri merentur: Hispaniae, Doctor Garcias de Loaysa (1), clarissimus Cardinalis de Aguirre (2), sapiens benedictinus Mathias de Villanuño (3), et nostris diebus eruditus Joannes Tejada et Ramiro (4); Angliae, Spelmanus; Hiberniae, Wilkinsius; Hungariae, Peterfeus; Italiae, Muratori; Galliae, Lauddaeus et Odespun; Africae, Schelstratus.

291. Collectiones tam decisionum Sacrorum Tribunalium, quam decretorum ac declarationum Congregationum Cardinalium in magnam copiam excreverunt.

Quod ad *decisiones sacrae Rotae Romanae* spectat, quinque collectiones computari possunt: 1.ª collectio, ut ita loquar, *privata* decisionum pro singulis auditoribus coram quibus ejusmodi sententiae latae sunt; 2.ª collectio publica, ingens et locupletissima, quae merito *magna* appellari posset; 3.ª collectio decisionum, quae dicuntur *recentiores;* 4.ª collectio decisionum, quae nuncupantur *nuperrimae;* 5.ª collectio ditissima decisionum, quae nominantur *volantes,* eo quòd in separatis foliis eduntur pro singulis diebus, in quibus tribunal eas pronuntiat.

292. Quoad rosolutiones atque decreta Romanarum Congregationum, quamplurimae collectiones, sive authenticae, sive privatae, in lucem prodiere; satis sit nonnullas innuere brevitatis gratia: decisiones Sacrae Congregationis Concilii in codice publico et auctoritate

---

(1) *Collectio Conciliorum Hispaniae,* Matriti, 1593.

(2) *Collectio Maxima Conciliorum omnium Hispaniae et Novi Orbis, Epistolarumque Decretalium celebriorum, necnon plurium monumentorum veterum ad illam spectantium.* Edit. in sex tom. distrib. Romae, 1753.

(3) *Summa Conciliorum Hispaniae* in quatuor Tom. div. Matriti, 1785.

(4) *Colección de Canones de la Iglesia Española, publicada por el Sr. D. Francisco Antonio González, Bibliotecario mayor de la Nacional de Madrid, y traducida al castellano por Juan Tejada y Ramiro.* Madrid, 1849.

ipsius Cungregationis munito vulgatae sunt sub nomine *Thesauri resolutionum*, aliis praetermisiis compilationibus, quae monumenta juridica et definitoria ejusdem Sanctae Congregationis, privato studio conflata, continent.

Si de caeteris Congregationibus agatur, omnes norunt et earum Decreta a viris doctis fuisse collecta, et Decretorum collectiones editas saepenumero esse; sic, ex. gr. Gardellinus congessit et evulgavit Decreta Congregationis Sacrorum Rituum sub titulo: *Decretorum authenticorum Congregationis Sacrorum Rituum.* De reliquis memorandis supersedemus, quia consuli possunt apud auctores qui hac de re expressè tractarunt.

A. M. D. G.

APPENDICES.



APPENDIX I

ENCYCLICA "QUANTA CURA„ PII PAPAE IX,

ANNO 1864 EXPEDITA

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis universis, gratiam et communionem Apostolicae Sedis habentibus.

PIUS PP. IX.

Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam Benedictionem.

*Quanta cura ac pastorali vigilantia Romani Pontifices Praedecesores Nostri, exsequentes demandatum sibi ab ipso Christo Domino in persona Beatissimi Petri Apostolorum Principis officium, munusque pascendi agnos et oves, nunquam intermiserint universum Dominicum gregem sedulo enutrire verbis fidei, ac salutari doctrina imbuere, eumque ab venenatis pascuis arcere, omnibus quidem ac Vobis praesertim compertum, exploratumque est, Venerabiles Fratres. Et sane iidem Decessores Nostri, augustae catholicae religionis, veritatis ac justitiae assertores et vindices, de animarum salute maxime solliciti nihil potius unquam habuere, quam sapientissimis suis Litteris, et Constitutionibus retegere et damnare omnes haereses et errores, qui divinae Fidei nostrae, catholicae Ecclesiae doctrinae, morum honestati, ac sempiternae hominum saluti adversi, graves frequenter excitarunt tempestates, et christianam civilemque rempublicam miserandum in modum funestarunt. Quocirca iidem Decessores Nostri Apostolica fortitudine continenter obstiterunt nefariis iniquorum hominum molitionibus, qui despumantes tanquam fluctus feri maris confusiones suas, ac

libertatem promittentes, cum servi sint corruptionis, fallacibus suis opinionibus, et perniciosissimis scriptis, catholicae religionis civilisque societatis fundamenta convellere, omnemque virtutem ac justitiam de medio tollere, omniumque animos mentesque depravare, et incautos imperitamque praesertim juventutem a recta morum disciplina avertere, eamque miserabiliter corrumpere, in erroris laqueos inducere, ac tandem ab Ecclesiae catholicae sinu avellere conati sunt.

Jam vero, uti Vobis, Venerabiles Fratres, apprime notum est, Nos vix dum arcano divinae Providentiae consilio, nullis certe Nostris meritis, ad hanc Petri Cathedram evecti fuimus, cum videremus summo animi Nostri dolore horribilem sane procellam tot pravis opinionibus excitatam, et gravissima, ac nunquam satis lugenda damna, quae in christianum populum ex tot erroribus redundant, pro Apostolici Nostri Ministerii officio, illustria Praedecesorum Nostrorum vestigia sectantes, Nostram extulimus vocem, ac pluribus in vulgus editis Encyclicis Epistolis et Allocutionibus in Consistorio habitis, aliisque Apostolicis Litteris, praecipuos tristissimae nostrae aetatis errores damnavimus, eximiamque vestram episcopalem vigilantiam excitavimus, et universos catholicae Ecclesiae Nobis carissimos filios etiam atque etiam monuimus et exhortati sumus, ut tam dirae contagia pestis omnino horrerent et devitarent. Ac praesertim Nostra prima Encyclica Epistola, die 9 novembris anno 1846 Vobis scripta, binisque Allocutionibus, quarum altera die 9 decembris anno 1854, altera vero 9 junii anno 1862 in Consistorio a Nobis habita fuit, monstruosa opinionum portenta damnavimus, quae hac potissimum aetate cum maximo animarum damno, et civilis ipsius societatis detrimento dominantur, quaeque non solum catholicae Ecclesiae, ejusque salutari doctrinae ac venerandis juribus, verum etiam sempiternae naturali legi a Deo in omnium cordibus insculptae, rectaeque rationi maxime adversantur, et ex quibus alii prope omnes originem habent errores.

Etsi autem haud omiserimus potissimos hujusmodi errores saepe proscribere et reprobare, tamen catholicae Ecclesiae causa animarumque salus Nobis divinitus commissa, atque ipsius humanae societatis bonum omnino postulant, ut iterum pastoralem vestram sollicitudinem excitemus ad alias pravas profligandas opiniones, quae ex eisdem erroribus, veluti ex fontibus erumpunt. Quae falsae ac perversae opiniones, eo magis detestandae sunt, quod eo potissimum spectant, ut impediatur et amoveatur salutaris illa vis, quam catholica Ecclesia, ex divini sui Auctoris institutione, et mandato, libere exercere debet usque ad consummationem saeculi, non minus erga singulos homines, quam erga natio-

nes, populos summosque eorum Principes, utque de medio tollatur mutua illa inter Sacerdotium et Imperium consiliorum societas et concordia, quae rei cum sacrae tum civili fausta semper extitit ac salutaris (1). Etenim probe noscitis, Venerabiles Fratres, hoc tempore non paucos reperiri, qui civili consortio impium absurdumque *naturalismi*, uti vocant, principium applicantes, audent docere, "optimam societatis publicae rationem, civilemque progressum omnino requirere, ut humana societas constituatur et gubernetur, nullo habito ad religionem respectu, ac si ea non existeret, vel saltem nullo facto veram inter falsasque religiones discrimine." Atque contra sacrarum Litterarum, Ecclesiae, sanctorumque Patrum doctrinam, asserere non dubitant, "optimam esse conditionem societatis, in qua Imperio non agnoscitur officium coercendi sancitis poenis violatores catholicae religionis, nisi quatenus pax publica postulet." Ex qua omnino falsa socialis regiminis idea, haud timent erroneam illam fovere opinionem catholicae Ecclesiae, animarumque saluti maxime exitialem, à rec. mem. Gregorio XVI Praedecesore Nostro *deliramentum* appellatam (2), nimirum "libertatem conscientiae et cultuum, esse proprium cujuscumque hominis jus, quod lege proclamari, et asseri debet in omni recte constituta societate, et jus civibus inesse ad omnimodam libertatem, nulla, vel ecclesiastica vel civili, auctoritate coarctandam, quo suos conceptus quoscumque, sive voce, sive typis, sive alia ratione palam publiceque manifestare, ac declarare valeant." Dum vero id temere affirmant, haud cogitant et considerant, quod *libertatem perditionis* (3) praedicant, et quod "si humanis persuasionibus semper disceptare sit liberum, nunquam deese poterunt, qui veritati audeant resultare, et de humanae sapientiae loquacitate confidere, cum hanc nocentissimam vanitatem, quantum debeat fides et sapientia christiana vitare, ex ipsa Domini Nostri Jesu Christi institutione cognoscat. (4)."

Et quoniam ubi à civili societate fuit amota religio, ac repudiata divinae revelationis doctrina et auctoritas, vel ipsa germana justitiae humanique juris notio tenebris obscuratur et amittitur, atque in verae justitiae legitimique juris locum materialis substituitur vis, inde liquet cur nonnulli, certissimis sanae rationis principiis penitus neglectis posthabitisque, audeant conclamare, "voluntatem populi, publica, quam dicunt, opinione, vel alia ratione manifestatam, constituere supremam legem ab omni divino

(1) Gregor. XVI., Epist. Encycl. *Mirari*, 15 aug. 1832.
(2) Eadem Encycl. *Mirari*.
(3) S. Aug. Epist. 105. al 166.
(4) S. Leo Epist. 164 al. 133 §. 2 edit. Ball.

humanoque jure solutam, et in ordine politico facta consummata, eo ipso quod consummata sunt, vim juris habere.„ Verum ¿ecquis non videt, planeque sentit, hominum societatem religionis ac verae justitiae vinculis solutam nullum aliud profecto propositum habere posse, nisi scopum comparandi, cumulandique opes, nullamque aliam in suis actionibus legem sequi, nisi indomitam animi cupiditatem inserviendi propriis voluptatibus et commodis? Eapropter hujusmodi homines acerbo sane odio insectantur Religiosas Familias, quamvis de re christiana, civili ac litteraria summopere meritas, et blaterant, easdem nullam habere legitimam existendi rationem, atque ita haereticorum commentis plaudunt. Nam, ut sapientissime rec. mem. Pius VI, Decessor Noster, docebat, "Regularium abolitio laedit statum publicae professionis consiliorum evangelicorum, laedit vivendi rationem in Ecclesia commendatam tanquam Apostolicae doctrinae consentaneam, laedit ipsos insignes fundatores, quos super altaribus veneramus, qui nonnisi à Deo inspirati eas constituerunt societates.„ (1) Atque etiam impie pronuntiant, auferendam esse civibus et Ecclesiae facultatem "qua eleemosynas christianae charitatis causa palam erogare valeant,„ ac de medio tollendam legem "qua certis aliquibus diebus opera servilia propter Dei cultum prohibentur,„ fallacissime praetexentes, commemoratam facultatem et legem optimae publicae oeconomiae principiis obsistere. Neque contenti amovere religionem à publica societate, volunt religionem ipsam à privatis etiam arcere familiis. Etenim funestissimum *Communismi* et *Socialismi* docentes ac profitentes errorem, asserunt "societatem domesticam, seu familiam, totam suae existentiae rationem a jure dumtaxat civili mutuari; proindeque ex lege tantum civili dimanare ac pendere jura omnia parentum in filios, cum primis vero jus institutionis, educationisque curandae.„ Quibus impiis opinionibus, machinationibusque in id praecipue intendunt fallacissimi isti homines, ut salutifera catholicae Ecclesiae doctrina ac vis à juventutis institutione et educatione prorsus eliminetur, ac teneri flexibilesque juvenum animi perniciosis quibusque erroribus, vitiisque misere inficiantur ac depraventur. Siquidem omnes, qui rem tum sacram, tum publicam perturbare, ac rectum societatis ordinem evertere, et jura omnia divina et humana delere sunt conati, omnia nefaria sua consilia, studia et operam in improvidam praesertim juventutem decipiendam ac depravandam, ut supra innuimus, semper contulerunt, omnemque spem in ipsius juventutis corruptela collocarunt. Quocirca nunquam cessant utrum-

(1) Epist. ad Card. De la Rochefoucault, 10 martii 1791.

que clerum, ex quo, veluti certissima historiae monumenta splendide testantur, tot magna in christianam, civilem, et litterariam rempublicam commoda redundarunt, quibuscumque infandis modis divexare, et edicere, ipsum clerum "utpote vero, utilique scientiae et civilitatis progressui inimicum, ab omni juventutis instituendae educandaeque cura et officio esse amovendum."

Ac vero alii, instaurantes prava ac toties damnata novatorum commenta, insigni impudencia audent, Ecclesiae et hujus Apostolicae Sedis supremam auctoritatem, á Christo Domino ei tributam, civilis auctoritatis arbitrio subjicere, et omnia ejusdem Ecclesiae et Sedis jura denegare circa ea quae ad exteriorem ordinem pertinent. Namque ipsos minime pudet affirmare "Ecclesiae leges non obligare in conscientia, nisi cum promulgantur á civili potestate; acta et decreta Romanorum Pontificum ad religionem et Ecclesiam spectantia, indigere sanctione et approbatione, vel minimum assensu potestatis civilis; Constitutiones Apostolicas (1), quibus damnantur clandestinae societates, sive in eis exigatur, sive non exigatur juramentum de secreto servando, earumque asseclae et fautores anathemate mulctantur nullam habere vim in illis orbis regionibus ubi ejusmodi aggregationes tolerantur á civili gubernio; excommunicationem á Concilio Tridentino et Romanis Pontificibus latam in eos, qui jura possessionesque Ecclesiae invadunt, et usurpant, niti confusione ordinis spiritualis, ordinisque civilis ac politici, ad mundanum dumtaxat bonum prosequendum; Ecclesiam nihil debere decernere, quod obstringere possit fidelium conscientias in ordine ad usum rerum temporalium; Ecclesiae jus non competere violatores legum suarum poenis temporalibus coercendi; conforme esse sacrae theologiae, jurisque publici principiis, bonorum proprietatem, quae ab Ecclesiis, a Familiis Religiosis, aliisque locis piis possidentur, civili gubernio asserere, et vindicare." Neque erubescunt palam publiceque profiteri haereticorum effatum et principium, ex quo tot perversae oriuntur sententiae, atque errores. Dictitant enim„ ecclesiasticam potestatem non esse jure divino distinctam et independentem á potestate civili, neque ejusmodi distinctionem, et independentiam servari posse, quin ab Ecclesia invadantur et usurpentur essentialia jura potestatis civilis." Atque silentio praeterire non possumus eorum audaciam, qui sanam non sustinentes doctrinam, contendunt "illis Apostolicae Sedis judiciis, et decretis, quorum objectum ad bonum generale Ecclesiae ejusdemque jura, ac disciplinam spectare declaratur dummodo fidei morumque

(1) Clement. XII, *In eminenti.* Benedict. XIX, *Providas Romanorum.* Pii VII, *Ecclesiam.* Leonis XII, *Quo graviora.*

dogmata non attingat, posse assensum et obedientiam detrectari absque peccato, et absque ulla catholicae professionis jactura." Quod quidem quantopere adversetur catholico dogmati plenae potestatis Romano Pontifici ab ipso Christo Domino divinitus collatae, universalem pascendi, regendi, et gubernandi Ecclesiam, nemo est qui non clare aperteque videat et intelligat.

In tanta igitur depravatarum opinionum perversitate, Nos, Apostolici Nostri officii probe memores, ac de sanctissima nostra religione, de sana doctrina, et animarum salute nobis divinitus conmmissa, ac de ipsius humanae societatis bono maxime solliciti, Apostolicam Nostram vocem iterum extollere existimavimus. Itaque omnes et singulas pravas opiniones ac doctrinas singillatim hisce Litteris conmemoratas auctoritate Nostra Apostolica reprobamus, proscribimus atque damnamus, easque ab omnibus catholicae Ecclesiae filiis, veluti reprobatas, proscriptas atque damnatas omnino haberi volumus et mandamus.

Ac praeter ea, optime scitis, Venerabiles Fratres, hisce temporibus omnis veritates justitiaeque osores, et acerrimos nostrae religionis hostes, per pestiferos libros, libellos, et ephemerides toto terrarum orbe dispersas populis illudentes, ac malitiose mentientes alias impias quasque disseminare doctrinas. Neque ignoratis, hac etiam nostra aetate, nonnullos reperiri, que Satanae spiritu permoti et incitati, eo impietatis devenerunt, ut dominatorem Dominum Nostrum Jesum Christum negare, ejusque Divinitatem scelerata procacitate oppugnare non paveant. Hic vero haud possumus, quin maximis meritisque laudibus vos efferamus, Venerabiles Frates, qui episcopalem vestram vocem contra tantam impietatem omni zelo attollere minime omisistis.

Itaque hisce Nostris Litteris vos iterum amantissime alloquimur, qui in sollicitudinis Nostrae partem vocati, summo nobis inter maximas nostras acerbitates solatio, laetitiae et consolationi estis propter egregiam, qua praestatis religionem, pietatem, ac propter mirum illum amorem, fidem, et observantiam, qua Nobis et huic Apostolicae Sedi concordissimis animis obstricti, gravisimum episcopale vestrum ministerium strenue ac sedulo implere contenditis. Etenim ab eximio vestro pastorali zelo expectamus, ut assumentes gladium spiritus, quod est Verbum Dei, et confortati in gratia Domini Nostri Jesu Christi, velitis ingeminatis studiis quotidie magis prospicere, ut fideles curae vestrae concrediti, "abstineant ab herbis noxiis, quas Jesus Christus non colit quia non sunt plantatio Patris.„ (1) Atque eisdem fidelibus inculcare nunquam desinite, omnem veram felicita-

(1) S. Ignatius M. ad Philadelph. 3.

tem in homines ex augusta nostra religione, ejusque doctrina et exercitio redundare, ac beatum esse populum, cujus Dominus Deus ejus (1). Docete "catholicae fidei fundamento regna subsistere (2), et nihil tam mortiferum, tam praeceps ad casum, tam expositum ad omnia pericula, si hoc solum nobis putantes posse sufficere, quod liberum arbitrium, cum nasceremur, accepimus, ultra jam á Domino nihil quaeramus; id est, auctoris nostri obliti, ejus potentiam ut nos ostendamus liberos, abjuremus (3). Atque etiam ne omittatis docere regiam potestatem non ad solum mundi regimen, sed maxime ad Ecclessiae praesidium esse collatam (4), et nihil esse quod civitatum principibus, et regibus majori fructui, gloriaeque esse possit, quam si, ut sapientissimus fortissimusque alter praedecessor noster, S. Felix, Zenoni Imperatori perscribebat, Ecclesiam catholicam.... sinant uti legibus suis, nec libertati ejus quemquam permittant obsistere....: Certum est enim, hoc rebus suis esse salutare, ut, cum de causis Dei agatur, juxta ipsius constitutum regiam voluntatem sacerdotibus Christi studeant subdere, non praefferre." (5)

Sed si semper, Venerabiles Fratres, nunc potissimum in tantis Ecclesiae, civilisque societatis calamitatibus, in tanta adversariorum contra rem catholicam, et hanc Apostolicam Sedem conspiratione, tantaque errorum congerie, necesse omnino est, ut adeamus cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Quocirca omnium fidelium pietatem excitare existimavimus, ut una nobiscum vobisque, clementissimum luminum et misericordiarum Patrem ferventissimis humillimisque precibus sine intermissione orent et obsecrent, et in plenitudine fidei semper confugiant ad Dominum Nostrum Jesum Christum, qui redemit nos Deo in sanguine suo, ejusque dulcissimum Cor, flagrantissime erga nos charitatis victimam, enixe jugiterque exorent, ut amoris sui vinculis omnia ad seipsum trahat, utque omnes homines sanctissimo suo amore inflammati, secundum Cor ejus ambulent digne Deo per omnia placentes, in omni bono opere fructificantes. Cum autem sine dubio gratiores sint Deo hominum preces, si animis ab omni labe puris ad ipsum accedant, idcirco coelestes Ecclesiae thesauros dispensationi nostrae commissos Christifidelibus Apostolica liberalitate reserare censuimus,

---

(1) Psalm. 143.
(2) S. Coelest. epist. 22 ad Synod. Ephes. apud Const., p. 1200.
(3) S. Innocent. I., Epist. 20 ad Episc. Conc. Carthag. apud Const., pag. 891.
(4) S. Leo, Epist. 156. al 125.
(5) Pius VII, Epist. Encycl. *Diu satis*, 15 maji 1800.

ut iidem fideles ad veram pietatem vehementius incensi, ac per Poenitentiae sacramentum á peccatorum maculis expiati, fidentius suas preces ad Deum effundant, ejusque misericordiam et gratiam consequantur.

Hisce igitur Litteris, auctoritate Nostra Apostolica, omnibus et singulis utriusque sexus catholici orbis fidelibus Plenariam Indulgentiam ad instar Jubilaei concedimus, intra unius tantum mensis spatium usque ad totum futurum annum 1865 et non ultra, á vobis, Venerabiles Fratres, aliisque legitimis locorum Ordinariis statuendum, eodem prorsus modo et forma, qua ab initio supremi Nostri Pontificatus concessimus per Apostolicas Nostras Litteras in forma Brevis, die 20 mensis novembris anno 1846 datas, et ad universum episcopalem vestrum ordinem missas, quarum initium *Arcano Divinae Pvovidentiae consilio,* et cum omnibus eisdem facultatibus, quae per ipsas Litteras á nobis datae fuerunt. Volumus tamen, ut ea omnia serventur, quae in commemoratis Litteris praescripta sunt, et ea excipiantur, quae excepta esse declaravimus. Atque id concedimus, non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque, etiam speciali et individua mentione, ac derogatione dignis. Ut autem omnis dubitatio et difficultas amoveatur, earumdem Litterarum exemplar ad Vos perferri jussimus.

"Rogemus, Venerabiles Fratres, de intimo corde et de tota mente misericordiam Dei, quia et ipse addidit dicens: misericordiam autem meam non dispergam ab eis. Petamus et accipiemus, et si accipiendi mora et tarditas fuerit, quoniam graviter offendimus, pulsemus, quia et pulsanti aperietur, si modo pulsent ostium preces, genitus, et lacrymae nostrae, quibus insistere et immorari oportet, et si sit unanimis oratio..... unusquisque oret Deum, non pro se tantum, sed pro omnibus fratribus, sicut Dominus orare nos docuit." (1) Quo vero facilius Deus Nostris, Vestrisque, et omnium fidelium precibus, votisque annuat, cum omni fiducia deprecatricem apud Eum adhibeamus Immaculatam Sanctissimamque Deiparam Virginem Mariam, quae cunctas haereses interemit in universo mundo, quaeque omnium nostrum amantissima Mater "tota suavis est...... ac plena misericordiae..... omnibus sese exorabilem, omnibus clementissimam praebet, omnium necessitates amplissimo quodam miseratur affectu" (2), atque utpote Regina adstans á dextris Unigeniti Filii sui Domini Nostri Jesu Christi in vestitu deaurato circumamicta varietate, nihil est quod ab Eo impetrare non valeat. Suffragia quoque petamus Beatissimi Petri, Aposto-

---

(1) S. Cyprian. Epist. 11.

(2) S. Bernard. Serm. de duodecim praerogativis B. M. V. ex verbis Apocalyps.

lorum Principis, et Coapostoli ejus Pauli, omniumque Sanctorum Coelitum, qui facti jam amici Dei pervenerunt ad coelestia regna, et coronati possident palmam, ac de sua immortalitate securi, de nostra sunt salute solliciti.

Denique, coelestium omnium donorum copiam Vobis á Deo ex animo adprecantes, singularis Nostrae in Vos charitatis pignus Apostolicam Benedictionem ex intimo corde profectam, Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, cunctisque Clericis, Laicisque fidelibus curae vestrae commisis, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die VIII decembris anno 1864, decimo á Dogmatica Definitione Immaculatae Conceptionis Deiparae Virginis Mariae. Pontificatus Nostri Anno Decimonono.

APPENDIX II

SYLLABUS

COMPLECTENS PRAECIPUOS NOSTRAE AETATIS ERRORES, QUI NOTANTUR IN ALLOCUTIONIBUS CONSISTORIALIBUS, IN ENCYCLICIS, ALIISQUE APOSTOLICIS LITTERIS SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PII PAPAE IX.

§. I.—Pantheismus, Naturalismus et Rationalismus absolutus.

I. Nullum supremum, sapientissimum, providentissimumque Numen divinum exsistit ab hac rerum universitate distinctum, et Deus idem est ac rerum natura, et idcirco mutationibus obnoxius, Deusque reapse fit in homine et mundo, atque omnia Deus sunt, et ipsissimam Dei habent substantiam; ac una eademque res est Deus cum mundo, et proinde spiritus cum materia, necessitas cum libertate, verum cum falso, bonum cum malo, et justum cum injusto (1).

II. Neganda est omnis Dei actio in homines et mundum (2).

III. Humana ratio, nullo prorsus Dei respectu habito, unicus et veri et falsi boni et mali arbiter, sibi ipsi est lex,

(1) Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.
(2) Id. id.

et naturalibus suis viribus ad hominum ac populorum bonum curandum sufficit (1).

IV. **Omnes religionis veritates** ex nativa humanae rationis vi derivant; hinc ratio est, princeps norma, qua homo cognitionem omnium cujuscumque generis veritatum assequi possit ac debeat (2).

V. Divina revelatio est imperfecta, et idcirco subjecta continuo et indefinito progressui, qui humanae rationis progressioni respondeat (3).

VI. Christi fides humanae refragatur rationi; divinaque revelatio non solùm nihil prodest, verùm etiam nocet hominis perfectioni (4).

VII. Prophetiae et miracula in sacris Litteris exposita et narrata, sunt poetarum commenta, et christianae fidei mysteria philosophicarum investigationum summa; et utriusque Testamenti libris mythica continentur inventa; ipseque Jesus Christus est mythica fictio (5).

§. II.—*Rationalismus moderatus.*

VIII. Quum ratio humana ipsi religioni aequiparetur, idcirco theologicae disciplinae perinde ac philosophicae tractandae sunt (6).

IX. Omnia indiscriminatim dogmata Religionis christianae sunt objectum naturalis scientiae, seu philosophiae; et humana ratio historicè tantùm exculta, potest, ex suis naturalibus viribus et principiis, ad veram de omnibus etiam reconditioribus dogmatibus scientiam pervenire, modò hae dogmata ipsi rationi tamquam objectum proposita fuerint (7).

X. Quuum aliud sit philosophus, aliud philosophia, ille jus et officium habet se submittendi auctoritate, quam veram ipse probaverit; at philosophia, neque potest neque debet ulli sese submittere auctoritati (8).

XI. Ecclesia non solùm non debet in philosophiam

---

(1) Alloc. *Maxima quidem,* 9 Junii 1862.

(2) Epist. Encycl. *Qui pluribus,* 9 novembris 1846. *Singulari quidem,* 17 martii 1856. Alloc. *Maxima quidem,* 9 junii 1862.

(3) Epist. Encycl *Qui pluribus,* 9 novembris 1846. Alloc. *Maxima quidem,* 9 junii 1862.

(4) Id. id. id. id.

(5) Epist. Encycl. *Qui pluribus,* 9 novembris 1846. Alloc. *Maxima quidem,* 9 junii 1862.

(6) Alloc. *Singulari quadam perfusi,* 9 decembris 1854.

(7) Epist. ad Archiep. Frising., *Gravissimas,* 11 decembris 1862. Epist. ad eumdem, *Tuas libenter,* 21 decembris 1863.

(8) Epist. ad Archiep. Frising., *Gravissimas,* 11 decembris 1862. Epist. ad eumdem, *Tuas libenter,* 21 decembris 1863.

unquam animadvertere, verùm etiam debet ipsius philosophiae tolerare errores, eique relinquere ut ipsa se corrigat (1).

XII. Apostolicae Sedis, romanorumque Congregationum decreta, liberum scientiae progressum impediunt (2).

XIII. Methodus et principia, quibus antiqui Doctores scholastici Theologiam excoluerunt, temporum nostrorum necessitatibus scientiarumque progressui minimè congruunt (3).

XIV. Philosophia tractanda est, nulla supernaturalis revelationis habita ratione (4).

N. B. Cum rationalismi systemate cohaerent maximam partem errores Antonii Günther, qui damnantur in Epist. ad Card. Archiep. Coloniensem, *Eximiam tuam*, 15 junii 1847, et in Epist. ad Episc. Wratislaviensem, *Dolore haud mediocri*, 30 aprilis 1860.

§. III.—*Indifferentismus, Latitudinarismus.*

XV. Liberum cuique homini est eam amplecti ac profiteri religionem, quam rationis lumine quis ductus veram putaverit (5).

XVI. Homines in cujusvis religionis cultu viam aeternae salutis reperire, aeternamque salutem assequi possunt (6).

XVII. Saltem benè sperandum est de aeterna illorum omnium salute, qui in vera Christi Ecclesia nequaquam versantur (7).

XVIII. Protestantismus non aliud est quàm diversa verae ejusdem christianae Religionis forma, in qua aequè ac in Ecclesia catholica Deo placere datum est (8).

§. IV.—*Socialismus Communismus, Societates clandentinae, Societates biblicae, Societates clerico-liberales.*

Ejusmodi pestes saepe gravissimisque verborum formulis reprobantur in Epist. Encycl. *Qui pluribus*, 9 novemb.

(1) Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas*, 11 decembris 1862.

(2) Epist. ad Archiep. Frising., *Tuas libenter*, 21 decembris 1863.

(3) Id. id.

(4) Id. id.

(5) Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 junii 1851. Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.

(6) Epist. Encycl. *Qui pluribus*, 9 novembris 1846. Alloc. *Ubi primum*, 17 decembris 1847. Epist. Encycl. *Singulari quidem*, 17 martii 1856.

(7) Alloc. *Singulari quadam*, 9 decembris 1854. Epist. Encycl. *Quanto conficiamur*, 17 augusti 1863.

(8) Epist. Encycl. *Noscitis et Nobiscum*, 8 decembris 1849.

1846; in Alloc. *Quibus quantisque,* 20 april. 1849; in Epist. Encycl. *Noscitis et Nobiscum,* 8 decemb. 1849; in Allocut. *Singulari quadam,* 9 decemb. 1854; in Epist. Encycl. *Quanto conficiamur moerore,* 10 augusti 1863.

§. V.—*Errores de Ecclesia ejusque juribus.*

XIX. Ecclesia non est vera perfectaque societas planè libera, nec pollet suis propiis et constantibus juribus, sibi á divino suo Fundatore collatis, sed civilis potestatis est definire quae sint Ecclesiae jura ac limites, intra quos eadem jura exercere queat (1).

XX. Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet absque civilis gubernii venia et assensu (2).

XXI. Ecclesia non habet potestatem dogmaticè definiendi, religionem catholicae Ecclesiae esse unicè veram religionem (3)

XXII. Obligatio, qua catholici magistri et scriptores omnino adstringuntur, coarctatur in iis tantum, quae ad infallibili Ecclesiae judicio veluti fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur (4).

XXIII. Romani Pontifices et concilia oecumenica á limitibus suae potestatis recesserunt, jura Principum usurparunt, atque etiam in rebus fidei et morum definiendis errarunt (5).

XXIV. Ecclesia vis inferendae potestatem non habet, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam (6).

XXV. Praeter potestatem episcopatui inhaerentem, alia est attributa temporalis potestas á civili imperio vel expressè vel tacitè concessa, revocanda propterea, cum libuerit, á civili imperio (7).

XXVI. Ecclesiam non habet nativum ac legitimum jus acquirendi ac possidendi (8).

XXVII. Sacri Ecclesiae ministri Romanusque Pontifex, ab omni rerum temporalium cura ac dominio sunt omnino excludendi (9).

---

(1) Alloc. *Singulari quadam,* 9 decembris 1854. Alloc *Multis gravibusque,* 17 decembris 1860. Alloc. *Maxima quidem,* 9 junii 1862.

(2) Alloc *Meminit unusquisque,* 30 septembris 1861.

(3) Litt. Apost. *Multiplices inter,* 10 junii 1851.

(4) Epist. ad Archiep. Frising., *Tuas libenter,* 21 decembris 1863.

(5) Litt Apost. *Multiplices inter,* 10 junii 1851.

(6) Litt. Apost *Ad Apostilicae,* 22 augusti 1851.

(7) Id. id.

(8) Alloc. *Numquam fore,* 15 decembris 1856. Epist. Encycl. *Incredibili,* 17 septembris 1863.

(9) Alloc *Maxima quidem,* 9 junii 1862.

XXVIII. Episcopis sine gubernii venia, fas non est vel ipsas Apostolicas Litteras promulgare (1).

XXIX. Gratiae á Romano Pontifice concessae existimari debent tanquam irritae, nisi per gubernium fuerint imploratae (2).

XXX. Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitas á jure civili ortum habuit (3).

XXXI. Ecclesiasticum forum pro temporalibus clericorum causis, sive civilibus sive criminalibus, omnino de medio tollendum est, etiam inconsulta et reclamante Apostolica Sede (4).

XXXII. Absque ulla naturalis juris et aequitatis violatione potest abrogari personalis immunitas, qua clerici ab onere subeundae exercendaeque militiae eximuntur; hanc vero abrogationem postulat civilis progressus, maximè in societate ad forman liberioris regiminis constituta (5).

XXXIII. Non pertinet unice ad ecclesiasticam jurisdictionis potestatem proprio ac nativo jure dirigere theologicarum rerum doctrinam (6).

XXXIV. Doctrina comparantium Romanum Pontificem Principi libero et agenti in universa Ecclesia, doctrina est quae medio aevo praevaluit (7)

XXXV. Nihil vetat, alicujus Concilii generalis sententia aut universorum populorum facto, summum pontificatum ab Romano Episcopo atque urbe ad alium Episcopum aliamque civitatem transferri (8).

XXXVI. Nationalis Concilii definitio nullam aliam admittit disputationem, civilisque administratio rem ad hosce terminos exigere potest (9).

XXXVII. Institui possunt nationales Ecclesiae ab auctoritate Romani Pontificis subductae plenaeque divisae (10).

XXXVIII. Divisioni Ecclesiae in orientalem atque occidentalem, nimia Romanorum Pontificum arbitria contulerunt (11).

---

(1) Alloc. *Nunquan fore,* 13 decembris 1856.
(2) Id. id.
(3) Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 junii 1851.
(4) Alloc. *Acerbissimum,* 27 Septembris 1852. Alloc. *Nunquam fore*, 15 decembris 1856.
(5) Epist. ad Episc. Montisregal., *Singularis Nobisque*, 29 septembris 1864.
(6) Epist. ad Archiep. Frising., *Tuas libenter*, 21 decembris 1863.
(7) Litt Apost. *Ad Apostolicae*, 22 augusti 1851.
(8) Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 augusti 1851.
(9) Id. id.
(10) Alloc. *Multis gravibusque,* 17 decembris 1860. *Jamdudum cernimus,* 18 martii 1861.
(11) Litt Apost. *Ad Apostolicae,* 22 augusti 1851.

§. VI.—Errores de societate civili, tum in se, tum in suis ad ecclesiam relationibus spectata.

XXXIX. Reipublicae status, utpote omnium jurium origo et fons, jure quodam pollet nullis circumscripto limitibus (1).

XL. Catholicae Ecclesiae doctrina, humanae societatis bono et commodis adversatur (2).

XLI. Civili potestati vel ab infideli imperante exercitae competit potestas indirecta negativa in sacra; eidem proinde competit nedum jus quo vocant *exequatur*, sed etiam jus *appellationis*, quam nuncupant, *ab abusu* (3).

XLII. In conflictu legum utriusque potestatis, jus civile praevalet (4).

XLIII. Laica potestas auctoritatem habet rescindendi, declarandi ac faciendi irritas solemnes conventiones (vulgò *Concordata*) super usu jurium ad ecclesiasticam immunitatem pertinentium cum Sede Apostolica initas sine hujus consensu, immo et eä reclamante (5).

XLIX. Civilis auctoritas potest se immiscere rebus quae ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent. Hinc potest de instructionibus judicare, quas Ecclesiae pastores ad conscientiarum normam pro suo munere edunt, quin etiam potest de divinorum Sacramentorum administratione et dispositionibus ad ea suscipienda necessariis decernere (6).

XLV. Totum scholarum publicarum regimen, in quibus juventus christianae alicujus Reipublicae instituitur, episcopalibus dumtaxat seminariis aliqua ratione exceptis, potest ac debet attribui auctoritati civili, et ita quidem attribui, ut nullum alli cuicumque auctoritati recognoscatur jus immiscendi se in disciplina scholarum, in regimine studiorum, in graduum collatione, in delectu aut approbatione magistrorum (7).

XLVI. Immo in ipsis clericorum seminariis, methodus studiorum adhibenda civili auctoritati subjicitur (8).

---

(1) Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.

(2) Epist. Encycl. *Qui pluribus*, 9 novembris 1846. Alloc. *Quibus quantisque*, 20 apriis 1849.

(3) Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 augusti 1851.

(4) Id. id.

(5) Alloc. *In Consistoriali*, 1 novembris 1850. Alloc. *Multis gravibusque*, 17 decembris 1860.

(6) Alloc. *In Consistoriati*, 1 novembris 1850. Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.

(7) Alloc. *In Consistoriali*, 1 novembris 1850. Alloc. *Quibus luctuosissimis*, 5 septembris 1851.

(8) Alloc. *Nunquam fore*, 15 decembris 1856.

XLVII. Postulat optima civilis societatis ratio, ut populares scholae, quae patent omnibus cujusque e populo classis pueris, ac publica universim instituta, quae litteris severioribusque disciplinis tradendis et educationi juventutis curandae sunt destinata, eximantur ab omni Ecclesiae auctoritate, moderatrice vi et ingerentia plenoque civilis ac politicae auctoritatis arbitrio subjiciantur, ad imperantium placita et ad communium aetatis opinionum amussim (1).

XLVIII. Catholicis viris probari potest ea juventutis instituendae ratio, quae sit a catholica fide et ab Ecclesiae potestate sejuncta, quaeque rerum dumtaxat naturalium scientiam ac terrenae socialis vitae fines tantummodo vel saltem primariò spectet (2).

XLIX. Civilis auctoritas potest impedire quominus sacrorum Antistites et fideles populi cum Romano Pontifice liberè ac mutuò communicent (3).

L. Laica auctoritas habet per se jus praesentandi Episcopos, et potest ab illis exigere ut ineant dioecesium procurationem antequan ipsi canonicam a S. Sede institutionem et Appostolicas litteras accipiant (4).

LI. Immo laicum gubernium habet jus deponendi ab exercitio pastoralis ministerii Episcopos, neque tenetur obedire Romano Pontifici in iis quae episcopatuum et Episcoporum respiciunt institutionem (5).

LII. Gubernium potest suo jure immutare aetatem ab Ecclesia praescriptam pro religiosa tam mulierum quam virorum professione, omnibusque religiosis Familiis indicere, ut neminem sine suo permissu ad solemmia vota nuncupanda admittant (6).

LIII. Abrogandae sunt leges quae ad religiosarum Familiarum statum tutandum earumque jura et officia pertinent; immo potest civile gubernium iis omnibus auxilium praestare, qui a suscepto religiosae vitae instituto deficere ac solemnia vota frangere velint; pariterque potest, religiosas easdem Familias perinde ac collegiatas Ecclesias et beneficia simplicia, etiam juris patronatus penitus extinguere, illorum bona et reditus civilis potestatis administrationi et arbitrio subjicere et vindicare (7).

---

(1) Epist. ad Archiep. Friburg. *Quum non sine*, 14 junii 1864.
(2) Id. id.
(3) Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.
(4) Alloc. *Nunquam fore*, 15 decembris 1856.
(5) Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 junii 1851. Alloc. *Acerbissimun*, 27 septembris 1852.
(6) Alloc. *Nunquam fore*, 15 decembris 1856.
(7) Alloc. *Acerbissimum*, 27 septembris 1852. *Alloc. Probe meminceritis*, 22 januarii 1855. Alloc. *Cum saepe*, 26 julii 1855.

LIV. Reges et principes, non solùm ab Ecclesiae jurisdictione eximuntur, verùm etiam in quaestionibus jurisdictionis dirimendis superiores sunt Ecclesiâ (1).

LV. Ecclesia á Statu Statusque ab Ecclesia sejungendus est (2).

§. *VII.—Errores de ethica naturali et christiana.*

LVI. Morum leges divina haud egent sanctione, minimeque opus est ut humanae leges ad naturae jus conformentur, aut obligandi vim á Deo accipiant (3).

LVII. Philosophicarum rerum morumque scientia, itemque civiles leges, possunt et debent á divina et ecclesiastica auctoritate declinare (4).

LVIII. Aliae vires non sunt agnoscendae nisi illae quae in materia positae sunt, et omnis morum disciplina honestasque collocari debet in cumulandis et augendis quovis modo divitiis, ac in voluptatibus explendis (5).

LIX. Jus in materiali facto consistit, et omnia hominum officia sunt nomen inane, et omnia humana facta juris vim habent (6).

LX. Auctoritas nihil aliud est nisi numeri et materialium virium summa (7.)

LXI. Fortunata facti injustitia nullum juris sanctitati detrimentum affert (8).

LXII. Proclamandum est et observandum, principium, quod vocant de *non-interventur* (9).

LXIII. Legitimis Principibus obedientiam, detrectare, immo et rebellare licet (10).

LXIV. Tum cujusque sanctissimi juramenti violatio, tum quaelibet scelesta flagitiosaque actio sempiternae legi repugnans, non solùm haud est improbanda, verùm etiam omnino licita, summisque laudibus efferenda, quando id pro patriae amore agatur (11).

---

(1) Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 junii 1851.

(2) Alloc. *Acerbissimum*, 27 septembris 1852.

(3) Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.

(4) Id. id.

(5) Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862. Epist. Encycl. *Quanto conficiamur*, 17 augusti 1863.

(6) Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.

(7) Id. id.

(8) Alloc. *Jamdudum cernimus*, 18 martii 1861.

(9) Alloc. *Novos en ante*, 28 Septembris 1860.

(10) Epist. Encycl. *Qui pluribus*, 9 novembris 1846. Alloc. *Quisque vestrum*, 4 oct. 1847. Ep. encycl *Noscitis et Nobiscum*, 8 dec. 1849. Lit. Ap. *Cum catholica*, 26 mart. 1860.

(11) Alloc. *Quibus quantisque*, 20 aprilis 1849.

§. VIII.—Errores de matrimonio christiano.

LXV. Nulla ratione ferri potest, Christum evexisse matrimonium ad dignitatem Sacramenti (1).

LXVI. Matrimonii Sacramentum non est nisi quid contractui accesorium ab eoque separabile, ipsumque Sacramentum in una tantùm nuptiali benedictione situm est (2).

LXVII. Jure naturae matrimonii vinculum non est indissolubile, et in variis casibus divortium propriè dictum auctoritate civili sanciri potest (3).

LXVIII. Ecclesia non habet potestatem impedimenta matrimonium dirimentia inducendi, sed ea potestas civili auctoritati competit, á qua impedimenta existentia tollenda sunt (4).

LXIX. Ecclesia sequioribus saeculis dirimentia impedimenta inducere coepit, non jure proprio, sed illo jure usa, quod a civili potestate mutuata erat (5).

LXX. Tridentini canones qui anathematis censuram illis inferunt qui facultatem impedimenta dirimentia inducendi Ecclesiae negare audeant, vel non sunt dogmatici, vel de hac mutuata potestate inteligendi sunt (6).

LXXI. Tridentini forma sub infirmitatis poena non obligat, ubí lex civilis aliam formam praestituat, et velit hac nova formâ interveniente matrimonium valere(7).

LXXII. Bonifacius VIII votum castitatis in ordinatione emissum, nuptiis nullas reddere primus asseruit (8).

LXXIII. Vi contractûs merè civilis potest inter christianos constare veri nominis matrimonium; falsumque est, aut contractum matrimonii inter christianos semper esse sacramentum, aut nullum ese contractum, si Sacramentum excludatur (9).

LXXIV. Causae matrimoniales et sponsalia, suapte natura ad forum civile pertinent (10).

N. B. Hùc facere possunt duo alii errores de clerico-

(1) Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22, augusti 1851.
(2) Id. id.
(3) Id. id. Alloc. *Acerbissimum*, 27 septembris 1852.
(4) Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 junii 1851.
(5) Litt. Apost. *Ad Apostolicae* 22 augusti 1851.
(6) Id. id.
(7) Id. id.
(8) Id. id.
(9) Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 augusti 1851. Lettera di S. S. PIO IX al Re di Sardegna, 9 settembre 1852. Alloc. *Acerbissimum*, 27 septembris 1852. Alloc. *Multis gravibusque*, 17 decembris 1860.
(10) Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 augusti 1851. Alloc. *Acerbissimum*, 27 septembris 1852.

rum coelibatu abolendo, et de statu matrimonii statui virginitatis anteferendo. Confodiuntur, prior in Epist. Encycl. *Qui pluribus*, 9 novembris 1846, posterior in Litteris Apost. *Multiplices inter*, 10 junii 1851.

§. *IX.—Errores de civili Romani Pontificis principatu.*

LXXV. De temporalis regni cum spirituali compatibilitate disputant inter se christianae et catholicae Ecclesiae filii (1).

LXXVI. Abrogatio civilis imperii, quo Apostolica Sedes potitur, ad Ecclesiae libertatem felicitatemque vel maximè conduceret (2).

N. B. Praeter hos errores explicitè notatos, alii complures implicitè reprobantur, proposita et asserta doctrinâ, quam catholici omnes firmissimè retinere debeant, de civili Romani Pontificis principatu. Ejusmodi doctrina luculenter traditur in Alloc. *Quibus quantisque*, 20 april. 1849; in Alloc. *Si semper antea*, 20 maji 1850; in Litt. Apost. *Cum catholica Ecclesia*, 26 mart. 1860; in Alloc. *Jamdudum*, 18 mart. 1861; in Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.

§. *X.—Errores qui ad liberalismum hodiernum referuntur.*

LXXVII. Ætate hac nostra non amplius expedit, Religionem catholicam haberi tanquam unicam Statûs religionem, caeteris quibuscumque cultibus exclusis (3).

LXXVIII. Hinc laudabiliter in quibusdam catholici nominis regionibus lege cautum est, ut hominibus illuc immigrantibus liceat publicum proprii cujusque cultus exercitium habere (4).

LXXIX Enimvero falsum est, civilem cujusque cultus libertatem, itemque plenam potestatem omnibus attributam quaslibet opiniones cogitationesque palam publiceque manifestandi, conducere ad populorum mores animosque facilius corrupendos ac indifferentismi pestem propagandam (5).

LXXX. Romanus Pontifex potest ac debet cum progressu, cum liberalismo et cum recenti civilitate sese reconciliare et componere (6).

---

(1) Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 augusti 1851.
(2) Alloc. *Quibus quantisque*, 20 aprilis 1849.
(3) Alloc. *Nemo vestrum*, 26 junii 1855.
(4) Alloc. *Acerbissimum*, 27 septembris 1852.
(5) Alloc. *Numquam fore*, 15 decembris 1856.
(6) Alloc. *Jamdudum cernimus*, 18 martii 1861.

APPENDIX III

Constitutio dogmatica de Ecclesiâ Christi

PIUS *Episcopus, servus servorum Dei, sacro approbante Concilio, ad perpetuam rei memoriam.*

Pastor aeternus et Episcopus animarum nostrarum, ut salutiferum redemptionis suae opus perenne redderet, sanctam aedificare Ecclesiam decrevit, in qua veluti in domo Dei viventis, fideles omnes unius fidei et charitatis vinculo continerentur. Quapropter, priusquam clarificaretur, rogavit Patrem, non pro Apostolis tantum, sed et pro eis, qui credituri erant per verbum eorum in ipsum, ut omnes unum essent, sicut ipse Filius et Pater unum sunt (1). Quemadmodum igitur Apostolos, quos sibi de mundo elegerat, misit sicut ipse missus erat à Patre; ita in Ecclesia sua Pastores et Doctores usque ad consummationem saeculi esse voluit. Ut vero episcopatus ipse unus et indivisus esset, et per cohaerentes sibi invicem sacerdotes credentium multitudo universa in fidei et communionis unitate conservaretur, beatum Petrum caeteris Apostolis praeponens, in ipso instituit perpetuum utriusque unitatis principium ac visibile fundamentum, super cujus fortitudinem aeternum exstrueretur templum, et Ecclesiae coelo inferenda sublimitas in hujus fidei firmitate consurgeret (2). Et quoniam portae inferi ad evertendam, si fieri posset, Ecclesiam contra ejus fundamentum divinitus positum majori in dies odio undique insurgunt: Nos ad catholici gregis custodiam, incolumitatem, augmentum, sacro approbante Concilio, necessarium esse judicamus, doctrinam de institutione, perpetuitate, ac natura sacri Apostolici primatus, in quo totius Ecclesiae vis ac soliditas consistit, cunctis fidelibus credendam et tenendam, secundum antiquam atque constantem universalis Ecclesiae fidem, proponere, atque contrarios dominico gregi adeo perniciosos errores proscribere et condemnare.

CAPUT I.

De Apostolici primatus in beato Petro institutione.

Docemus itaque et declaramus, juxta Evangelii testimonia, primatum jurisdictionis in universam Dei Ecclesiam

(1) Joan. XVII. 1. 20. sq.
(2) S. Leo M. serm. IV (al III), cap. 2. in diem natalis sui.

immediate et directe beato Petro Apostolo promissum atque collatum à Christo Domino fuisse. Ad unum enim Simonem, cui dixerat: Tu vocaberis Cephas (1), postquam ille suam confessionem edidit: Tu es Christus, Filius Dei vivi; locutus est Dominus: Beatus es, Simon Bar-Jona, quia caro, et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est: et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam: et tibi dabo claves regni coelorum: et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis (2). Atque uni Simoni Petro contulit Jesus post suam resurrectionem summi pastoris et rectoris jurisdictionem in totum suum ovile, dicens: Pasce agnos meos: Pasce oves meas (3). Huic tam manifestae sacrarum Scripturarum doctrinae, ut ab Ecclesia catholica semper intellecta est, aperte opponuntur pravae eorum sententiae, qui constitutam à Christo Domino in sua Ecclesia regiminis formam pervertentes, negant solum Petrum prae caeteris Apostolis, sive seorsum singulis sive omnibus simul, vero proprioque jurisdictionis primatu fuisse à Christo instructum; aut qui affirmant eumdem primatum non immediate, directeque ipsi beato Petro, sed Ecclesiae, et per hanc illi ut ipsius Ecclesiae ministro delatum fuisse.

Si quis igitur dixerit, beatum Petrum Apostolum á Christo Domino constitutum non esse Apostolorum omnium principem et totius Ecclesiae militantis visibile caput; vel eumdem honoris tantum, non autem verae propriaeque jurisdictionis primatum ab eodem Domino nostro Jesu Christo directe et inmediate accepisse; anathema sit.

CAPUT II.

De perpetuitate primatus Petri in Romanis Pontificibus.

Quod autem in beato Apostolo Petro, Princeps Pastorum et Pastor magnus ovium, Dominus Christus Jesus in perpetuam salutem ac perenne bonum Ecclesiae instituit, id eodem auctore in Ecclesia, quae fundata super petram ad finem saeculorum usque firma stabit, jugiter durare necesse est. Nulli sane dubium, imo saeculis omnibus notum est, quod sanctus beatissimusque Petrus, Apostolorum princeps et caput, fideique columna et Ecclesiae catholicae fundamentum, à Domino nostro Jesu Christo et Salvatore huma-

(1) Joan I. 42.
(2) Matth. XVI. 16-19.
(3) Joann. XXI. 15-17.

ni generis ac Redemptore claves regni accepit: qui ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus, Episcopis Sanctae Romanae Sedis, ab ipso fundatae, ejusque consecratae sanguine, vivit et praesidet et judicium exercet (1). Unde quicumque in hac Cathedra Petro succedit, is secundum Christi ipsius institutionem primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet. Manet ergo dispositio veritatis, et beatus Petrus in accepta fortitudine petrae perseverans, suscepta Ecclesiae gubernacula non reliquit (2). Hac de causa ad Romanam Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse semper erat omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles, ut in ea Sede, è qua venerandae communionis jura in omnes dimanant, tamquam membra in capite consociata, in unam corporis compagem coalescerent (3).

Si quis ergo dixerit non esse ex ipsius Christi Domini institutione seu jure divino, ut beatus Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores; aut Romanum Pontificem non esse beati Petri in eodem primatu successorem; anathema sit.

CAPUT III.

De vi et ratione primatus Romani Pontificis.

Quapropter appertis innixi sacrarum litterarum testimoniis, et inhaerentes tum praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum, tum Conciliorum generalium disertis, perspicuisque decretis, innovamus oecumenici Concilii Florentini definitionem, qua credendum ab omnibus Christi fidelibus est, Sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri, principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput, et omnium christianorum patrem ac doctorem existere, et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam à Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum Conciliorum et in sacris canonibus continetur.

Docemus proinde et declaramus, Ecclesiam Romanam, disponente Domino, super omnes alias ordinariae potestatis

---

(1) Cf. Ephesini Concilii, Act. III, et S. Petri Chrysol. ep. ad Eutych. presb.

(2) S. Leo M. Serm. III (al II), cap. 3.

(3) S. Iren. adv. haer. 1. III. c. 3. et Epist. Conc. Aquilej. a. 381, ad Gratian. Imper. c. 4. Cf. Pius VI, Brev. *Super soliditate.*

obtinere principatum, et hanc Romani Pontificis jurisdictionis potestatem, quae vere episcopalis est, immediatam esse: erga quam cujuscumque ritus et dignitatis Pastores atque fideles, tam seorsum singuli quam simul omnes, officio hierarchicae subordinationis, veraeque obedientiae obstringuntur, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae, per totum orbe difussae, pertinent; ita ut custodita cum Romano Pontifice, tam communionis quam ejusdem fidei professionis unitate, Ecclesia Christi sit unus grex sub uno summo Pastore. Haec est catholicae veritatis doctrina, à qua deviare, salva fide atque salute, nemo potest.

Tantum autem abest, ut haec Summi Pontificis potestas officiat ordinariae ac immediatae illi episcopalis jurisdictionis potestati, qua Episcopi, qui positi à Spiritu Sancto in Apostolorum locum successerunt (1), tanquam veri Pastores assignatos sibi greges, singuli singulos, pascunt et regunt, ut eadem à supremo et universali Pastore asseratur, roboretur ac vindicetur, dicente Sancto Gregorio Magno: Meus honor est honor universalis Ecclesiae: Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tum ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur (2).

Porro ex suprema illa Romani Pontificis potestate gubernandi universam Ecclesiam, jus eidem esse consequitur, in hujus sui muneris exercitio libere communicandi cum pastoribus et gregibus totius Ecclesiae, ut iidem ab ipso in via salutis doceri ac regi possint. Quare damnamus ac reprobamus illorum sententias, qui hanc supremi capitis cum pastoribus et gregibus communicationem licite impediri posse dicunt, aut eamdem reddunt saeculari potestati obnoxiam, ita ut contendant, quae ab Apostolica Sede vel ejus auctoritate ad regimen Ecclesiae constituuntur, vim ac valorem non habere, nisi potestatis saecularis placito confirmentur.

Et quoniam divino Apostolici primatus jure Romanus Pontifex universae Ecclesiae praeest, docemus etiam et declaramus, eum esse judicem supremum fidelium (3), et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus, ad ipsius posse judicium recurri (4): Sedis vero Apostolicae cujus auctoritate major non est, judicium à nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus licere judicare judicio (5). Quare à recto veritatis tramite aberrant, qui affirmant,

---

(1) Conc. Trid. Sess. 23. cap. 4.
(2) S. Gregor. D. ad Eulog. Alexandrin. epist. XXX.
(3) Pii PP. VI. Breve *Super soliditate,* d. 28 nov. 1786.
(4) Concil. oecum. Lugdun. II.
(5) Ep. Nicolai I. ad Michaelem Imperatorem.

licere à judiciis Romanorum Pontificum ad oecumenicum Concilium tamquam ad auctoritatem Romano Pontifice superiorem appellare,

Si quis itaque dixerit, Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem jurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem hujus supremae potestatis; aut hanc ejus potestatem non esse ordinariam et immediatam, sive in omnes et singulos pastores et fideles; anathema sit.

CAPUT IV.

De Romani Pontificis infallibili magisterio.

Ipso autem Apostolico primatu, quem Romanus Pontifex tamquam Petri, Principis Apostolorum successor, in universam Ecclesiam obtinet, supremam quoque magisterii potestatem comprehendi, haec Sancta Sedes semper tenuit, perpetuus Ecclesiae usus comprobat, ipsaque oecumenica Concilia, ea imprimis, in quibus Oriens cum Occidente in fidei charitatisque unionem conveniebat, declaraverunt. Patres enim Concilii Constantinopolitani quarti, majorum vestigiis inhaerendo, hanc solemnem ediderunt professionem: Prima salus est rectae fidei regulam custodire. Et quia non potest Domini nostri Jesu Christi praetermitti sententia, dicentis: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam (1), haec, quae dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica immaculata est semper catholica reservata religio, et sancta celebrata doctrina. Ab hujus ergo fide et doctrina separari minime cupientes, speramus, ut in una communione, quam Sedes Apostolica praedicat, esse mereamur, in qua est integra et vera christianae religionis soliditas (2). Approbante vero Lugdunensi Concilio secundo, Graeci professi sunt: Sanctam Romanam Ecclesiam summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinere, quem se ab ipso Domino in beato Petro Apostolorum principe sive vertice, cujus Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veracitèr et humilitèr recognoscit; et sicut prae caeteris tenetur fidei veritatem defendere,

---

(1) Matth. XVI. 18.

(2) Ex formula S. Hormisdae Papae, prout ab Adriano II, Patribus Concilii oecumenici VIII, Constantinopolitani IV, proposita et ab iisdem subscripta est

sic, et si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent judicio definiri. Florentinum denique concilium definivit: Pontificem Romanum, verum Christi Viearium totiusque Ecclesiae caput, et omnium christianorum patrem ac doctorem existere; et ipsi in beato Petro, pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam à Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse (1).

Huic pastorali muneri ut satisfacerent Praedecessores Nostri indefessam semper operam dederunt, ut salutaris Christi doctrina apud omnes terrae populos propagaretur, parique cura vigilarunt, ut, ubi recepta esset, sincera et pura conservaretur. Quocirca totius orbis Antistites, nunc singuli, nunc in Synodis congregati, longam Ecclesiarum consuetudinem (2) et antiquae regulae formam sequentes (3), ea praesertim pericula quae in negotiis fidei emergebant, ad hanc Sedem Apostolicam retulerunt, ut ibi potissimum resarcirentur damna fidei, ubi fides non potest sentire defectum (4). Romani autem Pontifices prout temporum et rerum conditio suadebat, nunc convocatis Oecumenicis Conciliis aut explorata Ecclesiae per orbem dispersae sententia, nunc per Synodos particulares, nunc aliis, quae divina suppeditabat providentia, adhibitis auxiliis, ea tenenda definiverunt quae sacris Scripturis et apostolicis Traditionibus consentanea, Deo adjutore, cognoverant. Neque enim Petri successoribus Spiritus Sanctus promissus est, ut, eo revelante, novam doctrinam patefacerent, sed ut, eo assistente, traditam per Apostolos revelationem seu fidei depositum sancte custodirent et fidelitèr exponerent. Quorum quidem apostolicam doctrinam omnes venerabiles Patres amplexi, et sancti Doctores orthodoxi venerati atque secuti sunt; plenissime scientes hanc Sancti Petri Sedem ab omni semper errore illibatam permanere, secundum Domini Salvatoris nostri divinam pollicitationem discipulorum suorum principi factam: Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu, aliquando conversus, confirma fratres tuos (5).

Hoc igitur veritatis et fidei numquam deficientis charisma, Petro ejusque in hac Cathedra successoribus divinitus collatum est, ut excelso suo munere in omnium salutem fungerentur, ut universus Christi grex per eos ab erroris venenosa esca aversus, coelestis doctrinae pabulo nutriretur, ut, sublata schismatis occasione, Ecclesia tota una con-

---

(1) Cf. Joann. XXI. 15-17.
(2) S. Cyr. Alex. ad S. Coelest. P.
(3) S. Innoc. I. ad Conc. Carth. et Milevit.
(4) Cf. S. Bern. Epist. 190.
(5) Cf. S. Agathon. Epist. ad Imp. à Conc. oecum. VI. approbata.

servaretur, atque suo fundamento innixa firma adversus inferi portas consisteret.

At vero cum hac ipsa aetate, qua salutifera Apostolici muneris efficacia vel maxime requiritur, non pauci inveniantur, qui illius auctoritati obtrectant; necessarium omnino esse censemus, praerogativam, quam unigenitus Dei Filius cum summo pastorali officio conjungere dignatus est, solemniter asserere.

Itaque Nos, traditioni à fidei Christianae exordio perceptae fideliter inhaerendo, ad Dei Salvatoris nostri gloriam, religionis Catholicae exaltationem et Christianorum populorum salutem, sacro approbante Concilio, docemus et divinitus revelatum dogma esse definimus: Romanum Pontificem, cum ex Cathedra loquitur, id est, cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua Apostolica auctoritate, doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam, ipsi in beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque ejusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae, irreformabiles esse.

Si quis autem huic Nostrae definitioni contradicere, quod Deus avertat, praesumpserit; anathema sit.

Datum Romae, in publica Sessione in Vaticana Basilica solemniter celebrata anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo septuagesimo, die decima octava Julii.

Pontificatus nostri anno vigesimo quinto.

Ita est.=*Josephus*, Episcopus S. Hippolyti, Secretarius Concilii Vaticani.

De mandato Smi. in Christo Patris et Domini Nostri Domini divina Providentia PII PP. IX, anno à Nativitate Domini MDCCCLXX, Indict. XIII, die vero XVIII Julii Pontificatus ejusdem Smi. Domini Nostri anno XXV, praesens Constitutio Apostolica affixa et publicata fuit ad valvas Basilicarum S. Joannis in Laterano, Principis Apostolorum, et S. Mariae Majoris Cancellariae Apostolicae, ac Magnae Curiae Innocentianae, atque in Acie Campi Florae, per Aloisium Serafini, Apost. Curs.=*Philippus Ossani*, Magist. Curs.

APPENDIX IV

Encyclica "Immortale Dei„ á Summo Pontifice Leone XIII
ANNO 1885 LATA

LEO PP. XIII.

Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam Benedictionem.

Immortale Dei miserentis opus, quod est Ecclesia, quamquam per se et natura sua salutem spectat animarum adipiscendamque in coelis felicitatem, tamen in ipso etiam rerum mortalium genere tot ac tantas ultro parit utilitates, ut plures maioresve non posset, si in primis et maxime esset ad tuendam huius vitae, quae in terris agitur, prosperitatem institutum.—Revera quacumque Ecclesia vestigium posuit, continuo rerum faciem immutavit, popularesque mores sicut virtutibus antea ignotis, ita et nova urbanitate imbuit: quam quotquot accepere populi, mansuetudine, aequitate, rerum gestarum gloria excelluerunt.—Sed vetus tamen illa est atque antiqua vituperatio, quod Ecclesiam aiunt esse cum rationibus reipublicae dissidentem, nec quidquam posse ad ea vel commoda vel ornamenta conferre, quae suo iure suaque sponte omnis bene constituta civitas appetit. Sub ipsis Ecclesiae primordiis non dissimili opinionis iniquitate agitari christianos, et in odium invidiamque vocari solitos hac etiam de causa accepimus, quod hostes imperii dicerentur: quo tempore malorum culpam, quibus esset perculsa respublica, vulgo libebat in christianum conferre nomen, cum revera ultor scelerum Deus poenas a sontibus iustas exigeret. Eius atrocitas calumniae non sine causa ingenium armavit stilumque acuit Augustini: qui praesertim in *Civitate Dei* virtutem christianae sapientiae, qua parte necessitudinem habet cum re publica, tanto in lumine collocavit, ut non tam pro christianis sui temporis dixisse causam, quam de criminibus falsis perpetuum triumphum egisse videatur.—Similium tamen querelarum atque insimulationum funesta libido non quievit, ac permultis sane placuit civilem vivendi disciplinam aliunde petere, quam ex doctrinis, quas Ecclesia catholica probat. Immo postremo hoc tempore *novum*, ut appellant, *ius*, quod inquiunt esse velut quoddam adulti iam saeculi incrementum, progre-

diente libertate partum, valere ac dominari passim coepit. —Sed quantumvis multa multi periclitati sunt, constat, repertam numquam esse praestantiorem constituendae temperandaeque civitatis rationem, quam quae ab evangelica doctrina sponte efflorescit.—Maximi igitur momenti atque admodum muneri Nostro apostolico consentaneum esse arbitramur, novas de re publica opiniones cum doctrina christiana conferre: quo modo erroris dubitationisque causas ereptum iri, emergente veritate, confidimus, ita ut videre quisque facile queat summa illa praecepta vivendi, quae sequi et quibus parere debeat.

Non est magni negotii statuere, qualem sit speciem formamque habitura civitas, gubernantes christiana philosophia rem publicam.—Insitum homini natura est, ut in civili societate vivat: is enim necessarium vitae cultum et paratum, itemque ingenii atque animi perfectionem cum in solitudine adipisci non possit, provisum divinitus est, ut ad coniunctionem congregationemque hominum nasceretur cum domesticam, tum etiam civilem, quae suppeditare *vitae sufficientiam perfectam* sola potest. Quoniam vero non potest societas ulla consistere, nisi si aliquis omnibus praesit, efficaci similique movens singulos ad commune propositum impulsione, efficitur, civili hominum communitati necessariam esse auctoritatem, qua regatur: quae, non secus ac societas, a natura propterea que a Deo ipso oriatur auctore. —Ex quo illud consequitur, potestatem publicam per se ipsam non esse nisi a Deo. Solus enim Deus est verissimus maximusque rerum dominus, cui subesse et servire omnia, quaecumque sunt, necesse est: ita ut quicumque ius imperandi habent, non id aliunde accipiant, nisi ab illo summo omnium principe Deo. *Non est potestas nisi a Deo.* (1)—Ius autem imperii per se non est cum ulla reipublicae forma necessario copulatum: aliam sibi vel aliam assumere recte potest, modo utilitatis bonique communis reapse efficientem. Sed in quolibet genere reipublicae omnino principes debent summum mundi gubernatorem Deum intueri, eumque sibimetipsis in administranda civitate tamquam exemplum legemque proponere. Deus enim, sicut in rebus, quae sunt quaeque cernuntur, causas genuit secundarias, in quibus perspici aliqua ratione posset natura actioque divina, quaeque ad eum finem, quo haec rerum spectat universitas, conducerent: ita in societate civili voluit esse principatum, quem qui gererent, ii imaginem quamdam divinae in genus humanum potestatis divinaeque providentiae referrent. Debet igitur imperium iustum esse, neque herile, sed quasi paternum, quia Dei iustissima in homines potestas est et

(1) Rom. XIII, 1.

cum paterna bonitate coniuncta: gerendum vero est ad utilitatem civium, quia qui praesunt ceteris, hac una de caussa praesunt, ut civitatis utilitatem tueantur. Neque ullo pacto committendum, unius ut, vel paucorum commodo serviat civilis auctoritas, cum ad commune omnium bonum constituta sit. Quod si, qui praesunt, delabantur in dominatum iniustum, si importunitate superbiave peccaverint, si male populo consuluerint, sciant sibi rationem aliquando Deo esse reddendam, idque tanto severius, quanto vel sanctiore in munere versati sint, vel gradum dignitatis altiorem obtinuerint. *Potentes potenter tormenta patientur* (1).—Ita sane maiestatem imperii reverentia civium honesta et libens comitabitur. Etenim cum semel in animum induxerint, pollere, qui imperant, auctoritate a Deo data, illa quidem officia iusta ac debita esse sentient, dicto audientes esse principibus, eisdemque obsequium ac fidem praestare cum quadam similitudine pietatis, quae liberorum est erga parentes. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* (2).—Spernere quippe potestatem legitimam, quavis eam in persona esse constiterit, non magis licet, quam divinae voluntati resistere: cui si qui resistant, in interitum ruunt voluntarium. *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt* (3). Quapropter obedientiam abiicere, et, per vim multitudinis, rem ad seditionem vocare est crimen maiestatis, neque humanae tantum, sed etiam divinae.

Hac ratione constitutam civitatem, perspicuum est, omnino debere plurimis maximisque officiis, quae ipsam iungunt Deo, religione publica satisfacere.—Natura et ratio, quae iubet singulos sancte religioseque Deum colere, quod in eius potestate sumus, et quod ab eo profecti ad eumdem reverti debemus, eadem lege adstringit civilem communitatem. Homines enim communi societate coniuncti nihilo sunt minus in Dei potestate, quam singuli: neque minorem, quam singuli, gratiam Deo societas debet, quo auctore coaluit, cuius nutu conservatur, cuius beneficio innumerabilem bonorum, quibus affluit, copiam accepit. Quapropter sicut nemini licet sua adversus Deum officia negligere, officiumque est maximum amplecti et animo et moribus religionem, nec quam quisque maluerit, sed quam Deus iusserit, quamque certis minimeque dubitandis indiciis unam ex omnibus veram esse constiterit: eodem modo civitates non possunt, citra scelus, gerere se tamquam si Deus omnino non esset, aut curam religionis velut alienam nihilque profuturam abiicere, aut ascis-

(1) Sap. VI, 7.
(2) Rom. XIII, 1.
(3) Ibid. XIII. 2.

cere de pluribus generibus indifferenter quod libeat: omninoque debent eum in colendo numine morem usurpare modumque, quo coli se Deus ipse demonstravit velle.—Sanctum igitur oportet apud principes esse Dei nomen: ponendumque in praecipuis illorum officiis religionem gratia complecti, benevolentia tueri, auctoritate nutuque legum tegere, nec quippiam instituere aut decernere, quod sit eius incolumitati contrarium. Id et civibus debent, quibus praesunt. Nati enim susceptique omnes homines sumus ad summum quoddam et ultimum bonorum, quo sunt omnia consilia referenda, extra hanc fragilitatem brevitatemque vitae in coelis collocatum. Quoniam autem hinc pendet hominum undique expleta ac perfecta felicitas, idcirco assequi eum, qui commemoratus est, finem tanti interest singulorum, ut pluris interesse non possit. Civilem igitur societatem, communi utilitati natam, in tuenda prosperitate reipublicae necesse est sic consulere civibus, ut obtinendo adipiscendoque summo illi atque incommutabili bono quod sponte appetunt, non modo nihil importet unquam incommodi, sed omnes quascumque possit, opportunitates afferat. Quarum praecipua est, ut detur opera religioni sancte inviolateque servandae, cuius officia hominem Deo coniungunt.

Vera autem religio quae sit, non difficulter videt qui iudicium prudens sincerumque adhibuerit: argumentis enim permultis atque illustribus, veritate nimirum vaticiniorum, prodigiorum frecuentia, celerrima fidei vel per medios hostes ac maxima impedimenta propagatione, martyrum testimonio, aliisque similibus liquet, eam esse unice veram, quam Iesus Christus et instituit ipsemet et Ecclesiae suae tuendam propagandamque demandavit.

Nam unigenitus Dei filius societatem in terris constituit, quae Ecclesia dicitur, cui excelsum divinumque munus in omnes saeculorum aetates continuandum transmisit, quod Ipse a Patre acceperat. *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* (1).—*Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* (2). Igitur sicut Iesus Christus in terras venit ut homines *vitam habeant et abundantius habeant,* (3) eodem modo Ecclesia propositum habet tamquam finem, salutem animarum sempiternam: ob eam, que rem talis est natura sua, ut porrigat sese ad totius complexum gentis humanae, nullis nec locorum nec temporum limitibus circumscripta. *Praedicate Evangelium omni creaturae* (4).—Tam ingenti hominum multitudini Deus ipse

(1) Ioan. XX, 2I.
(2) Matth. XXVIII, 20.
(3) Ioan. X, 10.
(4) Marc. XVI, 15.

magistratus assignavit, qui cum potestate praesssent; unumque omnium principem, et maximum certissimumque veritatis magistrum esse voluit, cui claves regni coelorum commisit. *Tibi dabo claves regni coelorum.* (1).—*Pasce agnos... pasce oves:* (2)—*ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua* (3).—Haec societas, quamvis ex hominibus constet, non secus ac civilis communitas, tamen propter finem sibi constitutum, atque instrumenta, quibus ad finem contendit, supernaturalis est, et spiritualis: atque idcirco distinguitur ac differt a societate civili: et, quod plurimum interest, societas est genere et iure perfecta, cum adiumenta ad incolumitatem actionemque suam necessaria, voluntate beneficioque conditoris sui, omnia in se et per se ipsa possideat. Sicut finis, quod tendit Ecclesia, longe nobilissimus est, ita eius potestas est omnium praestantissima, neque imperio civili potest haberi inferior, aut eidem esse ullo modo obnoxia.—Revera Iesus Christus Apostolis suis libera mandata dedit in sacra, adiuncta tum ferendarum legum veri nominis facultate, tum gemina, quae hinc consequitur iudicandi puniendique potestate. "*Data est mihi omnis potestas in coe„lo et in terra; euntes ergo docete omnes gentes... docentes eos „servare omnia quaecumque mandavi vobis„* (4). Et alibi: "*Si non audierit eos, dic Ecclesiae„* (5). Atque iterum: "*In promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam„* (6). Rursus: «*durius agam secundum potestatem, quam Dominus dedit »mihi in aedificationem et non in destructionem»* (7). Itaque dux hominibus esse ad coelestia, non civitas sed Ecclesia debet: eidemque hoc est munus assignatum a Deo, ut de iis, quae religionem attingunt, videat ipsa et statuat: ut doceat omnes gentes: ut christiani nominis fines quoad potest, late proferat; brevi, ut rem christianam libere expediteque iudicio suo administret.—Hanc vero auctoritatem in se ipsa absolutam planeque sui iuris, quae ab assentatrice principum philosophia iamdiu oppugnatur, Ecclesia sibi asserere itemque publice exercere numquam desiit, primis omnium pro ea propugnantibus Apostolis, qui cum disseminare Evangelium a principibus Synagogae prohiberentur, constanter respondebant, *obedire oportet Deo magis, quam hominibus* (8). Eamdem sancti Ecclesiae Patres rationum mo-

(1) Matth. XVI, 19.
(2) Ioan. XXI, 16 17.
(3) Luc. XXII, 32.
(4) Matth. XXVIII. 18-19 20.
(5) Matth. XVIII, 17.
(6) II Cor. X, 6.
(7) II Cor. XIII, 10.
(8) Act. V, 29.

mentis tueri pro opportunitate studuerunt: romanique Pontifices invicta animi constantia adversus oppugnatores vindicare numquam praetermiserunt.—Quin etiam et opinione et re eamdem probarunt ipsi viri principes rerumque publicarum gubernatores, ut qui paciscendo, transigendis negotiis, mittendis vicissimque accipiendis legatis, atque aliorum mutatione officiorum, agere cum Ecclesia tamquam cum suprema potestate legitima consueverunt.—Neque profecto sine singulari providentis Dei consilio factum esse censendum est, ut haec ipsa potestas principatu civili, velut optima libertatis suae tutela, muniretur.

Itaque Deus generis procurationem inter duas potestates partitus est, scilicet ecclesiasticam et civilem, alteram quidem divinis, alteram humanis rebus praepositam. Utraque est in suo genere maxima: habet utraque certos, quibus contineatur, terminos, eosque sua cuiusque naturâ caussâque proxima definitos; unde aliquis velut orbis circumscribitur, in quo sua cuiusque actio iure proprio versetur. Sed quia utriusque imperium est in eosdem, cum usuvenire possit, ut res una atque eadem, quamquam aliter atque aliter, sed tamen eadem res ad utriusque ius iudiciumque pertineat, debet providentissimus Deus, a quo sunt ambae constitutae, utriusque itinera recte atque ordine composuisse. *Quae autem sunt a Deo ordinatae sunt* (1). Quod ni ita esset, funestarum saepe contentionum concertationumque caussae nascerentur; nec raro sollicitus animi, velut in via ancipiti, haerere homo deberet, anxius quid facto opus esset, contrario iubentibus binis potestatibus, quarum recusare imperium, salvo officio, non potest. Atqui maxime istud repugnat de sapientia cogitare et bonitate Dei, qui vel in rebus physicis, quamquam sunt longe inferioris ordinis, tamen naturales vires caussasque invicem conciliavit moderata ratione et quodam velut concentu mirabili, ita ut nulla earum impediat ceteras, cunctaeque simul illuc, quo mundus spectat, convenienter aptissimeque conspirent.—Itaque inter utramque potestatem quaedam intercedat necesse est ordinata colligatio; quae quidem coniunctioni non immerito comparatur, per quam anima et corpus in homine copulantur. Qualis autem et quanta ea sit, aliter indicari non potest, nisi respiciendo, uti diximus, ad utriusque naturam, habendâque ratione excellentiae et nobilitatis caussarum; cum alteri proxime maximeque propositum sit rerum mortalium curare commoda, alteri coelestia ac sempiterna bona comparare.—Quidquid igitur est in rebus humanis quoquo modo sacrum, quidquid ad salutem animarum cultumve Dei pertinet, sive tale illud si natura sua, sive rursus tale intelliga-

(1) Rom. XIII, 1.

tur propter caussam ad quam refertur, id est omne in potestate arbitrioque Ecclesiae: cetera vero, quae civile et politicum genus complectitur, rectum est civili auctoritati esse subiecta, cum Iesus Christus iusserit, quae Caesaris sint, reddi Caesari, quae Dei, Deo.—Incidunt autem quandoque tempora, cum alius quoque concordiae modus ad tranquillam libertatem valet, nimirum si qui principes rerum publicarum et Pontifex romanus de re aliqua separata in idem placitum consenserint. Quibus Ecclesia temporibus maternae pietatis eximia documenta praebet, cum facilitatis indulgentiaeque tantum adhibere soleat, quantum maxime potest.

Eiusmodi est, quam summatim attigimus, civilis hominum societatis christiana temperatio, et haec non temere neque ad libidinem ficta sed ex maximis ducta verissimisque principiis, quae ipsa naturali ratione confirmantur.

Talis autem conformatio reipublicae nihil habet, quod possit aut minus videri dignum amplitudine principum, aut parum decorum: tantumque abest, ut iura maiestatis imminuat ut potius stabiliora atque augustiora faciat. Immo, si altius consideretur, habet illa conformatio perfectionem quamdam magnam, qua carent caeteri rerum publicarum modi: ex eâque fructus essent sane excellentes et varii consecuturi, si modo suum partes singulae gradum tenerent, atque illud integre efficerent, cui unaquaeque praeposita est, officium et munus.—Revera in ea, quam ante diximus, constitutione reipublicae, sunt quidem divina atque humana convenienti ordine partita: incolumia civium iura, eademque divinarum, naturalium, humanarumque legum patrocinio defensa: officiorum singulorum cum sapienter constituta descriptio, tum opportune sancita custodia. Singuli homines in hoc ad sempiternam illam civitatem dubio laboriosoque curriculo sibi sciunt praesto esse, quos tuto sequantur ad ingrediendum duces, ad perveniendum adiutores; pariterque intelligunt sibi alios esse ad securitatem, ad fortunas, ad commoda caetera, quibus communis haec vita constant, vel parienda vel conservanda datos.—Societas domestica eam, quam par est, firmitudinem adipiscitur ex unius atque individui sanctitate coniugii iura officiaque inter coniuges sapienti iustitia et aequitate reguntur; debitum conservatur mulieri decus: auctoritas viri ad exemplum est auctoritatis Dei conformata: temperata patria potestas convenienter dignitati uxoris prolisque: denique liberorum tuitioni, commodis, institutioni optime consulitur.—In genere rerum politico et civili, leges spectant commune bonum, neque voluntate iudicioque fallaci multitudinis, sed veritate iustitiaque diriguntur: auctoritas principum sanctitudinem quamdam induit humana maiorem, continetque ne decli-

net a iustitia, nec modum in imperando transiliat: obedientia civium habet honestatem dignitatemque comitem, quia non est hominis ad hominem servitus, sed obtemperatio voluntati Dei, regnum per homines exercentis. Quo cognito ac persuaso, omnino ad iustitiam pertinere illa intelliguntur, vereri maiestatem principum, subesse constanter et fideliter potestati publicae, nihil seditiose facere, sanctam servare disciplinam civitatis.—Similiter ponitur in officiis charitas mutua, benignitas, liberalitas: non distrahitur in contrarias partes, pugnantibus inter se praeceptis, civis idem et christianus: denique amplissima bona, quibus mortalem quoque hominum vitam christiana religio sua sponte explet, communitati societatique civili omnia quaeruntur: ità ut illud appareat verissime dictum, "pendet a religione, qua Deus colitur, rei publicae status: multaque inter hunc et illam „cognatio et familiaritas intercedit.„ (1) Eorum vim bonorum mirabiliter, uti solet, persecutus est Augustinus pluribus locis, maxime vero ubi Eclesiam catholicam appellat iis verbis: "Tu pueriliter pueros, fortiter iuvenes, quiete senes, „prout cuiusque non corporis tantum, sed et animi aetas est, „exerces ac doces. Tu feminas viris suis non ad explendam „libidinem, sed ad propagandam prolem, et ad rei familiaris „societatem, casta et fideli obedientia subiicis. Tu viros coniugibus, non ad illudendum imbecilliorem sexum, sed sinceri amoris legibus praeficis. Tu parentibus filios libera „quadam servitute subiungis, parentes filiis pia dominatione „praeponis... Tu cives civibus, tu gentes gentibus, et prorsus homines primorum parentum recordatione, non societate tantum, sed quadam etiam fraternitate coniungis. Doces reges prospicere populis, mones populos se subdere „regibus. Quibus honor debeatur, quibus affectus, quibus „reverentia, quibus timor, quibus consolatio, quibus admonitio, quibus cohortatio, quibus disciplina, quibus obiurgatio, quibus supplicium, sedulo doces, ostendens quemadmodum et non omnibus omnia, et omnibus charitas et nulli „debeatur iniuria.„ (2) Idemque alio loco male sapientes reprehendens politicos philosophos: "Qui doctrinam Christi „adversam dicunt esse reipublicae, dent exercitum talem, „quales doctrina Christi esse milites jussit, dent tales provinciales, tales maritos, tales coniuges, tales parentes, tales filios, tales dominos, tales servos, tales reges, tales iudices, „tales denique debitorum ipsius fisci redditores et exactores, „quales esse praecipit doctrina christiana, et audeant eam „dicere adversam esse reipublicae, immo vero non dubitent

(1) Sacr. Imp. ad Cyrillum Alexand. et Episcopos metrop.— Cfr. Labbeum Collect. Conc. T. III.
(2) De moribus Eccl. cath., cap. XXX, n. 63.

„eam confiteri magnam, si obtemperetur, salutem esse rei- „publicae.„ (1),

Fuit aliquando tempus, cum evangelica philosophia gubernaret civitates: quo tempore christianae sapientiae vis illa et divina virtus in leges, instituta, mores populorum, in omnes reipublicae ordines rationesque penetraverat: cum religio per Iesum Christum instituta in eo, quo aequum erat, dignitatis gradu firmiter collocata, gratia principum legitimâque magistratuum tutelâ ubique floreret: cum sacerdotium atque imperium concordia et amica officiorum vicissitudo auspicato coniungeret. Eoque modo composita civitas fructus tulit omni opinione maiores, quorum viget memoria et vigebit innumerabilibus rerum gestarum consignata monumentis, quae nulla adversariorum arte corrumpi aut obscurari possunt.—Quod Europa christiana barbaras gentes edomuit,easque a feritate ad mansuetudinem, a superstitione ad veritatem traduxit: quod Maomethanorum incursiones victrix propulsavit; quod civilis cultus principatum retinuit, et ad omne decus humanitatis ducem se magistramque praebere ceteris consuevit: quod germanam libertatem eamque multiplicem gratificata populis est: quod complura ad miseriarum solatium sapientissime instituit, sine controversia magnam debet gratiam religioni, quam ad tantas res suscipiendas habuit auspicem, ad perficiendas adiutricem.—Mansissent profecto eadem bona, si utriusque potestatis concordia mansisset: maioraque exspectari iure poterant, si auctoritati, si magisterio, si consiliis Ecclesiae maiore esset cum fide perseverantiaque obtemperatum. Illud enim perpetuae legis instar habendum est, quod Ivo Carnotensis ad Paschalem II Pontificem maximum perscripsit, "cum regnum et sacerdo- „tium inter se conveniunt, bene regitur mundus, floret et „fructificat Ecclesia. Cum vero inter se discordant, non tan- „tum parvae res non crescunt, sed etiam magnae res misera- „biliter dilabuntur.„ (2)

Sed perniciosa illa ac deploranda rerum novarum studia, quae saeculo XVI excitata sunt, cum primum religionem christianam miscuissent, mox naturali quodam itinere ad philosophiam, a philosophia ad omnes civilis communitatis ordines pervenerunt. Ex hoc velut fonte repetenda illa recentiora effrenatae libertatis capita, nimirum in maximis perturbationibus superiore saeculo excogitata in medioque proposita, perinde ac principia et fundamenta *novis iuris,* quod et fuit antea ignotum, et a iure non solum christiano, sed etiam naturali plus una ex parte discrepat.—Eorum prin-

---

(1) Epist. CXXXVIII (al. 5.) ad Marcellinum, cap. II, n. 15.
(2) Ep. CCXXXVIII.

cipiorum illud est maximum, omnes homines, quemadmodum genere naturâque similes intelliguntur, ita reapse esse in actione vitae inter se pares: unumquemque ita esse sui iuris, ut nullo modo sit alterius auctoritati obnoxius: cogitare de re qualibet quae velit, agere quod lubeat, libere posse: imperandi aliis ius esse in nemine. His informata disciplinis societate, principatus non est nisi populi voluntas, qui, ut in sui ipsius unice est potestate, ita sibimetipsi solus imperat: deligit autem, quibus se committat, ita tamen ut imperii non tam ius, quam munus in eos transferat, idque suo nomine exercendum. In silentio iacet dominatio divina, non secus ac vel Deus aut nullus esset, aut humani generis societatem nihil curaret; vel homines sive singuli sive sociati nihil Deo deberent, vel principatus cogitari posset ullus, cuius non in Deo ipso causa et vis et auctoritas tota resideat. Quo modo, ut perspicitur, est respublica nihil aliud nisi magistra et gubernatrix sui multitudo: cumque populus omnium iurium omnisque potestatis fontem in se ipse continere dicatur, consequens erit, ut nulla ratione officii obligatam Deo se civitas putet; ut religionem publice profiteatur nullam; nec debeat ex pluribus quae vera sola sit, quaerere, nec unam quamdam ceteris anteponere, nec uni maxime favere, sed singulis generibus aequabilitatem iuris tribuere ad eum finem, dum disciplina reipublicae ne quid ab illis detrimenti capiat. Consentaneum erit, iudicio singulorum permittere omnem de religione quaestionem; licere cuique aut sequi quam ipse malit, aut omnino nullam, si nullam probet. Hinc profecto illa nascuntur; exlex uniuscuiusque conscientiae iudicium; liberrimae de Deo colendo, de non colendo, sententiae; infinita tum cogitandi, tum cogitata publicandi licentia.

His autem positis, quae maxime probantur hoc tempore, fundamentis reipublicae, facile apparet, quem in locum quamque iniquum compellatur Ecclesia.—Nam ubi cum eiusmodi doctrinis actio rerum consentiat, nomini catholico par cum societatibus ab eo alienis vel etiam inferior locus in civitate tribuitur: legum ecclesiasticarum nulla habetur ratio: Ecclesia, quae iussu mandatoque Iesu Christi docere omnes gentes debet, publicam populi institutionem iubetur nihil attingere.—De ipsis rebus, quae sunt mixti iuris, per se statuunt gubernatores rei civilis arbitratu suo, in eoque genere sanctissimas Ecclesiae leges superbe contemnunt. Quare ad iurisdictionem suam trahunt matrimonia christianorum, decernendo etiam de maritali vinculo, de unitate, de stabilitate coniugii: movent possessiones clericorum, quod res suas Ecclesiam tenere posse negant. Ad summam, sic agunt cum Ecclesia, ut societatis perfectae genere et iuribus opinione detractis, plane similem habeant ceterarum communitatum, quas respublica continet: ob eamque rem si quid illa

iuris, si quid possidet facultatis ad agendum legitimae, possidere dicitur concessu beneficioque principum civitatis.—Si qua vero in republica suum Ecclesia ius, ipsis civilibus legibus probantibus, teneat, publiceque inter utramque potestatem pactio aliqua facta sit, principio clamant, dissociari Ecclesiae rationes a reipublicae rationibus oportere; idque eo consilio, ut facere contra interpositam fidem impune liceat, omniumque rerum habere, remotis impedimentis, arbitrium.—Id vero cum patienter ferre Ecclesia non possit, neque enim potest officia deserere sanctissima et maxima, omninoque postulet, ut obligata sibi fides integre religioseque solvatur, saepe sacram inter ac civilem potestatem dimicationes nascuntur, quarum ille ferme est exitus, alteram, ut quae minus est opibus humanis valida, alteri ut validiori succumbere.

Ita Ecclesiam, in hoc rerum publicarum statu, qui nunc a plerisque adamatur, mos et voluntas est, aut prorsus de medio pellere, aut vinctam adstrictamque imperio tenere. Quae publice aguntur, eo consilio magnam partem aguntur. Leges, administratio civitatum, expers religionis adolescentium institutio, spoliatio excidiumque ordinum religiosorum, eversio principatus civilis Pontificum romanorum, huc spectant omnia, incidere nervos institutorum christianorum, Ecclesiaeque catholicae et libertatem in angustum deducere, et iura cetera comminuere.

Eiusmodi de regenda civitate sententias ipsa naturalis ratio convincit, a veritate dissidere plurimum.—Quidquid enim potestatis usquam est, a Deo tamquam maximo augustissimoque fonte proficisci, ipsa natura testatur. Imperium autem populare, quod, nullo ad Deum respectu, in multitudine inesse naturâ dicitur, si praeclare ad suppeditandum valet blandimenta et flammas multarum cupiditatum, nulla quidem nititur ratione probabili, neque satis habere virium potest ad securitatem publicam quietamque ordinis constantiam. Revera his doctrinis res inclinavere usque eo, ut haec a pluribus tamquam lex in civili prudentia sanciatur, seditiones posse iure conflari. Valet enim opinio, nihilo principes pluris esse, quam delectos quosdam, qui voluntatem popularem exequantur: ex quo fit, quod necesse est, ut omnia sint pariter cum populi arbitrio mutabilia, et timor aliquis turbarum semper impendeat.

De religione autem putare, nihil inter formas dispares et contrarias interesse, hunc plane habet exitum, nolle ullam probare iudicio, nolle usu. Atqui istud ab atheismo, si nomine aliquid differt, re nihil differt. Quibus enim Deum esse persuasum est, ii, modo constare sibi nec esse perabsurdi velint, necesario intelligunt, usitatas in cultu divino rationes, quarum tanta est differentia maximisque etiam de

rebus dissimilitudo et pugna, aeque probabiles, aeque bonas, aeque Deo acceptas esse omnes non posse.

Sic illa quidlibet sentiendi litterarumque formis quidlibet exprimendi facultas, omni moderatione posthabita, non quoddam est propria vi sua bonum, quo societas humana iure laetetur; sed multorum malorum fons et origo.—Libertas, ut quae virtus est hominem perficiens, debet in eo quod verum sit, quodque bonum, versari: boni autem verique ratio mutari ad hominis arbitrium non potest, sed manet semper eadem, neque minus est, quam ipsa rerum natura, incommutabilis. Si mens adsentiatur opinionibus falsis, si malum voluntas adsumat et ad id se applicet, perfectionem sui neutra consequitur, sed excidunt dignitate naturali et in corruptelam ambae delabuntur. Quaecumque sunt igitur virtuti veritatique contraria, ea in luce atque in oculis hominum ponere non est aequum: gratia tutelâve legum defendere, multo minus. Sola bene acta vita via est in coelum, quo tendimus universi: ob eamque rem aberrat civitas a regula et praescriptione naturae, si licentiam opinionum praveque factorum in tantum lascivire sinat, ut impune liceat mentes a veritate, animos a virtute deducere.—Ecclesiam vero, quam Deus ipse constituit, ab actione vitae excludere, a legibus, ab institutione adolescentium, a societate domestica, magnus et perniciosus est error. Bene morata civitas esse, sublata religione, non potest: iamque plus fortasse, quam oporteret, est cognitum, qualis in se sit et quorsum pertineat illa de vita et moribus philosophia, quam *civilem* nominant. Vera est magistra virtutis et custos morum Ecclesia Christi, ea est, quae incolumia tuetur principia, unde officia ducuntur, propositisque caussis ad honeste vivendum efficacissimis, iubet non solum fugere prave facta, sed regere motus animi rationi contrarios etiam sine effectu.—Ecclesiam vero in suorum officiorum munere potestati civili velle esse subiectam, magna quidem iniuria, magna temeritas est. Hoc facto perturbatur ordo, quia quae naturalia sunt praeponuntur iis, quae sunt supra naturam: tollitur aut certe magnopere minuitur frequentia bonorum, quibus, si nulla re impediretur, communem vitam Ecclesia compleret: praetereaque via ad inimicitias munitur et certamina, quae quantam utrique reipublicae perniciem afferant, nimis saepe eventus demonstravit.

Huiusmodi doctrinas, quae nec humanae rationi probantur, et plurimum habent in civilem disciplinam momenti, romani Pontifices decessores Nostri, cum probe intelligerent quid a se postularet apostolicum munus, impune abire nequaquam passi sunt. Sic Gregorius XVI per Encyclicas litteras hoc initio *Mirari vos* die XV Augusti anno MDCCCXXXII, magna sententiarum gravitate ea

perculit, quae iam praedicabantur, in cultu divino nullum adhibere delectum oportere: integrum singulis esse, quod malint, de religione iudicare: solam cuique suam esse conscientiam iudicem: praeterea edere quae quisque senserit, itemque res moliri novas in civitate licere. De rationibus rei sacrae reique civilis distrahendis sic idem Pontifex: "Neque laetiora et religioni et principatui ominari possemus ex eorum votis, qui Ecclesiam a regno separari, mutuamque imperii cum sacerdotio concordiam abrumpi discupiunt. Constat quippe, pertimesci ab impudentissimae libertatis amatoribus concordiam illam, quae semper rei et sacrae et civili fausta extitit et salutaris."—Non absimili modo Pius IX, ut sese opportunitas dedit, ex opinionibus falsis, quae maxime valere coepissent, plures notavit, easdemque postea in unum cogi iussit, ut scilicet in tanta errorum colluvione haberent catholici homines, quod sine offensione sequerentur (1).

Ex iis autem Pontificum praescriptis illa omnino intelligi necesse est, ortum publicae potestatis a Deo ipso, non a multitudine repeti oportere: seditionum licentiam cum ratione pugnare: officia religionis nullo loco numerare, vel uno modo esse in disparibus generibus affectos, nefas esse privatis hominibus, nefas civitatibus: immoderatam sentiendi sensusque palam iactandi potestatem non esse in civium iuribus neque in rebus gratia patrocinioque dignis ulla ratione ponendam.—Similiter intelligi debet, Ecclesiam societatem esse, non minus quam ipsam civitatem, genere et iure perfectam: neque debere, qui summam imperii teneant, committere ut sibi servire aut subesse Ecclesiam cogant, aut minus esse sinant ad suas res agendas liberam, aut quidquam de ceteris iuribus detrahant, quae in ipsam a Iesu Christo collata sunt.—In negotiis autem mixti iuris, maxime esse secundum naturam itemque secundum Dei consilia non secessionem alterius potestatis ab altera, multoque mi-

---

(1) Earum nonnullas indicare sufficiat:

Próp. XIX.—Ecclesia non est vera perfectaque societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus iuribus sibi a divino suo Fundatore collatis, sed civilis potestatis est definire quae sint Ecclesiae iura ac limites, intra quos eadem iura exercere queat.

Prop. XXXIX.—Reipublicae Status, utpote omnium iurium origo et fons, iure quodam pollet nullis circumscripto limitibus.

Prop. LV.—Ecclesia a Statu, Statusque ab Ecclesia seiungendus est.

Prop. LXXIX.—... Falsum est civilem cuiusque cultus libertatem, itemque plenam potestatem omnibus attributam quaslibet opiniones cogitationesque palam publiceque manifestandi, conducere ad populorum mores animosque facilius corrumpendos, ac indifferentismi pestem propagandam.

nus contentionem, sed plane concordiam, eamque cum causis proximis congruentem, quae causae utramque societatem genuerunt.

Haec quidem sunt, quae de constituendis temperandisque civitatibus ab Ecclesia catholica praecipiuntur.—Quibus tamen dictis decretisque si recte diiudicari velit, nulla per se reprehenditur ex variis reipublicae formis, ut quae nihil habent, quod doctrinae catholicae repugnet, eaedemque possunt, si sapienter adhibeantur et iuste, in optimo statu tueri civitatem.—Immo neque illud per se reprehenditur, participem plus minus esse populum reipublicae: quod ipsum certis in temporibus certisque legibus potest non solum ad utilitatem, sed etiam ad officium pertinere civium.—Insuper neque causa iusta nascitur, cur Ecclesiam quisquam criminetur, aut esse in lenitate facilitateque plus aequo restrictam, aut ei, quae germana et legitima sit, libertati inimicam.—Revera si divini cultus varia genera eodem iure esse, quo veram religionem, Ecclesia iudicat non licere, non ideo tamen eos damnat rerum publicarum moderatores, qui, magni alicuius aut adipiscendi boni, aut prohibendi causa mali, moribus atque usu patienter ferunt, ut ea habeant singula in civitate locum.—Atque illud quoque magnopere cavere Ecclesia solet ut ad amplexandam fidem catholicam nemo invitus cogatur, quia, quod sapienter Augustinus monet, *credere non potest homo nisi volens* (1).

Simili ratione nec potest Ecclesia libertatem probare eam, quae fastidium gignat sanctisimarum Dei legum, debitamque potestati legitimae obedientiam exuat. Est enim licentia verius, quam libertas; rectisimeque ab Augustino *libertas perditionis* (2), a Petro Apostolo *velamen malitiae* (3) appellatur: immo, cum sit praeter rationem, vera servitus est: *qui* enim *facit peccatum, servus est peccati* (4). Contra illa germana est atque expetenda libertas, quae si privatim spectetur, erroribus et cupiditatibus, teterrimis dominis, hominem servire non sinit: si publice, civibus sapienter praeest, facultatem augendorum commodorum large ministrat: remque publicam ab alieno arbitrio defendit.—Atqui honestam hanc et homine dignam libertatem, Ecclesia probat omnium maxime, eamque ut tueretur in populis firmam atque integram, eniti et contendere numquam destitit.—Revera quae res in civitate plurimum ad communem salutem possunt: quae sunt contra licentiam principum populo male consulentium utiliter institutae: quae summam rempublicam ve-

(1) Tract. XXVI in Joan., n. 2.
(2) Epist. CV. ad Donatistas, cap. II, n. 9.
(3) I Petr. II 16.
(4) Ioan. VIII, 34.

tant in municipalem, vel domesticam rem importunius invadere: quae valent ad decus, ad personam hominis, ad aequabilitatem iuris in singulis civibus conservandam, earum rerum omnium Ecclesiam catholicam vel inventricem, vel auspicem, vel custodem semper fuisse, superiorum aetatum monumenta testantur. Sibi igitur perpetuo consentiens, si ex altera parte libertatem respuit immodicam, quae et privatis et populis in licentiam vel in servitutem cadit, ex altera volens et libens amplectitur res meliores, quas dies afferat, si vere prosperitatem contineant huius vitae, quae quoddam est velut stadium ad alteram eamque perpetuo mansuram.—Ergo quod inquiunt, Ecclesiam recentioris civitatum invidere disciplinae, et quaecumque horum temporum ingenium peperit, omnia promiscue repudiare, inanis est et ieiuna calumnia. Insaniam quidem repudiat opinionum: improbat nefaria seditionum studia, illumque nominatim habitum animorum, in quo initia perspiciuntur voluntarii discessus a Deo: sed quia omne, quod verum est, a Deo proficisci necesse est, quidquid, indagando, veri attingatur, agnoscit Ecclesia velut quoddam divinae mentis vestigium. Cumque nihil sit in rerum natura veri, quod doctrinis divinitus traditis fidem abroget, multa quae adrogent, omnisque possit inventio veri ad Deum ipsum vel cognoscendum vel laudandum impellere, idcirco quidquid accedat ad scientiarum fines proferendos, gaudente et libente Ecclesia semper accedet: eademque studiose, ut solet, sicut alias disciplinas, ita illas etiam fovebit ac provehet, quae positae sunt in explicatione naturae. Quibus in studiis, non adversatur Ecclesia si quid mens repererit novi: non repugnat quin plura quaerantur ad decus commoditatemque vitae: immo inertiae desidiaeque inimica magnopere vult ut hominum ingenia uberes ferant exercitatione et cultura fructus: incitamenta praebet ad omne genus artium atque operum: omniaque harum rerum studia ad honestatem salutemque virtute sua dirigens, impedire nititur, quominus a Deo bonisque coelestibus sua hominem intelligentia atque industria deflectat.

Sed haec, tametsi plena rationis et consilii, minus probantur hoc tempore, cum civitates non modo recusant sese ad christianae sapientiae referre formam, sed etiam videntur quotidie longius ab ea velle discedere.—Nihilominus quia in lucem prolata veritas solet sua sponte late fluere hominumque mentes sensim pervadere, idcirco Nos conscientia maximi sanctissimique officii, hoc est Apostolica, qua fungimur ad gentes universas, legatione permoti, ea quae vera sunt, libere, ut debemus, eloquimur: non quod non perspectam habeamus rationem temporum, aut repudianda aetatis nostrae honesta atque utilia incrementa pu-

temus, sed quod rerum publicarum tutiora ab offensionibus itinera ac firmiora fundamenta vellemus: idque incolumi populorum germana libertate; in hominibus enim mater et custos optima libertatis veritas est: *veritas liberabit vos* (1).

Itaque in tam difficili rerum cursu, catholici hominis, si Nos, ut oportet, audierint, facile videbunt quae sua cuiusque sint tam in *opinionibus,* quam in *factis* officia.—Et in opinando quidem, quaecumque Pontifices romani tradiderint vel traditari sunt, singula necesse est et tenere iudicio stabili comprehensa, et palam, quoties res postulaverit, profiteri. Ac nominatim de iis, quas *libertates* vocant novissimo tempore quaesitas, oportet Apostolicae Sedis stare iudicio, et quod ipsa senserit, idem sentire singulos. Cavendum, ne quem fallat honesta illarum species: cogitandumque quibus ortae initis et quibus passim sustententur atque alantur studiis. Satis iam est experiendo cognitum, quarum illae rerum effectrices sint in civitate: eos quippe passim genuere fructus, quorum probos viros et sapientes iure poeniteat.—Si talis alicubi aut reapse sit, aut fingatur cogitatione civitas quae christianum nomen insectetur proterve et tyrannice, cum eâque conferatur genus id reipublicae recens, de quo loquimur, poterit hoc videri tolerabilius. Principia tamen, quibus nititur, sunt profecto eiusmodi, sicut ante diximus, ut per se ipsa probari nemini debeant.

Potest autem aut in privatis domesticisque rebus, aut in publicis actio versari.—Privatim quidem primum officium est praeceptis evangelicis diligentissime conformare vitam et mores, nec recusare si quid christiana virtus exigat ad patiendum tolerandumque paulo difficilius. Debent praeterea singuli Ecclesiam sic diligere, ut communem matrem: eiusque et servare obedienter leges, et honori servire, et iura salva velle: conarique, ut ab iis, in quos quisque aliquid auctoritate potest, pari pietate colatur atque ametur.—Illud etiam publicae salutis interest, ad rerum urbanarum administrationem conferre sapienter operam: in eâque studere maxime et efficere, ut adolescentibus ad religionem, ad probos mores informandis ea ratione, qua aequum est christianis, publice consultum sit: quibus ex rebus magnopere pendet singularum salus civitatum.—Item catholicorum hominum operam ex hoc tamquam angustiore campo longius excurrere, ipsamque summam rempublicam complecti, generatim utile est atque honestum. *Generatim* eo dicimus, quia haec praecepta Nostra gentes universas attingunt. Ceterum potest alicubi accidere, ut, maximis iustissimisque de causis, rempublicam capessere, in muneribusque politicis versari, nequaquam expediat.

(1) Ioan. VIII, 32.

Sed generatim, ut diximus, nullam velle rerum publicarum partem attingere tam esset in vitio, quam nihil ad communem utilitatem afferre studii, nihil operae; eo vel magis quod catholici homines ipsius, quam profitentur, admonitione doctrinae, ad rem integre et ex fide gerendam impelluntur. Contra, ipsis otiosis, facile habenas accepturi sunt ii, quorum opiniones spem salutis haud sane magnam afferant. Idque esset etiam cum pernicie coniunctum christiani nominis; propterea quod plurimum possent qui male essent in Ecclesiam animati; minimum, qui bene. Quamobrem perspicuum est, ad rempublicam adeundi causam esse iustam catolicis: non enim adeunt, neque adire debent ob eam causam, ut probent quod est hoc tempore in rerum publicarum rationibus non honestum; sed ut has ipsas rationes, quoad fieri potest, in bonum publicum transferant sincerum atque verum, destinatum animo habentes, sapientiam virtutemque catholicae religionis, tamquam saluberrimum succum ac sanguinem, in omnes reipublicae venas inducere. Haud aliter actum in primis Ecclesiae aetatibus. Mores enim et studia ethnicorum quam longissime a studiis abhorrebant moribusque evangelicis: christianos tamen cernere erat in media superstitione incorruptos semperque sui similes animose, quacumque daretur aditus, inferre sese. Fideles in exemplum principibus, obedientesque, quoad fas esset, imperio legum, fundebant mirificum splendorem sanctitatis usquequaque; prodesse studebant fratribus, vocare ceteros ad sapientiam Christi, cedere tamen loco atque emori fortiter parati, si honores, si magistratus, si imperia retinere, incolumi virtute, nequivissent. Qua ratione celeriter instituta christiana non modo in privatas domos, sed in castra, in curiam, in ipsam regiam invexere. "Hesterni sumus, et vestra omnia implevimus, „urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra „ipsa, tribus, decurias, palatium, Senatum, forum (1):„ ita ut fides christiana, cum Evangelium publice profiteri lege licuit, non in cunis vagiens, sed adulta et iam satis firma in magna civitatum parte apparuerit.

Iamvero his temporibus consentaneum est, haec maiorum exempla renovari.—Catholicos quidem, quotquot digni sunt eo nomine, primum omnium necesse est amantissimos Ecclesiae filios et esse et videri velle: quae res nequeant cum hac laude consistere, eas sine cunctatione respuere: institutis populorum, quantum honeste fieri potest, ad veritatis iustitiaeque patrocinium uti: elaborare, ut constitutum naturae Deique lege modum libertas agendi ne transiliat: dare operam ut ad eam, quam diximus, christianam similitudi-

(1) Tertull. Apol. n. 37.

nem et formam omnis respublica traducatur.—Harum rerum adipiscendarum ratio constitui uno certoque modo haud commode potest, cum debeat singulis locis temporibusque, quae sunt multum inter se disparia, convenire. Nihilominus conservanda in primis est voluntatum concordia, quaerendaque agendorum similitudo. Atque optime utrumque impetrabitur, si praescripta Sedis Apostolicae legem vitae singuli putent, atque Episcopis obtemperent, quos *Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei* (1). — Defensio quidem catholici nominis necessario postulat ut in profitendis doctrinis, quae ab Ecclesia traduntur, una sit omnium sententia, et summa constantia, et hac ex parte cavendum ne quis opinionibus falsis aut ullo modo conniveat, aut mellius resistat, quam veritas patiatur. De iis quae sunt opinabilia, licebit cum moderatione studioque indagandae veritatis disputare, procul tamen suspicionibus iniuriosis, criminationibusque mutuis.—Quam ad rem ne animorum coniunctio criminandi temeritate dirimatur, sic intelligant universi: integritatem professionis catholicae consistere nequaquam posse cum opinionibus ad *naturalismum vel rationalismum* accedentibus, quarum summa est tollere funditus instituta christiana, hominisque stabilire in societate principatum, posthabito Deo.—Pariter non licere aliam officii formam privatim sequi, aliam publice, ita scilicet ut Ecclesiae auctoritas in vita privata observetur, in publica respuatur. Hoc enim esset honesta et turpia coniungere, hominemque secum facere digladiantem, cum contra debeat sibi semper constare, neque ulla in re ullove in genere vitae à virtute christiana deficere.—Verum si quaeratur de rationibus mere politicis, de optimo genere reipublicae, de ordinandis alia vel alia ratione civitatibus, utique de his rebus potest honesta esse dissentio. Quorum igitur cognita ceteroqui pietas est, animusque decreta Sedis Apostolicae obedienter accipere paratus, iis vitio verti dissentaneam de rebus, quas diximus, sententiam iustitia non patitur: multoque est maior iniuria, si in crimen violatae suspectaeve fidei catholicae, quod non semel factum dolemus adducantur. — Omninoque istud praeceptum teneant qui cogitationes suas solent mandare litteris, maximeque ephemeridum auctores. In hac quidem de rebus maximis contentione nihil est intestinis concertationibus, vel partium studiis relinquendum loci, sed conspirantibus animis studiisque id debent universi contendere, quod est commune omnium propositum, religionem remque publicam conservare. Si quid igitur dissidiorum antea fuit, oportet voluntaria quadam oblivione conterere:

(1) Act. XX, 28.

si quid temere, si quid iniuria actum, ad quosqumque demum ea culpa pertineat, compensandum est charitate mutua, et praecipuo quodam omnium in Apostolicam Sedem obsequio redimendum.—Hac via duas res praeclarissimas catholici consecuturi sunt, alteram ut adiutores sese impertiant Ecclesiae in conservanda propagandaque sapientia christiana: alteram ut beneficio maximo afficiant societatem civilem, cuius, malarum doctrinarum cupiditatumque causa, magnopere periclitatur salus.

Haec quidem, Venerabiles Fratres, habuimus, quae universis catholici orbis gentibus traderemus de civitatum constitutione christiana, officiisque civium singulorum.

Ceterum implorare summis precibus oportet coeleste praesidium, orandusque Deus, ut haec, quae ad ipsius gloriam communemque humani generis salutem cupimus et conamur, optatos ad exitus idem Ipse perducat, cuius est illustrare hominum mentes, permovere voluntates.—Divinorum autem beneficiorum auspicem, et paternae benevolentiae Nostrae testem vobis, Venerabiles Fratres, et Clero populoque universo vestrae fidei vigilantiaeque commisso Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die I Novembris anno MDCCCLXXXV, Pontificatus Nostri Anno octavo.

LEO PP. XIII.

APPENDIX IV

Concordatum anno 1851 a Romano Pontifice Pio IX

CUM HISPANIAE REGINA INITUM (1).

Deseando vivamente Su Santidad el Sumo Pontífice Pío IX proveer al bien de la religión y á la utilidad de la Iglesia de España con la solicitud pastoral con que atiende á todos los fieles católicos, y con especial benevolencia á la ínclita y devota Nación española: y poseída del mismo deseo Su Majestad la Reina Católica Doña Isabel II por la piedad y sincera adhesión á la Sede Apostólica, heredadas de sus an-

(1) Fué ratificado por S. M. la Reina en 1.º de Abril de 1851, y por Su Santidad en 23 del mismo mes y año.

tecesores, han determinado celebrar un solemne Concordato, en el cual se arreglen todos los negocios eclesiásticos de una manera estable y canónica.

A este fin Su Santidad el Sumo Pontífice ha tenido á bien nombrar por su plenipotenciario al Excmo. Sr. D. Juan Brunelli, arzobispo de Tesalónica, Prelado doméstico de Su Santidad, asistente al Solio pontificio y Nuncio apostólico en los reinos de España con facultad de Legado *á latere*, y S. M. la Reina Católica al Excmo. Sr. D. Manuel Bertrán de Lis, caballero gran cruz de la Real y distinguida Orden española de Carlos III, de la de San Mauricio y San Lázaro de Cerdeña, y de la de Francisco I de Nápoles, Diputado á Cortes, y su Ministro de Estado, quienes después de entregadas mutuamente sus respectivas plenipotencias, y reconocida la autoridad de ellas, han convenido en lo siguiente:

Artículo 1.° La religión católica, apostólica, romana, que con exclusión de cualquiera otro culto continúa siendo la única de la Nación Española, se conservará siempre en los dominios de S. M. Católica con todos los derechos y prerrogativas de que debe de gozar según la ley de Dios y lo dispuesto por los sagrados cánones.

Art. 2.° En su consecuencia, la instrucción en las universidades, colegios, seminarios y escuelas públicas ó privadas de cualquiera clase, será en todo conforme á la doctrina de la misma religión católica; y á este fin no se pondrá impedimento alguno á los obispos y demás prelados diocesanos encargados por su ministerio de velar sobre la pureza de la doctrina, de la fé y de las costumbres, y sobre la educación religiosa de la juventud, en el ejercicio de este cargo, aún en las escuelas públicas.

Art. 3.° Tampoco se pondrá impedimento alguno á dichos prelados ni á los demás sagrados ministros en el ejercicio de sus funciones, ni los molestará nadie bajo ningún pretexto en cuanto se refiere al cumplimiento de los deberes de su cargo; ántes bien cuidarán todas las autoridades del Reino de guardarles y de que se les guarde el respeto y consideración debidos, según los divinos preceptos, y de que no se haga cosa alguna que pueda causarles desdoro ó menosprecio. S. M. y su Real Gobierno dispensará asimismo su poderoso patrocinio y apoyo á los obispos en los casos que se le pidan, principalmente cuando hayan de oponerse á la malignidad de los hombres que intenten pervertir los ánimos de los fieles y corromper sus costumbres, ó cuando hubiere de impedirse la publicación, introducción ó circulación de libros malos y nocivos.

Art. 4.° En todas las demás cosas que pertenecen al derecho y ejercicio de la autoridad eclesiástica y al ministerio de las órdenes sagradas, los obispos y el clero depen-

diente de ellos gozarán de la plena libertad que establecen los sagrados cánones.

Art. 5.° En atención á las poderosas razones de necesidad y conveniencia que así lo persuaden, para la mayor comodidad y utilidad espiritual de los fieles, se hará una nueva división y circunscripción de diócesis en toda la Península é islas adyacentes. Y al efecto se conservarán las actuales sillas metropolitanas de Toledo, Burgos, Granada, Santiago, Sevilla, Tarragona, Valencia y Zaragoza, y se elevará á esta clase la sufragánea de Valladolid.

Asi mismo se conservarán las diócesis sufragáneas de Almería, Astorga, Avila, Badajoz, Barcelona, Cádiz, Calahorra, Canarias, Cartagena, Córdoba, Coria, Cuenca, Gerona, Guadix, Huesca, Jaén, Jaca, León, Lérida, Lugo, Málaga, Mallorca, Menorca, Mondoñedo, Orense, Orihuela, Osma, Oviedo, Palencia, Pamplona, Plasencia, Salamanca, Santander, Segorbe, Segovia, Sigüenza, Tarazona, Teruel, Tortosa, Túy, Urgel, Vich y Zamora.

La diócesis de Albarracín quedará unida á la de Teruel; la de Barbastro á la de Huesca; la de Ceuta á la de Cádiz; la de Ciudad-Rodrigo á la de Salamanca; la de Ibiza á la de Mallorca; la de Solsona á la de Vich; la de Tenerife á la de Canarias, y la de Tudela á la de Pamplona.

Los prelados de las sillas á que se reunen otras añadirán al título de obispos de la iglesia que presiden el de aquella que se les une.

Se erigirán nuevas diócesis sufragáneas en Ciudad Real, Madrid y Vitoria.

La Silla episcopal de Calahorra y la Calzada se trasladará á Logroño, la de Orihuela á Alicante, y la de Segorbe á Castellón de la Plana, cuando en estas ciudades se halle todo dispuesto al efecto y se estime oportuno, oídos los respectivos prelados y cabildos.

En los casos en que para el mejor servicio de alguna diócesis sea necesario un obispo auxiliar, se proveerá á esta necesidad en la forma canónica acostumbrada.

De la misma manera se establecerán vicarios generales en los puntos en que con motivo de la agregación de diócesis prevenida en este artículo, ó por otra justa causa, se creyeren necesarios, oyendo á los respectivos prelados.

En Ceuta y Tenerife se establecerán desde luego obispos auxiliares.

Art. 6.° La distribución de las diócesis referidas, en cuanto á la dependencia de sus respectivas metropolitanas, se hará como sigue:

Serán sufragáneas de la iglesia metropolitana de *Burgos*, las de Calahorra ó Logroño, León, Osma, Palencia, Santander y Vitoria.

De la de *Granada*, las de Almería, Cartagena ó Murcia, Guadix, Jaén y Málaga.

De la de *Santiago*, las de Lugo, Mondoñedo, Orense, Oviedo y Túy.

De la de *Sevilla*, las de Badajoz, Cádiz, Córdoba é Islas Canarias.

De la de *Tarragona*, las de Barcelona, Gerona, Lérida, Tortosa, Urgel y Vich.

De la de *Toledo*, las de Ciudad Real, Coria, Cuenca, Madrid, Plasencia y Sigüenza.

De la de *Valencia*, las de Mallorca, Menorca, Orihuela ó Alicante y Segorbe ó Castellón de la Plana.

De la de *Valladolid*, las de Astorga, Avila, Salamanca, Segovia y Zamora.

De la de *Zaragoza*, las de Huesca, Jaca, Pamplona, Tarazona y Teruel.

Art. 7.° Los nuevos límites y demarcación particular de las mencionadas diócesis se determinarán con la posible brevedad y del modo debido *(servatis servandis)* por la Santa Sede, á cuyo efecto delegará en el Nuncio apostólico en estos reinos las facultades necesarias para llevar á cabo la expresada demarcación, entendiéndose para ello *(collatis consiliis)* con el Gobierno de S. M.

Art. 8.° Todos los Rvdos. Obispos y sus iglesias reconocerán la dependencia canónica de los respectivos Metropolitanos, y en su virtud cesarán las exenciones de los obispados de León y Oviedo.

Art. 9.° Siendo por una parte necesario y urgente acudir con el oportuno remedio á los graves inconvenientes que produce en la administración eclesiástica el territorio diseminado de las cuatro Ordenes Militares de Santiago, Calatrava, Alcántara y Montesa, y debiendo por otra parte conservarse cuidadosamente los gloriosos recuerdos de una institución que tantos servicios ha hecho á la Iglesia y al Estado, y las prerrogativas de los Reyes de España como Grandes Maestres de las expresadas Ordenes por concesión Apostólica, se designará en la nueva demarcación eclesiástica un determinado número de pueblos que formen coto redondo, para que ejerza en él como hasta aquí el Gran Maestre la jurisdicción eclesiástica, con entero arreglo á la expresada concesión y Bulas Pontificias.

El nuevo territorio se titulará *Priorato de las Ordenes Militares*, y el Prior tendrá el carácter episcopal con título de iglesia *in partibus*.

Los pueblos que actualmente pertenecen á dichas Ordenes Militares, y no se incluyan en su nuevo territorio, se incorporarán á las diócesis respectivas.

Art. 10. Los M. RR. Arzobispos y RR. Obispos exten-

derán el ejercicio de su autoridad y jurisdicción ordinaria á todo el territorio que en la nueva circunscripción quede comprendido en sus respectivas diócesis; y por consiguiente los que hasta ahora por cualquier título la ejercían en distritos enclavados en otras diócesis cesarán en ella.

ART. 11. Cesarán también todas las jurisdicciones privilegiadas y exentas, cualesquiera que sean su clase y denominación, inclusa la de San Juan de Jerusalén. Sus actuales territorios se reunirán á las respectivas diócesis en la nueva demarcación que se hará de ellas, según el art. 7.º, salvas las exenciones siguientes:

1.ª La del Pro-capellán mayor de S. M.

2.ª La castrense.

3.ª La de las cuatro Ordenes Militares de Santiago, Calatrava, Alcántara y Montesa en los términos prefijados en el art. 9.º de este Concordato.

4.ª La de los Prelados regulares.

5.ª La del Nuncio Apostólico *pro tempore* en la iglesia y hospital de Italianos de esta Corte.

Se conservarán también las facultades especiales que corresponden á la Comisaría general de Cruzada en cosas de su cargo, en virtud del breve de delegación y otras disposiciones apostólicas.

ART. 12. Se suprime la Colecturía general de espolios, vacantes y anualidades, quedando por ahora unida á la Comisaría general de Cruzada la comisión para administrar los efectos vacantes, recaudar los atrasos y sustanciar y terminar los negocios pendientes.

Queda asimismo suprimido el Tribunal apostólico y real de la gracia del Excusado.

ART. 13. El Cabildo de las Iglesias Catedrales se compondrá del Deán que será siempre la primera silla *post pontificalem;* de cuatro Dignidades, á saber: la de Arcipreste, la de Arcediano, la de Chantre y la de Maestrescuela, y además de Tesorero en las Iglesias Metropolitanas; de cuatro Canónigos de oficio, á saber: el Magistral, el Doctoral, el Lectoral y el Penitenciario; y del número de canónigos de gracia que se expresan en el art. 17.

Habrá además en la iglesia de Toledo otras dos Dignidades con los títulos respectivos de Capellán mayor de Reyes y Capellán mayor de Muzárabes; en la de Sevilla la dignidad de Capellán mayor de San Fernando; en la de Granada la de Capellán mayor de los Reyes Católicos, y en la de Oviedo la de Abad de Covadonga.

Todos los individuos del Cabildo tendrán en él igual voz y voto.

ART. 14. Los Prelados podrán convocar el Cabildo y presidirlo cuando lo crean conveniente; del mismo modo

podrán presidir los ejercicios de oposición á prebendas.

En éstos y cualesquiera otros actos, los Prelados tendrán siempre el asiento preferente, sin que obste ningún privilegio ni costumbre en contrario, y se les tributarán todos los homenajes de consideracion y respeto que se deben á su sagrado carácter y á su cualidad de cabeza de su iglesia y Cabildo.

Cuando presidan, tendrán voz y voto en todos los asuntos que no les sean directamente personales, y su voto además será decisivo en caso de empate.

En toda elección ó nombramiento de personas que corresponda al Cabildo tendrá el Prelado tres, cuatro ó cinco votos, según que el número de Capitulares sea de 16, 20 ó mayor de 20. En estos casos, cuando el Prelado no asista al Cabildo, pasará una comisión de él á recibir sus votos.

Cuando el Prelado no presida el Cabildo, lo presidirá el Deán.

Art. 15. Siendo los Cabildos catedrales el Senado y Consejo de los M. RR. Arzobispos y RR. Obispos, serán consultados por éstos para oir su dictamen ó para obtener su consentimiento, en los términos en que, atendida la variedad de los negocios y de los casos, está prevenido por el derecho canónico, y especialmente por el Sagrado Concilio de Trento. Cesará por consiguiente desde luego toda inmunidad, exención, privilegio, uso ó abuso que de cualquier modo se haya introducido en las diferentes iglesias de España en favor de los mismos Cabildos con perjuicio de la autoridad ordinaria de los Prelados.

Art. 16. Además de las Dignidades y Canónigos que componen exclusivamente el Cabildo, habrá en las Iglesias catedrales Beneficiados ó Capellanes asistentes con el correspondiente número de otros ministros y dependientes.

Así las dignidades y canónigos como los beneficiados y capellanes, aunque para el mejor servicio de las respectivas catedrales se hallen divididos en presbiterales, diaconales y subdiaconales, deberán ser todos presbiteros, según lo dispuesto por Su Santidad; y los que no lo fuesen al tomar posesión de sus beneficios, deberán serlo precisamente dentro del año, bajo las penas canónicas.

Art. 17. El número de capitulares y beneficiados en las iglesias metropolitanas será el siguiente:

Las iglesias de Toledo, Sevilla y Zaragoza tendrán 28 capitulares, y 24 beneficiados la de Toledo, 22 la de Sevilla y 28 la de Zaragoza.

Las de Tarragona, Valencia y Santiago 26 capitulares y 20 beneficiados; y las de Burgos, Granada y Valladolid 24 capitulares y 20 beneficiados.

Las iglesias sufragáneas tendrán respectivamente el

número de capitulares y beneficiados que se expresa á continuación:

Las de Barcelona, Cádiz, Córdoba, León, Málaga, Oviedo tendrán 20 capitulares y 16 beneficiados. Las de Badajoz, Calahorra, Cartagena, Cuenca, Jaén, Lugo, Palencia, Pamplona, Salamanca y Santander, 18 capitulares y 14 beneficiados. Las de Almería, Astorga, Avila, Canarias, Ciudad-Real, Coria, Gerona, Guadix, Huesca, Jaca, Lérida, Mallorca, Mondoñedo, Orense, Orihuela, Osma, Plasenscia, Segorbe, Segovia, Sigüenza, Tarazona, Teruel, Tortosa, Túy, Urgel, Vich, Vitoria y Zamora, 16 capitulares y 12 beneficiados.

La de Madrid tendrá 20 capitulares y 20 beneficiados, y la de Menorca 12 capitulares y 10 beneficiados.

Art. 18. En subrogación de los cincuenta y dos beneficiados expresados en el Concordato de 1753 se reservan á la libre provisión de Su Santidad la dignidad de chantre en todas las iglesias metropolitanas y en las sufragáneas de Astorga, Avila, Badajoz, Barcelona, Cádiz, Ciudad-Real, Cuenca, Guadix, Huesca, Jaén, Lugo, Málaga, Mondoñedo, Orihuela, Oviedo, Plasencia, Salamanca, Santander, Sigüenza, Túy, Vitoria y Zamora; y en las demás sufragáneas una canongía de las de gracia, que quedará determinada por la primera provisión que haga Su Santidad. Estos beneficios se conferirán con arreglo al mismo Concordato.

La dignidad de deán se proveerá siempre por Su Majestad en todas las iglesias y en cualquier tiempo y forma que vaque. Las canongías de oficio se proveerán previa oposición por los prelados y cabildos. Las demás dignidades y canongías se proveerán en rigurosa alternativa por Su Majestad y respectivos arzobispos y obispos. Los beneficiados ó capellanes asistentes se nombrarán alternativamente por S. M. y los prelados y cabildos.

Las prebendas, canongías y beneficios expresados que resulten vacantes por resigna ó por promoción del poseedor á otro beneficio, no siendo de los reservados á Su Santidad, serán siempre y en todo caso provistos por S. M.

Asimismo lo serán los que vaquen *sede vacante*, ó los que hayan dejado sin proveer los prelados á quienes correspondía proveerlos al tiempo de su muerte, traslación ó renuncia.

Corresponderá asimismo á S. M. la primera provisión de las dignidades, canongías y capellanías de las nuevas catedrales y de las que se aumenten en la nueva metropolitana de Valladolid, á excepción de las reservadas á Su Santidad y de las canongías de oficio, que se proveerán como de ordinario.

En todo caso los nombrados para los expresados benefi-

cios deberán recibir la institución y colación canónicas de sus respectivos ordinarios.

Art. 19. En atención á que, tanto por efecto de las pasadas vicisitudes, como por razón de las disposiciones del presente Concordato, han variado notablemente las circunstancias del clero español, Su Santidad por su parte y Su Majestad la Reina por la suya convienen en que no se conferirá ninguna dignidad, canongía ó beneficio de los que exigen personal residencia á los que por razón de cualquier otro cargo ó comisión estén obligados á residir continuamente en otra parte. Tampoco se conferirá á los que estén en posesión de algún beneficio de la clase indicada ninguno de aquellos cargos ó comisiones, á no ser que renuncien uno de dichos cargos ó beneficios, los cuales se declaran por consecuencia de todo punto incompatibles.

En la Capilla Real, sin embargo, podrá haber hasta seis prebendados de las iglesias catedrales de la Península; pero en ningún caso podrán ser nombrados los que ocupan las primeras sillas, los canónigos de oficio, los que tienen cura de almas, ni dos de una misma iglesia.

Respecto de los que en la actualidad y en virtud de indultos especiales ó generales se hallen en posesión de dos ó más de estos beneficios, cargos ó comisiones, se tomarán desde luego las disposiciones necesarias para arreglar su situación á lo prevenido en el presente artículo, según las necesidades de la Iglesia y la variedad de los casos.

Art. 20. En sede vacante, el cabildo de la iglesia metropolitana ó sufragánea en el término marcado y con arreglo á lo que previene el sagrado Concilio de Trento, nombrará un solo vicario capitular, en cuya persona se refundirá toda la potestad ordinaria del cabildo sin reserva ó limitación alguna por parte de él, y sin que pueda revocar el nombramiento una vez hecho ni hacer otro nuevo; quedando, por consiguiente, enteramente abolido todo privilegio, uso ó costumbre de administrar en cuerpo, en nombrar más de un vicario ó cualquiera otro que bajo cualquier concepto sea contrario á lo dispuesto por los sagrados cánones.

Art. 21. Además de la Capilla del Real Palacio se conservarán:

1.° La de Reyes y la Muzárabe de Toledo, y las de San Fernando de Sevilla y de los Reyes Católicos de Granada.

2.° Las colegiatas sitas en capitales de provincias donde no exista silla episcopal.

3.° Las de patronato particular cuyos patronos aseguren el exceso de gasto que ocasionará la colegiata sobre el de iglesia parroquial.

4.° Las colegiatas de Covadonga, Roncesvalles, San

Isidro de León, Sacromonte de Granada, S. Ildefonso, Alcalá de Henares y Jerez de la Frontera.

5.° Las catedrales de las sillas episcopales que se agreguen á otras en virtud de las disposiciones del presente Concordato, se conservarán como colegiatas.

Todas las demás colegiatas cualquiera que sea su origen, antigüedad y fundación, quedarán reducidas, cuando las circunstancias locales no lo impidan, á iglesias parroquiales con el número de beneficiados que además del párroco se consideren necesarios, tanto para el servicio parroquial, como para el decoro del culto.

La conservación de las capillas y colegiatas expresadas deberá entenderse siempre con sujeción al prelado de la diócesis á que pertenezcan, y con derogación de toda exención y jurisdicción *vere ó quasi nullius*, que limite en lo más mínimo la nativa del ordinario.

Las iglesias colegiatas serán siempre parroquiales y se distinguirán con el nombre de parroquia mayor, si en el pueblo hubiese otra ú otras.

Art. 22. El cabildo de las colegiatas se compondrá de un abad presidente, que tendrá aneja la cura de almas, sin más autoridad ó jurisdicción que la directiva y económica de su iglesia y cabildo, de dos canónigos de oficio con los títulos de magistral y doctoral, y ocho canónigos de gracia. Habrá además seis beneficiados ó capellanes asistentes.

Art. 23. Las reglas establecidas en los artículos anteriores, así para la provisión de las prebendas y beneficios ó capellanías de las iglesias catedrales, como para el régimen de sus cabildos, se observarán puntualmente en todas sus partes respecto de las iglesias colegiatas.

Art. 24. A fin de que en todos los pueblos del reino se atienda con el esmero debido al culto religioso y á todas las necesidades del pasto espiritual, los muy reverendos arzobispos y reverendos obispos procederán desde luego á formar un nuevo arreglo y demarcación parroquial de sus respectivas diócesis, teniendo en cuenta la extensión y naturaleza del territorio y de la población y las demás circunstancias locales, oyendo á los cabildos catedrales, á los respectivos arciprestes y á los fiscales de los tribunales eclesiásticos, y tomando por su parte todas las disposiciones necesarias á fin de que pueda darse por concluido y ponerse en ejecución el precitado arreglo, previo el acuerdo del Gobierno de S. M., en el menor término posible.

Art. 25. Ningún cabildo ni corporación eclesiástica podrá tener aneja la cura de almas, y los curatos y vicarías perpetuas, que ántes estaban unidas *pleno jure* á alguna corporación, quedarán en todo sujetos al derecho común. Los coadjutores y dependientes de las parroquias y todos

los eclesiásticos destinados al servicio de ermitas, santuarios, oratorios, capillas públicas ó iglesias no parroquiales, dependerán del cura propio de su respectivo territorio, y estarán subordinados á él en todo lo tocante al culto y funciones religiosas.

Art. 26. Todos los curatos, sin diferencia de pueblos, de clases ni del tiempo en que vaquen, se proveerán en concurso abierto con arreglo á lo dispuesto por el santo Concilio de Trento, formando los ordinarios ternas de los opositores aprobados y dirigiéndolas á S. M. para que nombre entre los propuestos. Cesará, por consiguiente, el privilegio de patrimonialidad y la exclusiva ó preferencia que en algunas partes tenían los patrimoniales para la obtención de curatos y otros beneficios.

Los curatos de patronato eclesiástico se proveerán nombrando el patrono entre los de la terna que del modo ya dicho forman los prelados, y los de patronato laical nombrando el patrono entre aquellos que acrediten haber sido aprobados en concurso abierto en la diócesis respectiva, señalándose á los que no se hallen en este caso el término de cuatro meses para que hagan constar haber sido aprobados sus ejercicios hechos en la forma indicada, salvo siempre el derecho del ordinario de examinar al presentado por el patrono si lo estima conveniente.

Los coadjutores de las parroquias serán nombrados por los ordinarios, previo examen sinodal.

Art. 27. Se dictarán las medidas convenientes para conseguir en cuanto sea posible, que por el nuevo arreglo eclesiástico no queden lastimados los derechos de los actuales poseedores de cualesquiera prebendas, beneficios ó cargos que hubieren de suprimirse á consecuencia de lo que en él se determina.

Art. 28. El Gobierno de S. M. Católica, sin perjuicio de establecer oportunamente, previo acuerdo con la Santa Sede y tan pronto como las circunstancias lo permitan, seminarios generales en que se dé la extensión conveniente á los estudios eclesiásticos, adoptará por su parte las disposiciones oportunas para que se créen sin demora seminarios conciliares en las diócesis donde no se hallen establecidos, á fin de que en lo sucesivo no haya en los dominios españoles iglesia alguna que no tenga al ménos un seminario suficiente para la instrucción del clero.

Serán admitidos en los seminarios, y educados é instruidos del modo que establece el sagrado Concilio de Trento, los jóvenes que los arzobispos y obispos juzguen conveniente recibir según la necesidad ó utilidad de las diócesis, y en todo lo que pertenece al arreglo de los seminarios, á la enseñanza y á la administración de sus bienes, se observarán los decretos del mismo Concilio de Trento.

Si de resultas de la nueva circunscripción de diócesis quedasen en algunas dos seminarios, uno en la capital actual del obispado, y otro en la que se le ha de unir, se conservarán ámbos mientras el Gobierno y los prelados de común acuerdo los consideren útiles.

Art. 29. A fin de que en toda la Península haya el número suficiente de ministros y operarios evangélicos de quienes puedan valerse los prelados para hacer misiones en los pueblos de su diócesis, auxiliar á los párrocos, asistir á los enfermos, y para otras obras de caridad y utilidad pública, el Gobierno de S. M. que se propone mejorar oportunamente los colegios de misiones para Ultramar, tomará desde luego las disposiciones convenientes para que se establezcan donde sea necesario, oyendo previamente á los prelados diocesanos, casas y congregaciones religiosas de San Vicente de Paul, San Felipe Neri y otra Orden de las aprobadas por la Santa Sede, las cuales servirán al propio tiempo de lugares de retiro para los eclesiásticos, para hacer ejercicios espirituales y para otros usos piadosos.

Art. 30. Para que haya también casas religiosas de mujeres, en las cuales puedan seguir su vocación las que sean llamadas á la vida contemplativa y á la activa de la asistencia de los enfermos, enseñanza de niñas y otras obras y ocupaciones tan piadosas como útiles á los pueblos, se conservará el Instituto de las Hijas de la Caridad bajo la dirección de los clérigos de San Vicente de Paul, procurando el Gobierno su fomento.

También se conservarán las casas de religiosas que á la vida contemplativa reunan la educacion y enseñanza de niñas ú otras obras de caridad.

Respecto á las demás Ordenes, los Prelados ordinarios, atendidas todas las circunstancias de sus respectivas diócesis, propondrán las casas de religiosas en que convenga la admisión y profesión de novicias, y los ejercicios de enseñanza ó de caridad que sea conveniente establecer en ellas.

No se procederá á la profesión de ninguna religiosa sin que se asegure antes su subsistencia en debida forma.

Art. 31. La dotación del M. Rdo. Arzobispo de Toledo será de 160.000 reales anuales.

La de los de Sevilla y Valencia de 150.000.

La de los de Granada y Santiago de 140.000.

Y la de los de Burgos, Tarragona, Valladolid y Zaragoza, de 130.000.

La dotación de los Rdos. Obispos de Barcelona y Madrid será de 110.000 reales.

La de los de Cádiz, Cartagena, Córdoba y Málaga, de 100.000.

La de los de Almería, Avila, Badajoz, Canarias, Cuenca,

Gerona, Huesca, Jaén, León, Lérida, Lugo, Mallorca, Orense, Oviedo, Palencia, Pamplona, Salamanca, Santander, Segovia, Teruel y Zamora, de 90.000 reales.

La de los de Astorga, Calahorra, Ciudad-Real, Coria, Guadix, Jaca, Menorca, Mondoñedo, Orihuela, Osma, Plasencia, Segorbe, Sigüenza, Tarazona, Tortosa, Túy, Urgel, Vich y Vitoria de 80.000 reales.

La del Patriarca de las Indias, no siendo Arzobispo ú Obispo propio, de 150.000, deduciéndose en su caso de esta cantidad cualquiera otra que por vía de pensión eclesiástica ó en otro concepto percibiese del Estado.

Los Prelados que sean Cardenales disfrutarán de 20.000 reales sobre su dotación.

Los Obispos auxiliares de Ceuta y Tenerife, y el Prior de las Ordenes, tendrán 40 000 reales anuales.

Estas dotaciones no sufrirán descuento alguno ni por razón del coste de las Bulas, que sufragará el Gobierno, ni por los demás gastos que por éstas puedan ocurrir en España.

Además, los Arzobispos y Obispos conservarán sus palacios y los jardines, huertas y casas que en cualquier parte de la diócesis hayan estado destinadas para su uso y recreo, y no hubiesen sido enajenadas.

Queda derogada la actual legislación relativa á espolios de los Arzobispos y Obispos, y en su consecuencia podrán disponer libremente, según les dicte su conciencia, de lo que dejaren al tiempo de su fallecimiento, sucediéndoles *abintestato* los herederos legítimos con la misma obligación de conciencia: exceptuándose en uno y otro caso los ornamentos y pontificales, que se considerarán como propiedad de la Mitra, y pasarán á sus sucesores en ella.

Art. 32. La primera Silla de la iglesia Catedral de Toledo tendrá de dotación 24.000 reales, las de las demás iglesias metropolitanas 20.000, las de las iglesias sufragáneas 18.000, y las de las colegiatas 15.000.

Los Dignidades y Canónigos de oficio de las iglesias metropolitanas tendrán 16.000 reales, los de las sufragáneas 14.000 y los Canónigos de oficio de las colegiatas 8.000.

Los demás Canónigos tendrán 14.000 reales en las iglesias metropolitanas, 12.000 en las sufragáneas y 6.600 en las colegiatas.

Los Beneficiados ó Capellanes asistentes tendrán 8.000 reales en las iglesias metropolitanas, 6.000 en las sufragáneas y 3.000 en las colegiatas.

Art. 33. La dotación de los Curas en las parroquias urbanas será de 3.000 á 10.000 reales; en las parroquias rurales el mínimum de la dotación será de 2.200.

Los Coadjutores y Ecónomos tendrán de 2.000 á 4.000 reales.

Además los Curas propios, y en su caso los Coadjutores, disfrutarán las casas destinadas á su habitación y los huertos ó heredades que no se hayan enajenado, y que son conocidos con la denominación de *iglesiarios*, *mansos* ú otras.

También disfrutarán los Curas propios y sus Coadjutores la parte que les corresponda en los derechos de estola y pie de altar.

Art. 34. Para sufragar los gastos del culto tendrán las iglesias metropolitanas anualmente de 90 á 140.000 reales; las sufragáneas de 70 á 90.000 y las colegiatas de 20 á 30.000.

Para los gastos de administración y extraordinarios de visita tendrán de 20 á 36.000 reales los metropolitanos y de 16 á 20.000 los sufragáneos.

Para los gastos del culto parroquial se asignará á las iglesias respectivas una cantidad anual que no bajará de 1.000 reales, además de los emolumentos eventuales y de los derechos que por ciertas funciones estén fijados ó se fijaren para este objeto en los aranceles de las respectivas diócesis.

Art. 35. Los Seminarios conciliares tendrán de 90 á 120.000 reales anuales, según sus circunstancias y necesidades.

El Gobierno de S. M. proveerá por los medios más conducentes á la subsistencia de las casas y congregaciones religiosas de que habla el art. 28.

En cuanto al mantenimiento de las comunidades religiosas se observará lo dispuesto en el art. 30.

Se devolverán desde luego y sin demora á las mismas, y en su representación á los prelados diocesanos, en cuyo territorio se hallen los conventos, ó se hallaban antes de las últimas vicisitudes, los bienes de su pertenencia que están en poder del Gobierno, y que no han sido enajenados. Pero teniendo S. S. en consideración el estado actual de estos bienes y otras particulares circunstancias, á fin de que con su producto pueda atenderse con más igualdad á los gastos del culto y otros generales, dispone que los prelados, en nombre de las comunidades religiosas propietarias, procedan inmédiatamente y sin demora á la venta de los expresados bienes por medio de subastas públicas, hechas en la forma canónica y con intervención de persona nombrada por el Gobierno de S. M. El producto de estas ventas se convertirá en inscripciones intransferibles de la Deuda del Estado del 3 por 100, cuyo capital é intereses se distribuirán entre todos los referidos conventos en proporción ds sus necesidades y circunstancias, para atender á los gastos indicados y al pago de las pensiones de las religiosas que tengan derecho á percibirlas, sin perjuicio de

que el Gobierno supla como hasta aquí lo que fuere necesario para el completo pago de dichas pensiones hasta el fallecimiento de las pensionadas.

Art. 36. Las dotaciones asignadas en los artículos anteriores para los gastos del culto y del clero, se entenderán sin perjuicio del aumento que se pueda hacer en ellas cuando las circunstancias lo permitan. Sin embargo, cuando por razones especiales no alcance en algún caso particular alguna de las asignaciones expresadas en el art. 34, el Gobierno de S. M. proveerá lo conveniente al efecto; del mismo modo proveerá á los gastos de las reparaciones de los templos y demás edificios consagrados al culto.

Art. 37. El importe de la renta que se devengue en la vacante de las Sillas episcopales, deducidos los emolumentos del Ecónomo, que se deputará por el Cabildo en el acto de elegir al Vicario capitular, y los gastos para los reparos precisos del palacio episcopal, se aplicará por iguales partes en beneficio del seminario conciliar y del nuevo Prelado.

Asimismo de las rentas que se devenguen en las vacantes de dignidades, canongías, parroquias y beneficios de cada diócesis, deducidas las respectivas cargas, se formará un cúmulo ó fondo de reserva, á disposición del Ordinario, para atender á los gastos extraordinarios é imprevistos de las iglesias y del clero, como también á las necesidades graves y urgentes de la diócesis. Al propio efecto ingresará igualmente en el mencionado fondo de reserva la cantidad correspondiente á la duodécima parte de su dotación anual, que satisfarán por una vez dentro del primer año los nuevamente nombrados para prebendas, curatos y otros beneficios; debiendo por tanto cesar todo otro descuento que por cualquier concepto, uso, disposición ó privilegio se hiciese anteriormente.

Art. 38. Los fondos con que ha de atenderse á la dotación del culto y del clero serán:

1.° El producto de los bienes devueltos al clero por la Ley de 3 de Abril de 1845.

2.° El producto de las limosnas de la Santa Cruzada.

3.° Los productos de las Encomiendas y Maestrazgos de las cuatro Ordenes Militares vacantes y que vacaren.

4.° Una imposición sobre las propiedades rústicas y urbanas y riqueza pecuaria en la cuota que sea necesaria para completar la dotación tomando en cuenta los productos expresados en los párrafos 1.°, 2.°, 3.° y demás rentas que en lo sucesivo, y de acuerdo con la Santa Sede, se asignen á este objeto.

El clero recaudará esta imposición, percibiéndola en frutos, en especie ó en dinero, previo concierto que podrá celebrar con las provincias, con los pueblos, con las pa-

rroquias ó con los particulares, y en los casos necesarios será auxiliado por las autoridades públicas en la cobranza de esta imposición, aplicando al efecto los medios establecidos para el cobro de las contribuciones.

Además se devolverán á la Iglesia desde luego y sin demora todos los bienes eclesiásticos no comprendidos en la expresada ley de mil ochocientos cuarenta y cinco, y que todavia no hayan sido enajenados, inclusos los que restan de las comunidades religiosas de varones. Pero atendidas las circunstancias actuales de unos y otros bienes, y la evidente utilidad que ha de resultar á la Iglesia, el Padre Santo dispone que su capital se invierta inmediatamente y sin demora en inscripciones intransferibles de la Deuda del Estado del 3 por 100, observando exactamente la forma y reglas establecidas en el art. 35 con referencia á la venta de los bienes de las religiosas.

Todos estos bienes serán imputados por su justo valor, rebajadas cualesquiera cargas, para los efectos de las disposiciones contenidas en este artículo.

Art. 39. El Gobierno de S. M., salvo el derecho de los Prelados diocesanos, dictará las disposiciones necesarias para que aquellos entre quienes se hayan distribuido los bienes de las capellanías y fundaciones piadosas, aseguren los medios de cumplir las cargas á que dichos bienes estuviesen afectos.

Iguales disposiciones adoptarán para que se cumplan del mismo modo las cargas piadosas que pesaren sobre los bienes eclesiásticos que han sido enajenados con este gravamen.

El Gobierno responderá siempre y exclusivamente de las impuestas sobre los bienes que se hubieren vendido por el Estado libres de esta obligación.

Art. 40. Se declara que todos los expresados bienes y rentas pertenecen en propiedad á la Iglesia, y que en su nombre se disfrutarán y administrarán por el clero.

Los fondos de Cruzada se administrarán en cada diócesís por los Prelados diocesanos, como revestidos al efecto de las facultades de la Bula, para aplicarlos según está prevenido en la última prórroga de la relativa concesión apostólica, salvas las obligaciones que pesan sobre este ramo por convenios celebrados con la Santa Sede. El modo y forma en que deberá verificarse dicha administración se fijará de acuerdo entre el Padre Santo y S. M. Católica.

Igualmente administrarán los Prelados diocesanos los fondos del indulto cuadragesimal, aplicándolos á establecimientos de beneficencia y actos de caridad en las diócesis respectivas, con arreglo á las concesiones apostólicas.

Las demás facultades apostólicas relativas á este ramo

y á las atribuciones á ellas consiguientes, se ejercerán por el Arzobispo de Toledo, en la extensión y forma que se determinará por la Santa Sede.

Art. 41. Además, la Iglesia tendrá el derecho de adquirir por cualquier título legítimo, y su propiedad en todo lo que posee ahora ó adquiera en adelante será solemnemente respetada. Por consiguiente, en cuanto á las antiguas y nuevas fundaciones eclesiásticas no podrá hacerse ninguna supresión ó unión sin la intervención de la autoridad de la Santa Sede, salvas las facultades que competen á los Obispos, según el Santo Concilio de Trento.

Art. 42. En este supuesto, atendida la utilidad que ha de resultar á la religión de este convenio, el Padre Santo, á instancia de S. M. Católica y para proveer á la tranquilidad pública, decreta y declara que los que durante las pasadas circunstancias hubiesen comprado en los dominios de España bienes eclesiásticos, al tenor de las disposiciones civiles á la sazón vigentes, y estén en posesión de ellos, y los que hayan sucedido ó sucedan en sus derechos á dichos compradores, no serán molestados en ningún tiempo ni manera por Su Santidad, ni por los Sumos Pontífices sus sucesores: ántes bien, así ellos como sus causa-habientes disfrutarán segura y pacíficamente la propiedad de dichos bienes y sus emolumentos y productos.

Art. 43. Todo lo demás perteneciente á personas ó cosas eclesiásticas, sobre lo que se provee en los artículos anteriores, será dirigido y administrado según la disciplina de la Iglesia canónicamente vigente.

Art. 44. El Padre Santo y S. M. Católica declaran quedar salvas é ilesas las reales prerrogativas de la Corona de España, en conformidad á los convenios anteriormente celebrados entre ambas potestades. Y por tanto, los referidos convenios, y en especialidad el que se celebró entre el Sumo Pontífice Benedicto XIV y el Rey católico Fernando VI en el año mil setecientos cincuenta y tres, se declaran confirmados, y seguirán en su pleno vigor en todo lo que no se altere ó modifique por el presente.

Art. 45. En virtud de este Concordato se tendrán por revocadas, en cuanto á él se oponen, las leyes, órdenes y decretos publicados hasta ahora, de cualquier modo y forma, en los dominios de España, y el mismo Concordato regirá para siempre en lo sucesivo como ley del Estado en los propios dominios. Y por tanto, una y otra de las partes contratantes prometen por sí y sucesores la fiel observancia de todos y cada uno de los artículos de que consta. Si en lo sucesivo ocurriese alguna dificultad, el Padre Santo y S. M. Católica se pondrán de acuerdo para resolverla amigablemente.

Art. 46 y último. El canje de las ratificaciones del presente Concordato se verificará en el término de dos meses, ó ántes si fuere posible.

En fe de lo cual, Nos los infrascriptos plenipotenciarios, hemos firmado el presente Concordato, y selládolo con nuestro propio sello en Madrid á diez y seis de Marzo de mil ochocientos cincuenta y uno.—(Firmado.)—Juan Brunelli, Arzobispo de Tesalónica.—Manuel Bertrán de Lis.

RATIFICACIONES.

Este Concordato fué ratificado en el Palacio de Madrid en primero de Abril de mil ochocientos cincuenta y uno, y en Roma en veintitres del mismo mes y año, habiendo sido canjeadas las ratificaciones en el mismo Palacio en once de Mayo del mismo año. En cinco de Septiembre siguiente expidió Su Santidad las letras apostólicas sobre el enunciado Concordato, las cuales se mandaron publicar en la forma ordinaria en diez y siete de Octubre del referido año.

APPENDIX VI

Conventio ad Concordati praecedentis executionem

ANNO 1859 HABITA

En el nombre de la Santísima é Individua Trinidad. —El Sumo Pontífice Pio IX y Su Majestad Católica Doña Isabel II, Reina de España, queriendo proveer de común acuerdo al arreglo definitivo de la dotación del culto y clero en los dominios de S. M.; en consonancia con el solemne Concordato de 16 de Marzo de 1851, han nombrado respectivamente por sus plenipotenciarios: Su Santidad al Emmo. y Rdmo. Sr. Cardenal Santiago Antonelli, su Secretario de Estado:

Y S. M. al Excmo. Sr. D. Antonio de los Ríos y Rosas, su Embajador extraordinario cerca de la Santa Sede: los cuales canjeados sus plenos poderes, han convenido en lo siguiente:

Artículo primero. El Gobierno de S. M. Católica, habida consideración á las lamentables vicisitudes por que han pasado los bienes eclesiásticos en diversas épocas; y deseando asegurar á la Iglesia perpetuamente la pacífica

posesión de sus bienes y derechos, y prevenir todo motivo de que sea violado el solemne Concordato celebrado en 16 de Marzo de 1851, promete á la Santa Sede que en adelante no se hará ninguna venta, conmutación ni otra especie de enajenación de los dichos bienes sin la necesaria autorización de la misma Santa Sede.

ART. 2.° Queriendo llevar definitivamente á efecto de un modo seguro, estable é independiente el plan de dotación del culto y clero prescrito en el mismo Concordato, la Santa Sede y el Gobierno de S. M. Católica convienen en los puntos siguientes:

ART. 3.° Primeramente el Gobierno de S. M. reconoce de nuevo formalmente el libre y pleno derecho de la Iglesia para adquirir, retener y usufructuar en propiedad y sin limitación ni reserva, toda especie de bienes y valores: quedando en consecuencia derogada por este convenio cualquiera disposición que le sea contraria, y señaladamente y en cuanto se le oponga, la ley de 1.° de Mayo de 1855.

Los bienes que en virtud de este derecho adquiera y posea en adelante la Iglesia, no se computarán en la dotación que le está asignada por el Concordato.

ART. 4.° En virtud del mismo derecho, el Gobierno de S. M. reconoce á la Iglesia como propietaria absoluta de todos y de cada uno de los bienes que le fueron devueltos por el Concordato. Pero habida consideración al estado de deterioro de la mayor parte de los que aún no han sido enajenados, á su difícil administración, y á los varios, contradictorios é inexactos cómputos de su valor en renta, circunstancias todas que han hecho hasta ahora la dotación del clero incierta y aún incongrua, el Gobierno de S. M. ha propuesto á la Santa Sede una permutación, dándose á los Obispos la facultad de determinar, de acuerdo con sus Cabildos, el precio de los bienes de la Iglesia, situados en sus respectivas diócesis, y ofreciendo aquél en cambio de todos ellos y mediante su cesión hecha al Estado, tantas inscripciones intransferibles del papel del tres por ciento de la Deuda pública consolidada de España, cuantas sean necesarias para cubrir el total valor de dichos bienes.

ART. 5.° La Santa Sede, deseosa de que se lleve inmediatamente á efecto una dotación cierta, segura é independiente para el culto y para el clero, oidos los Obispos de España y reconociendo en el caso actual y en el conjunto de todas las circunstancias, la mayor utilidad de la Iglesia, no ha encontrado dificultad en que dicha permutación se realice en la forma siguiente:

ART. 6.° Serán eximidos de la permutación y quedarán en propiedad á la Iglesia en cada diócesis todos los

bienes enumerados en los artículos 31 y 33 del Concordato de 1851, á saber: los huertos, jardines, palacios y otros edificios, que en cualquier lugar de la diócesis estén destinados al uso y esparcimiento de los Obispos. También se le reservarán las casas destinadas á la habitación de párrocos, con sus huertos y campos anejos, conocidos bajo las denominaciones de *iglesiarios, mansos*, y otras. Además retendrá la Iglesia en propiedad los edificios de los seminarios conciliares con sus anejos, y las bibliotecas y casas de corrección ó cárceles eclesiásticas, y en general todos los edificios que sirven en el día para el culto y los que se hallan destinados al uso y habitación del clero regular de ambos sexos, así como los que en adelante se destinen á tales objetos.

Ninguno de los bienes enumerados en este artículo podrá imputarse en la dotación prescrita para el culto y clero en el Concordato.

Y en fin, siendo la utilidad de la Iglesia el motivo que induce á la Santa Sede á admitir la expresada permutación de valores, si en alguna diócesis estimare el Obispo que, por particulares circunstancias, conviene á la Iglesia retener alguna finca sita en ella, aquella finca podrá eximirse de la permutación, imputándose el importe de su renta en la dotación del clero.

Art. 7.° Hecha por los Obispos la estimación de los bienes sujetos á la permutación, se entregarán inmediatamente á aquéllos, títulos ó inscripciones intransferibles, así por el completo valor de los mismos bienes, como por el valor venal de los que han sido enajenados después del Concordato. Verificada la entrega, los Obispos, competentemente autorizados por la Sede Apostólica, harán al Estado formal cesión de todos los bienes que con arreglo á este Convenio están sujetos á la permutación.

Las inscripciones se imputarán al clero como parte integrante de su dotación, y los respectivos diocesanos aplicarán sus réditos á cubrirla en el modo prescrito en el Concordato.

Art. 8.° Atendida la perentoriedad de las necesidades del clero, el Gobierno de S. M. se obliga á pagar mensualmente la renta considerada correspondiente á cada diócesis.

Art. 9.° En el caso de que por disposición de la autoridad temporal la renta del tres por ciento de la Deuda pública del Estado llegue á sufrir cualquiera disminución ó reducción, el Gobierno de S. M. se obliga desde ahora á dar á la Iglesia tantas inscripciones intransferibles de la renta que se sustituya á la del tres por ciento, cuantas sean necesarias para cubrir íntegramente el importe anual de la que

vá á emitirse en favor de la Iglesia, de modo que esta renta no se ha de disminuir ni reducir en ninguna eventualidad ni en ningún tiempo.

ART. 10. Los bienes pertenecientes á capellanías colativas y á otras semejantes fundaciones piadosas familiares, que á causa de su peculiar índole y destino y de los diferentes derechos que en ellos radican no pueden comprenderse en la permutación y cesión de que aquí se trata, serán objeto de un convenio particular celebrado entre la Santa Sede y Su Majestad Católica.

ART. 11. El Gobierno de Su Majestad, confirmando lo estipulado en el art. 39 del Concordato, se obliga de nuevo á satisfacer á la Iglesia en la forma que de común acuerdo se convenga, por razón de las cargas impuestas, ya sobre los bienes vendidos como libres por el Estado, ya sobre los que ahora se le ceden, una cantidad alzada que guarde la posible proporción con las mismas cargas. También se compromete á cumplir por su parte en términos hábiles las obligaciones que contrajo el Estado por los párrafos primero y segundo de dicho artículo.

Se instituirá una Comisión mixta con el carácter de consultiva, que en el término de un año reconozca las cargas que pesan sobre los bienes mencionados en el párrafo primero de este artículo, y proponga la cantidad alzada que en razón de ellas ha de satisfacer el Estado.

ART. 12. Los Obispos, en conformidad de lo dispuesto en el art. 35 del Concordato, distribuirán entre los conventos de monjas existentes en sus respectivas diócesis las inscripciones intransferibles correspondientes ya á los bienes de su propiedad, que ahora se cedan al Estado, ya á los de la misma procedencia que se hubieren vendido en virtud de dicho Concordato ó de la ley de 1.º de Mayo de 1855. La renta de estas inscripciones se imputará á dichos conventos como parte de su dotación.

ART. 13. Queda en su fuerza y vigor lo dispuesto en el Concordato acerca del suplemento que ha de dar el Estado para pago de las pensiones de los religiosos de ambos sexos, como también cuanto se prescribe en los artículos 35 y 36 del mismo acerca del mantenimiento de las casas y congregaciones religiosas que se establezcan en la Península, y acerca de la reparacion de los templos y otros edificios destinados al culto. El Estado se obliga además á construir á sus expensas las iglesias que se consideren necesarias, á conceder pensiones á los pocos religiosos existentes, legos exclaustrados, y á proveer á la dotación de las monjas de oficio, capellanes, sacristanes y culto de las iglesias de religiosas en cada diócesis.

ART. 14. La renta de la Santa Cruzada, que hace

parte de la actual dotación, se destinará exclusivamente en adelante á los gastos del culto, salvas las obligaciones que pesan sobre aquéllas por convenios celebrados por la Santa Sede.

El importe anual de la misma renta se computará por el año común del último quinquenio en una cantidad fija, que se determinará de acuerdo entre la Iglesia y el Estado.

El Estado suplirá, como hasta aquí, la cantidad que falte para cubrir la asignación concedida al culto por el artículo 34 del Concordato.

Art. 15. Se declara propiedad de la Iglesia la imposición anual que para completar su dotación se estableció en el párrafo cuarto del art. 38 del Concordato, y se repartirá y cobrará dicha imposición en los términos allí definidos. Sin embargo, el Gobierno de S. M. se obliga á acceder á toda instancia que por motivos locales ó por cualquiera otra causa le hagan los Obispos para convertir las cuotas de imposición correspondientes á las respectivas diócesis en inscripciones intransferibles de la referida Deuda consolidada bajo las condiciones y en los términos definidos en los artículos 7, 8 y 9 de este Convenio.

Art. 16. A fin de conocer exactamente la cantidad á que debe ascender la mencionada imposición, cada Obispo, de acuerdo con su Cabildo, hará á la mayor brevedad un presupuesto definitivo de la dotación de su diócesis, ateniéndose al formularlo á las prescripciones del Concordato. Y para determinar fijamente en cada caso las asignaciones respecto de las cuales se ha establecido en aquél un *máximum* y un *minimum*, podrán los Obispos, de acuerdo con el Gobierno, optar por un término medio cuando así lo exijan las necesidades de las iglesias y todas las demás circunstancias atendibles.

Art. 17. Se procederá inmediatamente á la nueva circunscripción de parroquias, al tenor de lo conferenciado y concertado ya entre ambas potestades.

Art. 18. El Gobierno de Su Majestad, conformándose á lo prescrito en el art. 36 del Concordato, acogerá las razonables propuestas que para aumento de asignaciones le hagan los Obispos en los casos previstos en dicho artículo y señaladamente las relativas á seminarios.

Art. 19. El Gobierno de Su Majestad, correspondiendo á los deseos de la Santa Sede, y queriendo dar un nuevo testimonio de su firme disposición á promover, no sólo los intereses materiales, sinó también los espirituales de la Iglesia, declara que no pondrá óbice á la celebración de Sínodos diocesanos cuando los respectivos Prelados estimen conveniente convocarlos. Asímismo declara que sobre la celebración de Sínodos provinciales, y sobre otros varios

puntos arduos é importantes, se propone ponerse de acuerdo con la Santa Sede, consultando al mayor bien y esplendor de la Iglesia.

Por último, declara que cooperará por su parte con toda eficacia, á fin de que se lleven á efecto sin demora las disposiciones del Concordato que aún se hallan pendientes de ejecución.

Art. 20. En vista de las ventajas que de este nuevo Convenio resultan á la Iglesia, Su Santidad, acogiendo las respectivas instancias de Su Majestad Católica, ha acordado extender, como de hecho extiende, el benigno saneamiento contenido en el art. 42 del Concordato á los bienes eclesiásticos enagenados á consecuencia de la referida ley de primero de Mayo de 1855.

Art. 21. El presente Convenio, adicional al solemne y vigente Concordato celebrado en 16 de Marzo de 1851, se guardará en España perpetuamente como ley del Estado del mismo modo que dicho Concordato.

Art. 22. El canje de las ratificaciones del presente Convenio se verificará en el término de tres meses, ó ántes si fuese posible

En fe de lo cual, los infrascritos plenipotenciarias han firmado y sellado el presente Convenio con sus respectivos sellos.

Dado en Roma en dos ejemplares á 25 de Agosto de 1859.—(Firmado).—G. Cardenal Antonelli.—*Sello.*—(Firmado).—Antonio de los Rios y Rosas.—*Sello.*

Su Majestad Católica ratificó este Convenio el 7 de Noviembre, y Su Santidad el 24; y las ratificaciones se canjearon en Roma el 25 del citado mes de Noviembre de 1859.

APPENDIX VII

Tabula chronologica RR. Pontificum

S. Petrus cœpit. . *An.*	43	S. Sixtus I.	130
S. Linus.	67	S. Telesphorus. . . .	140
S. Cletus.	78	S. Hyginus.	152
S. Clemens I	91	S. Pius I.	156
S. Anacletus.. . . .	101	S. Anicetus.	167
S. Evaristus.	110	S. Soter.	173
S. Alexander I. . . .	119	S. Eleutherus. . . .	177

S. Zacharias. 741
Stephanus II. 752
Stephanus III. 752

Theophilactus Antipapa.

Paulus I. 757

Constantinus adhuc laicus Antipapa. Philippus Monachus Antipapa.

Stephanus IV. 768
Hadrianus I. 772
Leo III 795
Stephanus V.. 816
Paschalis I. 817
Eugenius II. 824

Zinzinus Antipapa.

Valentinus 827
Gregorius IV. 827
Sergius II 844
Leo IV. 847

Hic inserunt fabulam Joannæ Papissæ.

Benedictus III. 855

Anastasius Antipapa.

S. Nicolaus I. 858
Hadrianus II. 867
Joannes VIII 872
Martinus II aut.. . . .
Marinus I. 882
Hadrianus III. 884
Stephanus VI. 885
Formosus. 891

Sergius Antipapa.

Bonifacius VI. 896
Stephanus VII. 896
Romanus. 897
Theodorus II 898
Joannes IX. 898
Benedictus IV. 900
Leo V. 903
Cristophorus. 903
Sergius III- 904
Anastasius III. 911
Landus.. 913
Joannes X. 914
Leo VI.. 928
Stephanus VIII. . . . 929
Joannes XI. 931
Leo VII. 936
Stephanus IX. 939
Martinus III aut. . .
Marinus II. 942
Agapetus II. 946
Joannes XII. 956

Leo VIII Antipapa.

Benedictus V 964
Joannes XIII. 965
Benedictus VI. 972

Bonifacius VII Antipapa.

Donus II. 974
Benedictus VII. . . . 975
Joannes XIV 984
Joannes XV.. 985
Gregorius V.. 996

Joannes XVI Antipapa.

Sylvester II. 999
Joannes XVI aut. . . XVII.. 1003
Joannes XVIII 1003
Sergius IV. 1009
Benedictus VIII 1012

Gregorius Antipapa.

Joannes XIX 1024
Benedictus IX. 1033

Sylvester Antipapa.

Gregorius VI 1044
Clemens II. 1046

Benedictus IX iter. . 1047
Damasus II. 1048
S. Leo IX 1049
Victor II. 1055
Stephanus X 1057
Nicolaus II. 1058

Benedictus X Antipapa.

Alexander II 1061

Honorius II Antipapa.

S. Gregorius VII. . . 1073

Clemens III Antipapa.

Victor III.. 1086
Urbanus II. 1088
Paschalis II. 1099

Albertus Theodoricus et Sylvester III Antipapæ.

Gelasius II. 1118

Gregorius VIII, antea Mauritius, Antipapa.

Calixtus II. 1119
Honorius II. 1124
Innocentius II. . . . 1130

Anacletus II, et Victor IV, antea Gregorius, Antipapæ.

Cælestinus II 1143
Lucius II. 1144
Eugenius III 1145
Anastasius IV. . . . 1153
Hadrianus IV. . . . 1154
Alexander III. . . . 1159

Victor IV, antea Octavianus, Paschalis III, Calixtus et Innocentius III Antipapæ.

Lucius III 1181
Urbanus III. 1185
Gregorius VIII. . . . 1187
Clemens III. 1187
Cælestinus III. . . . 1191
Innocentius III. . . . 1198
Honorius III.. . . . 1216
Gregorius IX. . . . 1227
Cælestinus IV. . . . 1241
Innocentius IV . . . 1243
Alexander IV. . . . 1254
Urbanus IV. 1261
Clemens IV. 1265
Gregorius X. 1271
Innocentius V. . . . 1276
Hadrianus V 1276
Joannes XX. 1276
Nicolaus III. 1277
Martinus IV. 1281
Honorius IV. 1285
Nicolaus IV. 1288
S. Cælestinus V. . . 1294
Bonifacius VIII . . . 1294
S. Benedictus XI. . . 1303
Clemens V. 1305
Joannes XXI aut. . . XXII 1316

Nicolaus V Antipapa.

Benedictus XII. . . . 1334
Clemens VI. 1342
Innocentius VI. . . . 1352
Urbanus V. 1362
Gregorius XI 1371
Urbanus VI. 1378

Clemens VII Antipapa.

Bonifacius IX. . . . 1389
Innocentius VII . . . 1404

Benedictus XIII Antipapa.

Gregorius XII. . . . 1406
Alexander V 1409
Joannes XXII aut . . XXIII. 1410

Martinus V. 1417

Clemens VIII Antipapa.

Eugenius IV. 1431

Felix V, antea Amadeus Dux Sabaudiæ, dein Monachus, Antipapa.

Nicolaus V. 1447
Calixtus III. 1455
Pius II. 1458
Paulus II. 1464
Sixtus IV. 1471
Innocentius VIII. . . 1484
Alexander VI. 1492
Pius III. 1503
Julius II. 1503
Leo X. 1513
Hadrianus VI. 1522
Clemens VII. 1523
Paulus III 1534
Julius III. 1550
Marcellus II. 1555
Paulus IV 1555
Pius IV. 1559
S. Pius V. 1566
Gregorius XIII. . . . 1572
Sixtus V. 1585
Urbanus VII. 1590
Gregorius XIV. . . . 1590
Innocentius IX. . . . 1591
Clemens VIII 1592
Leo XI. 1605
Paulus V. 1605
Gregorius XV. 1621
Urbanus VIII. 1623
Innocentius X. . . . 1644
Alexander VII. . . . 1655
Clemens IX. 1667
Clemens X. 1670
Innocentius XI. . . . 1676
Alexander VIII. . . . 1689
Innocentius XII. . . . 1691
Clemens XI. 1700
Innocentius XIII. . . 1721
Benedictus XIII. . . 1724
Clemens XII. 1730
Benedictus XIV . . . 1740
Clemens XIII. 1758
Clemens XIV. 1769
Pius VI. 1775
Pius VII. 1800
Leo XII 1823
Pius VIII. 1829
Gregorius XVI. . . . 1831
Pius IX 1846
Leo XIII. 1878

APPENDIX VIII

Catalogus Conciliorum generalium et particularium.

Concilia Generalia Græca.

1 Nicænum I. . . *An.* 325
2 Constantinopolit. I. 381
3 Ephesinum. . . . 431
4 Chalcedonense. . . 451
5 Constantinopolit. II. 553
6 Constantinopol. III. 680
. . . . 681
7 Nicænum II. . . . 787
8 Constantinopol. IV. 869
. . . . 870

Latina.

9 Lateranense I. . . . 1123

10 Lateranense II . . 1139
11 Lateranense III. . 1179
. . . . 1180
12 Lateranense IV . . 1215
13 Lugdunense I. . . 1245
14 Lugdunense II. . 1274
15 Viennense. . . . 1311
16 Pisanum.. . . . 1409
17 Constantiniense. . 1414
18 Basileense, postea Ferratiam translatum. 1431
19 Florentinum.. . . 1439
20 Lateranense V. . . 1512
21 Tridentinum ab 1545 ad. 1563
22 Vaticanum. . . . 1869

Concilia Particularia. (1)

Hierosolymitanum I *Act.* 1. 34
Hierosolymitanum II *Act.* 6 34
Hierosolymitanum III *Act.* 15. 51
Plura Asiatica et Græca in Montanistas. . . 173
Palæstinum, Ponticum, Galliæ, Osrhoenum, et duo Romana de Paschate 198
*Asianum de Paschate. 198
*Africanum de baptismo haeret. 217
Lambesitanum . . . 240
Philadelphiae 242
Arabiae.. 249
Romanum de Lapsis. . 253
Carthaginense I . . . 253
Romanum de Lapsis. . 254
Romanum adversus Novatianos 255
Carthaginense II. . . 255
Africanum I 257
Romanum de haereticorum baptismate . . 257
Africanum II 258
*Iconiense de haereticorum baptismate . . 258
*Tria Carthaginensia de eodem. 258
Neocaesareense . . . 261
Romanum de Dionysio Alex 264
Antiochenum I . . . 265
Antiochenum II . . . 272
Sinuessanum 302
Illiberitanum (2) . . . 303
Cirtense 305
*Carthaginense I. . . 306
*Carthaginense II . . 308
Romanum 313
Arelatense 314
Ancyranum. 314
Neocaesareense II . . 314
Romanum I 315
Alexandrinum I . . . 315
Alexandrinum II. . . 319
Laodicenum 320
Gangrense 324
Romanum II 324
Romanum III 325
Tyrium 335
Hierosolymitanum . . 335
Constantinopolitanum . 336
Romanum I 337
Alexandrinum III . . 339
Antiochenum 341
Romanum II 341
Romanum III 342
*Antiochenum. . . . 344
Mediolanense 344
Agrippinense I . . . 346
Sardicense 347
*Sardicense. 347
Mediolanense II . . . 347
Carthaginense I . . . 348
Sirmiense I. 349
Hierosolymitanum . . 350

(1) Hac nota* designantur Concilia haeretica vel non recepta.
(2) Según la opinion más probable se celebró en el año 300.

Constantinopolit. I.	1575	Limanum III	1601
Tortosanum.	1575	Mechliniense.	1607
Neapolitanum.	1576	Narbonense VI.	1609
Rothomagense II.	1581	Senonense II	1612
Cairitanum.	1582	Aquense.	1612
Limanum I.	1582	Mesopotamiæ.	1612
Toletanum.	1582	Burdigalense III.	1624
Remense XIII.	1583	Constantinopolit. II.	1639
Burdigalense II.	1583	Constantinopolit. III.	1652
Turonense IX.	1583	Neapolitanum.	1699
Andegavense III.	1583	Tarraconense.	1700
Bituricense III.	1584	Tarraconense.	1731
Mexicanum.	1585	Tarraconense.	1741
Tolosanum.	1590	Tarraconense.	1757
Limanum II.	1591	Vallis-oletanum.	1887
Avenionense.	1594	Compostellanum.	1887
Dampriense.	1599	Hispalense (1).	1893

(1) Hisce nuperis annis duo nationalia Concilia in foederatis Americæ Septentrionalis Statibus habita sunt, et a Sancta Sede probata.

INDEX

